



32101 077772554

Elizabeth Foundation.



LIBRARY

OF THE

College of New Jersey.

XIV 2865-241

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

SEU

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRÆ, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA
OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM, SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM.

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD ÆTATEM INNOCENTII III (ANN. 1216) PRO LATINIS
ET AD PHOTII TEMPORA (ANN. 863) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA
ECCLESIE SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS,
PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA ;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA ;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS
DETECTIS AUCTA ;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI
SUBSEQUENTIBUS, DONATA ;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM
DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA ;

OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM
ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA ;

DUCENTIS ET AMPLIUS INDICIBUS LOCUPLETATA ; SED PRÆSERTIM DUOBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO
SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE
PATRUM, ABSQUE ULLA EXCEPTIONE, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR ;
ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBIUM QUINAM PATRES ET
IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS,

A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR GUARACTERUM NITIDITAS,
CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS
TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANter
SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA,
SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM,
PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES,
LOCOS, LINGVAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES GRÆCA

IN QUÆ PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIE GRÆCÆ
A S. BARNABA AD PHOTIUM,

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE

CURSUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIE, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA ; LATINA,
JAM INTEGRE EXARATA, VIGINTI ET DUCENTIS VOLUMINIBUS MOLE SUA STAT, CENTUMQUE ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA
DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM CUM VERSIONE LATINA LATERALIS COMPLECTITUR, ET
FORSAN CENTUM VOLUMINUM EXCEEDIT NUMERUM. POSTERIOR AUTEM VERSIONEM LATINAM TANTUM EXHIBET IDEOQUE IN-
TRA QUINQUAGINTA CIRCITER VOLUMINA RETINEBITUR. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE
MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR : UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUIUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR,
COLLECTIONEM INTEGRAM SIVE GRÆCAM SIVE LATINAM COMPARET NECESSE ERIT ; SECUS ENIM, CUJUSQUE VOLUMINIS AM-
PLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT.

PATROLOGIÆ GRÆCÆ TOMUS XXXV.

S. GREGORIUS NAZIANZENSIS.

EXCEDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'ENFER NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE.

SÆCULUM IV.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ

ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ

ΤΟΥ ΘΕΟΛΟΓΟΥ

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ

ΤΑ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ΠΑΝΤΑ.

SANCTI PATRIS NOSTRI

GREGORII THEOLOGI

VULGO NAZIANZENI, ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

OPERA QUÆ EXSTANT OMNIA,

AD MSS. CODICES GALLICANOS, VATICANOS, GERMANICOS, ANGLICOS, NEC NON AD ANTIQUIORES
EDITIONES CASTIGATA, MULTIS AUCTA ET ILLUSTRATA,
CURA ET STUDIO MONACHORUM ORDINIS S. BENEDICTI & CONGREGATIONE S. MAURI,

ACCEDUNT

VARIORUM COMMENTARII ET SCHOLIA IN OMNIA OPERA SANCTI GREGORII;

ACCURANTE ET RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE

CURSUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS PRIMUS.

VENIUNT QUATUOR VOLUMINA FRANCIS GALLICIS

EXCUEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'ENFER NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1837

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUÆ IN HOC TOMO XXXV CONTINENTUR.



S. GREGORIUS THEOLOGUS, ARCHIEPISCOPUS CONSTANTINOPOLITANUS.

Jrationes.

col 393

2550

.643

v. 35



PRÆFATIO GENERALIS.

Præclara duo Ecclesiæ Græcæ sidera, Gregorium Nazianzenum et Basilium Magnum, eadem tellus eodem tempore tulit. Ambo sanctissimis editi parentibus, ambo ipsi sanctitate insignes, ambo dicendi copia præstantissimi, ambo denique paribus studiis universam Ecclesiam quam late patet, scriptis illustrarunt, moribus ornaverunt.

Plures jam anni sunt, ex quo eximia Basilii scripta castigata et pristinae reddita integritati in lucem emissa sunt. Spes erat Gregorium Nazianzenum proximo secuturum intervallo. Id fuit in votis; et certe idem sperare licebat ab iis, qui tam præclaram in emendandis ad veterum codicum fidem tum Græcorum tum Latinorum Patrum scriptis pervenerant operam. Cum enim primum ad opus istud animum appulissent nostri, novasque in diem e prelo exeuntes priscorum monumentorum editiones placere bonis omnibus conspexissent, id sibi negotii crediderunt dari, ut maximos quosque utriusque Ecclesiæ, Græcæ scilicet et Latine, Patres in lucem emitterent. Ad opus tam arduum strenue aggressi sunt. Quo successu norunt omnes. Insignes quatuor Latini Patres, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, prodire; tres quoque e Græcis, Athanasius, Basilus, Chrysostomus. Unus hactenus expectabatur; unum omnes desiderabant: extremum hoc munus postulabant. Quæ tantæ Gregorium moræ tenerent mirabantur. Nihil necesse est causas percurrere, quæ tandiu Gregorium retardarunt. Varii eventus, morsque ipsa impedimento fuit. Dominus Fr. Louvard istud opus aggressus fuerat, vir acris ac vehementis ingenii et « quasi ignis » multa jam congesserat, innumeras ex variis manuscriptis codicibus lectiones descripserat ipse, et describi curaverat; sed tot jactatus est tempestatibus, ut incepto desistere coactus sit. Tum ejus serinia, et quæcunque paraverat, in amici manus pervenere, quo non erat quisquam ex nostris ad opus istud perficiendum magis idoneus. Nostrum dico Prudentium Maran, qui in Basilii epistolarum editione elaboranda, aliisque præclaris operibus, maximam laudem adeptus est: qui Græce Latineque luculenter sciebat: qui in versandis diurna nocturnaque manu sanctorum Patrum, maxime Græcorum, scriptis, vitam omnem consumpserat. Sed heu! dum nimium operi manum admovere moratur, aliisque in dies elaborandis scriptis occupatur, morte correptus, imperfectum istud relinquit. Audacior profecto videbitur, quisquis inchoatum tam difficile opus susceperit. Nec dubium quin temerarius audiat, ac in sui comparatione defuncti desiderium excitet. Verumtamen si quis temeritatis notam inurat, justa nobis esse potest excusatio. Quantum enim licuit, onus tam impar viribus nostris suscipere recusavimus; sed reluctantibus, et tenuitatem nostram causantibus imposita nobis hæc est provincia ab his, quorum imperia detrectare nefas fuisset. Jubentibus itaque cessimus: admota deinceps operi manu, nec curis nec laboribus pepercimus ut jussa faceremus. Nemo non intelligit quantum laboris et operæ impendendum fuerit in emendanda, saltem pluribus in locis, veteri editione, in sellegendis variis lectionibus, vertenda carminum parte maxima, disponendis ordine chronologico epistolis, in adornanda S. Gregorii Vita, exponenda ejus doctrina, in enodandis variis difficultatibus, rebusque in aliis pluribus quas accurata editio postulat.

PARS PRIMA.

§I. DE VARIIS S. GREGORII OPERUM EDITIONIBUS.

Primum quidem doctorum virorum, qui opera Gregorii in lucem proferre studuerunt, labores sunt commemorandi. Alii plura, alii pauciora: alii Græce, alii Latine tantum, alii

¹ Eccli. XLVIII, 4.



Græcæ simul et Latine; alii quasdam tantum orationes, aut carminum partem aliquam, vel epistolarum. Non enim omnia simul, dispersa hinc inde sancti doctoris opera prodire poterant, sed per particulas, quatenus in hominum studiosorum manus et cognitionem venerunt. Sua singulis laus reddenda; quippe qui, tametsi imperfectum reliquerint opus quod aggredimur, nobis tamen præeundo viam monstraverint, et ad perficiendum non-nihil contulerint.

Editiones Græcæ.

I. Ut de Græcis editionibus primum dicamus, quod quidem ordo videtur postulare, prima sese offert illa, qua continentur « Gregorii Nazianzeni orationes lectissimæ xvi Græcæ ex editione M. Musuri: Venetiis in ædibus Aldi 1516, in-8° (a). »

Epistolæ nonnullæ Gregorii, una cum epistolis Basillii, typis excusæ sunt primum Haganonæ anno 1528 in-8°, deinde Venetiis anno 1532 curis Obsopæi, in-fol.

Gregorii Nazianzeni Theologi orationes ix elegantissimæ prodierunt anno 1536 in ælibus hæredum Aldi, in-8°.

Easdem orationes typis mandavit Vechelius Parisiis anno 1544.

Paulo post longe locupletior vulgata est editio Operum Gregorii; quæ non modo orationes, si minus omnes, saltem earum partem maximam; verum etiam lxxx epistolas, et permulta carmina complectebatur. Anno Christi 1550 prodit Basileæ, sumptibus Joannis Hervagii, Græca illa editio; quam proxime, eodem scilicet anno, subsecuta est eorundem operum elaborata variis ab auctoribus Latina interpretatio. Exstat in Regia Bibliotheca hujus Græcæ editionis exemplar cum notis ad oram libri scriptis. In hac editione recensetur inter Opera Gregorii tragœdia, *Christus patiens*, quæ jam bis Græcæ prelo exierat: Romæ, anno 1542, in-8°, per Antonium Bladum Asulanum; et Lovanii anno 1544, per Rutgerum Rescium: utriusque editionis hujus tragœdiæ non meminit Fabricius. Eodem anno editio Bladi Parisiis in officina Christiani Vechelii recusa est.

Sententias et regulas vitæ ex Gregorii Nazianzeni scriptis collectas, Græcæ; ejusdem iambos aliquot, Græcæ etiam, studio Joannis Sambuci, Antuerpiæ in lucem emisit Plantinus anno 1568, in-8°.

Nec vero prætermittenda *Selecta carmina ab Hieronymo Brunello S. J.* edita, cum Georgio Piside et Synesii ac Clementis Alexandri hymnis: Romæ anno 1590, in-8°.

Addenda etiam poemata quædam a Davide Hœschelio, Lugduni Batavorum anno 1591, in-8°, ex officina Plantiniana, cum paraphrasi Græca, quam Hœschelius Nicetæ opus esse arbitratur.

Denique, geminæ Gregorii in Julianum imperatorem invectivæ, Græcæ, cum scholiis Græcis; ejusdem oratio in *Martyres et contra Arianos*; decem novæ epistolæ, testamentum Gregorii: omnia ex Bibliotheca Henrici Savillii edita sunt Etônæ, in-4°. anno 1610, cura et studio R. Montagu, typis Joannis Norton.

Editiones Latine.

Gregorii Nazianzeni carmina, ad bene beateque vivendum utilissima, Latine, ex editione Aldi Manutii Romani et Petri Candidi monachi. Venetiis, Aldus Manutius, in-4°, 1504.

Anno 1508, decem Gregorii orationes, ex earum numero quas a Rufino Latine redditas ferunt, vulgatæ sunt Argentorati, cum ipsius Præfatione ad Apronianum, per Joannem Knoblauch. Hæ sunt orationes, olim i, xii, xv, xvii, xxviii, xxxiii, xxxviii, xxxix, xliv, l.

Eodem anno, alias septem orationes, Latine a se redditas, Augustæ Vindelicorum OEcopolampadius vulgavit.

Anno 1522, alia quarundam Gregorii orationum editio Lipsiæ prodit in-8°: at illa non differt ab Argentoratensi.

Anno 1531, Bilibaldus Pirkheimerus, qui tribus ante annis Gregorii Apologeticum Latinitate donatum in lucem emiserat, triginta octo orationes, quas Latine verterat, Basileæ prelo supposuit. Necdum inde exierant, cum mors abstulit interpretem; cujus « non mortem deplorandam, ait Erasmus, sed desendendam publicam studiorum jacturam. » Quippe, Pirkheimerus, ut festina mors obstitisset, « eximium Christianæ philosophiæ præconem

(a) Cat. Bibl. Reg., tom. I, pag. 340. n. 204.

Gregorium Nazianzenum sic Latine loquentem nobis » daturus fuisset, ut Græci sermonis sonos nemo desideraturus fuisset. Joannes Straub, Bilibaldi gener, translatas a socero suo orationes edendas curavit Basileæ ex officina Frobeniana, anno 1531. Editioni, quæ plurima alia Gregorii opera complectitur, præfixa est elegantissima Erasmi epistola in qua laudes interpretis prosequitur.

Anno sequenti, Claudius Chevallon Parisiis vulgavit Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi orationes xxxviii, tractatus, sermones et libros aliquot Latine, Bilibaldo Pirkheimero, Rufino presbytero, et Petro Mosellano interpretibus, ex editione Joannis Straub et Desiderii Erasmi. Hujus Parisiensis editionis anni 1532 non videtur meminisse Fabricius.

Aliam anno 1550 Volfangus Musculus, Basileæ, apud Joannem Hervagium, præfixa epistola nuncupatoria Augustanæ reipublicæ præfectis consulibus, adornari curavit editionem, quæ Latine exhibet quidquid Græce complectitur editio ejusdem anni apud eundem Hervagium; scilicet xxxviii orationes a Pirkheimero Latine redditas, orationes quinque de Theologia a Petro Mosellano, quatuor autem ab ipso Musculo, nempe I, xli, xlv et xlvii; demum tragœdiam, *Christus patiens*, ex versione Sebastiani Guldebeccii Tigurini, et alia poemata cum interpretatione Aldi Manutii.

Anno 1550, orationem de pauperibus amandis et benignitate complectendis, cum duabus Gregorii Nysseni orationibus ejusdem argumenti, ex interpretatione Petri Francisci Zini edidit Parisiis Vascosanus, in-4°.

Anno 1569, prodiit Parisiis apud Claudium Fremy prima Operum Gregorii, adornata a Jacobo Billio Prunæo Sancti Michaelis in eremo abbate, editio, sive interpretatio. Aliud enim est editio, aliud interpretatio. Id sensit ipse Billius, librumque suum inscripsit: *Gregorii Opera nova translatione donata*, etc., cum commentariis Nicetæ Serronii, etc. Non una novæ hujus interpretationis fuit editio. Vel ipso anno sequenti prodiit Colonis, pluriesque deinceps recusa est. De hac versione, quæ cæteris longe præstat, mox plura dicemus.

Quo tempore Billius Gregorii Operibus Latine vertendis incumberebat, Leuvenklaius, hortantibus amicis, eundem laborem susceperat; cumque de Billii labore certior factus fuisset, manum de tabula tollere cogitabat. At eo deinceps edito sententiam mutavit, cum cerneret se quam multa non prius visa, quibus caruisset Billius, congestisse; maximo vero quod nactus esset Eliæ Cretensis archiepiscopi in Nazianzenum commentarios, quibus ducibus ad eruendos abstrusos in plerisque locis Nazianzeni sensus uti se posse magna cum utilitate conspexit. Præterea egregia scriptorum Nazianzeni exemplaria, quibus usus est, celebrat, inter quæ duo summis effert laudibus; alterum Choniatae Acuminati manu scriptum; alterum longe antiquius, litterarum elegantia præstans, et scriptio- nis integritate; tanta scilicet diligentia exaratum, nullum ut in eo verbum perperam scriptum reperiat. Is codex Basileam, ubi etiamnum magna veneratione asservatur, allatus tempore concilii Basileensis, plurimas exhibet picturas, hasque inter elegantem Gregorii imaginem. Horum exemplariorum ope depravata plurima se correxisse, et mutila integritati restituisse asserit Leuvenklaius. Prodiit illa editio Basileæ anno 1571 ex officina Hervagiana, eaque tam diuturnis vigiliis tantisque curis elaborata, ut in prima libri pagina hæc inscribere non dubitaverit: « Nec deinceps aliam expectari locupletio- rem posse de proœmio lector intelliget. » Num Germanus interpres plus æquo sibi indulgeat, ex dicendis declarabitur.

Leuvenklaius editionem in tres omnino distribuit tomos: quorum primus orationes xx cum Elianis commentariis continet, totusque ipsius debetur industriæ, qui eum de Græco in Latinum sermonem transtulit. Alter reliquas orationes xxxii, cum epistolis et poematiis hactenus editis complectitur; quæ quidem sumpsit ex Billiana editione. Huic tomo præfatiunculam Billio honorificam præfixit, hisque verbis eum alloquitur: « Quapropter mihi polliceor te virum sapientem ac doctum optimam in partem consilium nostrum interpretaturum. Debet enim abesse, cum omni ab hominum genere, tum a litteratis potissimum invidia; quibus esse nihil antiquius par est, quam ut et ipsi juvandæ totis viribus reipublicæ studeant, » etc. Sua Leuvenklaium spes sefellit: nam male est a Billio habitus, et a

Billianæ interpretationis anni 1583 Parisiensibus editoribus, tum in præfatione, tum in notis, in quibus plerumque acrioribus verbis repulsus et increpitus est. In tertium et ultimum tomum, « qui totus, » inquit Leuvenklaius, « itidem noster est, » ea refert Gregorii poemata, quæ hactenus non erant luce donata. Præterea Nicetæ commentarium in Gregorii sententias, tam quaternis quam singulis versibus inclusas, adjecit, et egregium Pselli Christiani philosophi de difficilium Nazianzeni locorum intellectu librum : demum dialogos, quos Cæsario falso ascriptos ne quidem suspicatur.

Július Gabrielis Eugubinus tres Gregorii orationes, scilicet 1° *Apologeticum*, 2° *De amore erga pauperes*, 3° *In natalem diem Salvatoris nostri*, Latine redditas edidit anno 1573; Antuerpiæ, typis Plantinianis, in-8° : quas etiam scholiis, sive commentariis illustravit. Addidit præterea emendationes ex multis vetustissimis ac probatissimis exemplaribus erutas in Græca omnia Gregorii opera, quæ editione Basileæ anni 1530 continentur. Præfixa est nuncupatoria Antonio Carafæ cardinali epistola.

Billiana versio iterum Parisiis apud Nivellium et Nicolaum Chesneau, anno 1583, ex secunda Billii recognitione, qui operi immortuus est : verum auctior illa atque emendatior recusa est cura et studio Genebrardi, qui eam Gregorio XIII Pontifici dicavit. In duos distincta est tomos, propter novam plurimorum librorum accessionem. Accessere siquidem Nicetæ Serronii, Pselli, Eliæ Cretensis commentarii, epistolæ plusquam centum quinquaginta, tam Græcæ quam Latinæ

Anno 1753, Venetiis sumptibus Antonii Zatta Latine prodierunt omnia Gregorii Nazianzeni Opera ex eadem versione et cum iisdem commentariis et scholiis; quibus accessere Latine tantum quæ a Jacobo Tollio et Muratorio utraque lingua jam edita fuerant, ut postea dicemus.

Editiones Græco-Latinæ.

Primum occurrunt Gregorii Nazianzeni carmina ad bene beateque vivendum utilissima, e Græco in Latinum ad verbum conversa ab Aldo Manutio Romano, et ejusdem typis excusa Græcæ et Latine, Venetiis, anno 1504, in-4°. Laudandus Aldus, qui primus partem aliquam Gregorii carminum vertere tentavit; quamvis enim crassa et ineleganti ea veste donaverit, donavit tamen, et aliis viam aperuit.

Gregorii quædam et sancta carmina cum Joannis Langi Silesii interpretatione, et ejusdem Langi poemata aliquot Christiana : Basileæ, 1561, in-8°, per Joannem Oporinum. Versus Græcos Latinis totidem versibus non inelegantibus reddit interpretes.

Anno 1568, Henricus Stephanus in lucem emisit, cum Synesii hymnis, Gregorii Nazianzeni odas aliquot Græcæ et Latine, ex versione et cum notis Francisci Porti : Parisiis, in-24(a).

Ibidem anno 1570, Joannes Benenatus vulgavit Gregorii Nazianzeni odas Græcæ, cum Latina versione, in-8° (b). Ibidem, Gregorii Nazianzeni odæ aliquot Græcæ et Latine, ex versione et cum notis Francisci Porti, apud Claudium Morellum, 1618, in-24 (c).

Opuscula quædam tunc primum in lucem edita, aliaque item versibus reddita, magna ex parte Cyri Dadybrensis episcopi commentariis illustrata, cum prævia epistola ad cardinalem Sirletum, interprete Jacobo Billio, in-8°, 1575, Parisiis, apud Joannem Benenatum.

Anno 1582, Lipsiæ typis Joannis Steiman prodiit in-8° (d), oratio Gregorii Nazianzeni *De Pentecoste* Græcæ et Latine, ex editione et cum scholiis Matthei Dresseri.

Anno 1591, S. Gregorii Nazianzeni definitiones rerum simplices incerti auctoris, et Maximi monachi definitiones, Græcæ et Latine ex versione Joannis Leuvenklaii, ex editione et cum notis Davidis Hoeschellii : Heidelbergæ, ex officina Santandreana in-8° (e).

Anno 1596, Nonni Panopolitani... et S. Gregorii Nazianzeni tetrasticha, disticha, monastica carmina cum versione Latina e regione, ex interpretatione Erhardi Hedenecii : Basileæ ad Lecythum Valdkirchianum, in-8 (f.)

(a) Cat. Bib. Reg., tom. I, pag. 330, sub num.
302.
(b) Ibid., n. 303.
(c) Ibid., n. 304.

(d) Ibid., n. 208.
(e) Ibid., n. 208 et n. 258.
(f) Ibid., n. 230.

Anno 1608, Gregorii Nazianzeni *Threododia*, seu poemation elegiacum de animi sui affectibus et miseriis, Græce et Latine : Ingolstadt, Adam Satorius, 1608, in-8°.

Anno 1619, Epistolæ Gregorii Nazianzeni : Ingolstadt. Elegantissima hæc est Epistolarum editio.

Anno 1658 prodit liber, cui titulus Ἐμπόρευμα εὐσεβείας, varia ex Patribus Græcis collectanea exhibens, atque inter ea « Gregorii Nazianzeni carmina quædam... » Omnia Græce cum interpretatione Latina et ex editione Joannis Gaspari Suiceri : Tiguri, Joan. Jacob. Bodmerus, in-12 (a).

Anno 1696, *D. Gregorii Nazianzeni theologi Carmina cygnea inedita*. Hæc continentur in libro, cui titulus : *Jacobi Tollii insignia itineris Italici* : Trajecti ad Rhenum, 1696, in-4°.

Anno 1709, carmina, sive epigrammata ccxxviii S. Gregorii Nazianzeni : Patavii, in-4°. inter *Anecdota Græca*, quæ Antonius Muratorius, ducis Mutinæ bibliothecarius, publici juris fecit.

Anno 1716, collecta D. Gregorii Nazianzeni plurima poemata in Latinum conversa, auctore Dionysio Gauller : Parisiis, in-12.

Editiones Vulgari sermone.

Quatrains sententieux de S. Grégoire de Nazianze, avec une brève exposition, tournés en vers français par Jacques de Billy : Paris, Guillaume Chaudières, 1576, in-8°.

1693. Orationes omnes Gallico idiomate versæ sunt per Nicolaum Fontaino, ut notatur in *Catal. Reg. Bibl. Parisiis*, 2 vol. in-8°, apud Joannem Pralard.

1735. Geminas orationes contra Julianum desertorem, a se Gallice redditas, cum notis edendas curavit ecclesiasticus Gratianopolitanus : Lugduni, in-12, apud Duplain

1747. Oratio I, sive *Apologeticus*, Gallice cum notis : Parisiis, apud Ludovicum Lottin, in-12.

De editione Græco-Latina Parisiensi 1630.

Nunc ad Græco-Latinam editionem, quæ Græcum Gregorii, et Latinam Billii interpretationem complectitur, veniamus. Non una est hæc editio. Prodiit primum anno 1609, deinde anno 1630, Parisiis, denique Coloniae, vel potius Lipsiæ; quæ editio ab aliis hoc solo discrepat, quod pluribus scateat mendis. Hanc magnifice commendat Fredericus Morellus « ut a nunquam satis laudato Billio diligenter collatam cum Regiis mss., et cum Medicæis Reginæ matris, necnon quos illustrissimus cardinalis Sirletus ex Italia miserat, denique cum codice quem ultro commodavit vir clarissimus Paulus Petavius, curiæ supremæ senator integerrimus; in cujus libri ora marginali variantes quidem lectiones, conjecturas et emendationes Billius operosa sedulitate adnotaverat, » etc. Hæc et alia mira prædicat. Rem tamen propius considerantes, fidem habere detrectant. Imo Parisiensibus typographis, pro laudibus tam impense dilectæ editioni concessis, « eos nihil minus præstitisse, quam quod polliciti erant (b), » a Montacutio objectum est, qui præclarum elogium irridet et depellit sic proseguendo : « Habebant fortasse, habere sane poterant, Regios, Regineos, Petavii libros, Sirleti, etc., sed, ut ille Epicteti lucernam, ad ostentationem, non ad usum; quippe qui deformarunt magis Gregorium quam fuerat in editione prima. »

Quid tum Parisienses, et fortassis ipse Morellus? ab ipsis audiamus : « Nec molestum, nec injucundum tibi, (lectori φιλαληθεῖ) inquirunt in præfatiuncula, si propositi consiliique nostri, ac non dubiæ destinationis in D. Gregorii Nazianzeni operibus Græce et Latine edendis te paucis admonemus. Sic igitur habeto, nos in animo habuisse hujus sanctissimi et eloquentissimi antistitis operum διγλωττων editionem aggredi ex codice Basiliensis εκδόσεως anni 1550 apud Hervagium, quem clarissimus vir Jacobus Billius, utriusque linguae peritissimus, cum Regiis codicibus Gallicis et cum Italicis accurate contulerat.... Verum enim quoniam non ubique cum ipsius Latina interpretatione conveniebant ejus emendationes et εἰκασμοί, multaque ab illo fuerant in textu deleta, quæ idem rursus δευτέρων ἀμεινόνων reponenda ἀναπισθεῖς censuerat, et contra sustulerat in Latina interpretatione, quæ in Græcis relicta erant; tantum sibi assumere noluit præfectus διορθώσασαι, ut de tanti

(a) Cat. Lib. Reg. tom. I, n. 271.

(b) Greg. Naz., in *Jul. invec.* duæ.

viri opere et ἀρχινολῶς sententiam ferret; maluitque de hoc sibi tradito exprimere, ac deinde in notis ac scholiis collectas varias lectiones repræsentare, quæque magis cum interpretum oratione consentirent, vel cum auctoris sensu convenirent, in locis ambiguis indicare.»

Quodnam autem «traditum illud, de quo bona fide correctioni præfectus exprimere maluit? Si traditum illud, is erat emendatus a Billio codex probe collatus et castigatissimus effectus;» cur ad calcem rejectæ Billii lectiones? Hominem quippe credas, quod solet, quodque prorsus hic operis necessarium, præ manibus habuisse Billii quoddam autographum; si minus «castigatissimum,» at e quo diligens saltem et acutus typographus expedire se utcunque posset. Sed neutrum usquam affirmat Genebrardus. Igitur «si traditum» illud nihil est nisi Hervagiana editio Basiliensis, unius, ut constat, Billii manu, liturisque tam confusa, tam perturbata, «ut quam λέξιν καὶ ῥῆσιν magis probaret, quam rejiceret, διαβήθη» nunquam exprimeret,» quod ipse fatetur atque etiam scribit Morellus; cur insertæ passim atque suffectæ Billii seu lectiones, seu conjecturæ; cum fatente Morello, ne obscure quidem, nec ullo modo unquam expresserit, quid probaret, quid rejiceret? Denique quis Hercules ad hoc «Augiæ» plusquam «stabulum repurgandum?» Et tamen huic operi admovetur «præfectus correctionibus typographicis;» qui forsitan vix, ut fere fit, Græce legere norat

Venia tamen digni videntur Parisienses editores. «Quid enim hic agas,» ut Morelli verbis utar, «ubi quam λέξιν καὶ ῥῆσιν magis probaret, quam rejiceret diserte nunquam (Billius) exprimeret? Ubi non ubique,» quod aiunt in altera præfatione, «cum Latina interpretatione conveniebant emendationes et conjecturæ: ubi multa in textu deleta, quæ idem Billius reponenda censuerat; et contra sustulerat in Latina interpretatione, quæ in Græcis relicta erant:» uno verbo, ubi nec Latina cum Græcis, nec Græca cum Latinis convenirent. Quid agas, inquam, nisi, nec Basiliensia, quæ plerumque deleta aut perturbata, nec Billiana quæ dubia penitus et incerta, sed inconditum quoddam, informe et ambiguum opus edas?

Ecce jam, non «propositum,» non «consilium ac destinatio,» sed opera Parisiensium editorum. Hoc eorum opus, ipsis fatentibus. Hinc mirari subit qui falso Græcis inscriptum doctissimi Billii nomen doctos pariter et indoctos in errorem induxerit, ut in hac editione, Græca meliora quam in Basiliensi sibi persuaderent. Inde Gregorius sub falsi Billii nominis umbra neglectus incultusque jacet, quia summa cura collatus cum mss. et emendatus a Billio temere prædicatur.

De correctione seu codice Billii.

Præ manibus habemus famosum Billii volumen, de quo tam mira Genebrardus, Morellus, alique prædicant. Chatardi primum, cui bibliothecam Billius legarat, tum Genebrardi, deinde in Petavii manus venit is codex. A Petavio senatore Parisiensi ad Richerios Sorbonicum doctorem alterum, alterum medicum fratris ejus filium, demum ad bibliopolas transiit. Hunc emptum vir clarus, librorum et litterarum amans, D. Baron Senonensis metropolis canonicus et promotor, cum de nova Gregorii operum editione cogitare nostrum audisset Louvardum, ipsi statim ultro obtulit librum, atque etiam generosius misit.

Liber editus est Basileæ apud Hervagium anno 1550. «In ora,» non tantum, ut Morellus ammonerat, sed intra lineas longe frequentius; «nec emendationes, conjecturas, lectiones» duntaxat, verum glossemata etiam, synonyma, et id genus alia, manu sua adnotavit Billius. Sed intra lineas ita plerumque hæc inserta, tam male picta, tanta confusione ascripta sunt, ut nec aperte, nec obscure, nulloque prorsus modo pernoscas, non dicam, quæ spuria sit, quæ germana lectio, sed ut ne divinando quidem assequaris, an illa lectio sit e manuscriptis eruta, aut e quibusnam, an glossa, an conjectura, an emendatio. Credo equidem, ne Billius ipse redivivus, quid sibi tum vellet, modo posset explicare. Pura puta sunt adversaria, in quæ aliud agentes scriptores cursim ac festinanter ex tempore mentem exonerant, sine serie, sine ordine, sine distinctione, ut nisi cito, aut perendie digerant, quid sibi voluerint, ipsi postea non intelligant.

Versionem suam primo quidem magnæ, tum secundis curis summa sedulitate Billius ad-

ornavit; ad idque consilii lectiones, scholia, glossas, conjecturas, emendationes in edito suo promiscue congescit. Verum de Græcis edendis, seu desperarit omnino, quod insinuat Genebrardus; seu quod verius, serio nunquam cogitarit; iis certe neque studium, neque curam ullam impendit; imo sic perturbata reliquit, ut quid rejiciendum, quid retinendum, ipsi editores non potuerint agnoscere nec quisquam possit intelligere. Nunquam Græca Gregorii Opera edere destinatum illi animo fuit: et certe, si id serio cogitasset, si operi manum admovisset, si quid promovisset, cur eo statu saltem Græca Nazianzeni non reliquit, quo Isidori Pelusiotæ epistolas, quas e Billii schedis triennio post ejus obitum Græce et Latine Chatardus excudi curavit: imo quo statu reliquit centum viginti septem ejusdem Gregorii epistolas, quæ Græce pariter et Latine ipso pene quo mortuus est anno prodire? Quid Chatardus, qui et in elogio Jacobi Billii, et in epistola ad Godefridum Billium ejus fratrem, deposita apud se Billii inedita opera, « velut posthumos » quosdam « libros » pollicitus erat, hunc nobis unum, et natu majorem, et parenti chariorem, et merito præstantiorem invidit? Primo namque conceptus a Billio fetus hic fuit, vixque Græcæ linguæ tyrocinia excesserat ille, « (a) Cum incescit ei cupiditas Latinitate hunc (Gregorium) donandi et an innumeris quibus scatebat mendis et salebris repurgandi. Totus erat (Billius) in Gregoriano illo opere, quod non immerito pistrinum suum, in quo diu ei molendum fuit, alicubi appellat.» Addit infra Chatardus: « Cupiebat et ipse (Billius) impense, dum superstes erat, ut Græcus sanctorum illorum Patrum quos transtulit, contextus ab ipso recognitus et ab innumeris mendis vindicatus recuderetur, maximeque D. Gregorii Nazianzeni... in quo castigando, convertendo et illustrando diu multumque se torsit... Sed hoc a bibliopolis nunquam consequi potuit, qui a Græcis et Hebræis edendis plane abhorrent. »

Id quidem impense Billius, et a primis fere Græcæ linguæ tyrocinii cupiebat, nullus dilito: Operi par erat, et confusa licet parata materia, feliciter tamen perfecisset inceptum, si spes edendi aliqua tum affulsisset. Verum cum nulla affulgeret, in Græcis operæ tantum collocavit, quantum interpretationi suæ conducere judicavit. Hoc fuit opus Billii circa Græcum Gregorii: hic unus labor, « in quo totus fuit, » cui etiam immortalis est. Cum autem Chatardus ait in elogio Billii: « Omnia D. Gregorii Nazianzeni Opera repurgata et multo auctiora facta, conquisitis nimirum undequaque veteribus Græcis exemplaribus, multisque ad eum missis... typis mandat, » etc.: ex his verbis discimus, quænam a Billio « repurgata, » et cui rei « conquisita, » missaque exemplaria Græca; nimirum « castigandis, recognoscendis, repurgandisque » pauculis Græcis, et Latine ipsius interpretationi editionique Gregorii perficiendæ, qualem extrema manu politam moriens anno 1582 Billius reliquit quæque anno sequenti e prelo egressa est: at Græcis orationibus, carminibus, et epistolis plus operæ præterea nihil impendit.

Si Græcus contextus a Billio est « collatus, recognitus, repurgatus, castigatissimusque » effectus, ut narrant Genebrardus et Chatardus; cur, quæso, viri docti Billioque conjunctissimi opus « castigatissimum » præ cæteris mandari typis non curarunt? Ergone id a bibliopolis consequi non potuerunt; qui recalescentibus paulo post Græcarum Hebraicarumque litterarum studiis, ipsius Nazianzeni plurima, tum Isidori volumen integrum, omnia, Græce et Latine vulgaverunt? Quin etiam haud ita multo post, ipsa Gregorii Nazianzeni omnia aliorumque bene multorum opera Græce et Latine typis elegantissimis edita sunt. Unum duntaxat addam: textus ille « expurgatus et castigatissimus, » quem Chatardus et Genebrardus viderunt, ille ipse est, quem exhibet emptum a D. Baron Senonensis metropolis canonico, missumque D. Francisco Louvard exemplar; quod opportune servatum non ex-cidit. Hinc certo discimus correctionem Billianam nusquam exstare, nusquam exstitisse, adeoque Parisiensem editionem non majori in honore, quam Basileensem habendam, de qua Billius: « Hervagianus codex, qui unus suppetebat, tot tamque sædis erroribus scatebat, ut ad hoc Augiæ stabulum repurgandum non uno Hercule opus esset. Nulla oratio, nulla propemodum pagina gravissimis mendis vacabat. Ὀλοσώματος, ut ita dicam, erat hæc plaga. » Chatardus etiam hæc de Billio scribit ad fratrem ejus Laudunensem abbatem, cui Bil-

(a) Elog. Billii, epist. ad Godef. Billium, oper. Gregor. ed. an. 1583, p. 1530.

lianum Isidorum nuncupat. « Pudebat enim eum, quod Græcia... tam doctum, tam disertum, tamque facundum auctorem et oratorem suum haberet tam mutilum ac lacerum, totque plagis confossum, ut semivivus relictus videretur. » Quæ cum vera sint, atque in Parisiensem editionem possint retorqueri, ut ex dictis constat, inde quoque constare debet necessariam esse novam Operum Gregorii Nazianzeni editionem; maxime cum nulla sit quæ omnia ejus Opera contineat, nulla quæ non innumeris mendis scateat. Ad novam igitur Operum Gregorii editionem adornandam nostri sunt aggressi. Primus operi manum admovit D. Jacobus Frischius; quo paulo post extincto, operi successit D. Franciscus Louvard; verum tot tempestatibus jactatus est ut rem infectam relinquere coactus sit. Tum partes illas suscepit D. Prudentius Maran, sed e transverso mors incurrens virum doctum abstulit, priusquam opus promovere, nedum perficere potuerit. Demum nos, licet impares tanto oneri, « in eorum labores, » inviti sed jussi, intravimus. Quid singuli in hac editione præstiterint, nunc exponendum.

§ II. QUID NOSTRI IN HAC EDITIONE OPERUM GREGORII ADORNANDA PRÆSTITERINT EXPONITUR.

Stadium istud qui prior ingressus fuerat, Jacobus Frischius morte statim est sublatus; quasdam tantum variantes lectiones reliquit.

D. Franciscus Louvard, qui successit operi, diu multumque insudavit, nulli pepercit labori. Ardentis ingenii impetum secutus, undequaque conquirebat quidquid propositum suum juvare posset. Quo factum est, ut immensam rerum ad Gregorii editionem necessariarum copiam congesserit. Omnes pene editiones comparavit, sive Græcas, sive Latinas, sive Græco-Latinas; ad quas, « omnia, si paucula quædam excipias, » a se exacta fuisse Gregorii Opera testatur. Has omnes longo ordine recenset, Basileenses, Billianas, etc., lectiones, quæ ad calcem editionum rejiciuntur: atque etiam si quas lectiones vel notas a viris doctis in ora librorum scriptas novit, tanta diligentia exquisivit, ut tandem reperit. Famosissimum volumen Basileensis editionis, in quo lectiones et emendationes, quæ e manu Billii ad oras et intra lineas scriptæ sunt, sponte sua benigne obtulit, ut jam dictum est, vir clarissimus D. Baron. Aliud ejusdem editionis exemplar, « cum emendationibus et adnotationibus scriptis manu viri docti » accepit a D. Naulin, viro cætera docto, atque imprimis Scripturarum studio clarissimo, in curia Parisiensi advocato. Exemplar istud Hervagianæ editionis, in Heinsii Bibliothecæ catalogo Lugduni Batavorum edito an. 1682, p. 7, n. 129 inscriptum est. Lectiones et emendationes sunt eleganter pictæ, sed Anglum, Calvini discipulum, sapiunt, ni fallor. Quasdam emendationes, quas in ora Parisiensis editionis anni 1630, olim apposuit doctissimus de Barcos abbas Sancygiranus, describi et ad se mitti, emendationes quoque ac notas a doctissimo Tillemontio ad oram Parisiensis editionis scriptas, et a domino Tronchai oblatas exscribi curavit.

Tandem copiosissimas lectiones, quas e Regiis, Colbertinis Mazarinæisque manuscriptis collectas, ad oram Græco-Latinæ editionis Parisiensis anni 1630 manu propria appinxit vir doctissimus, ac de litteris Græcis optime meritus R. P. Combefistus, Dominicanus, ipse sua exscripsit noster Louvardus: cui præterea R. P. le Quien doctrius, eruditione, scriptis clarissimus, e Dominicana familia, Parisiis ad vicum Sancti Honorati, sui decus maximum ordinis, emendationes et notas censorias in Billianam omnem operum Gregorii interpretationem, ab eodem Patre Combefistio elaboratas benigne tradidit; et quidem eo majori benignitate, quod ipse pene statuerat edere Gregorium, propter singularem theologi affinitatem cum Damasceno, cujus tum editionem adornabat.

Primum autem nostro Louvardo studium fuit scrinia bibliothecarum revolvere, et quidquid e re sua erat describere. Scriptorum manu codicum tantam reperit copiam, ut in his deligendis operæ plus insumptum, quam in inveniendis fatratur, atque ex iis immensam variarum lectionum copiam sive propria, sive aliena manu collegit.

His omnibus comparatis, præfationes, vitam auctoris, præfigendas singulis orationibus admonitiones, quidquid demum accuratam solet atque etiam debet editionem comitari, cumma diligentia ac celeritate parabat, atque eo progressu, ut fastigium operi imposuis-

set, ni continuis molestiis et impedimentis conflictatus fuisset. Demum incepto desistere coactus, nihil absolvit. Tum pependit interrupta Gregorii operum editio, minæque ingentes operum. Minæ, inquam, ingentes operum; nam præter Grægorii Opera, Eliæ in novemdecim orationes, easque insigniores ac theologicas; Nicetæ item in sexdecim alias Orationes commentaria; Basillii, medio sæculo decimo Ecclesiæ Cæsariensis episcopi longe optimi scholiastæ, in duas supra quadraginta orationes scholia; demum simul cum operibus Gregorii, plus septem scriptorum, quorum ne quidem nota sunt nomina, felus edere, imo præmittere statuerat. Pleraque parata erant, et quidem prelo maturiora quam ipsa Gregorii Opera.

Intermissum diu opus, tandem longo post tempore in nostri Prudentii manus pervenit, viri eruditione et laboribus Ecclesiæ utilitati impensis, nempe edendis sanctorum Patrum scriptis, clarissimi. Nemo certe e nostris ad Gregorii editionem concinnandam, et ad inceptum opus istud perficiendum magis idoneus. Verum suscepto operi serius manum admovit, nec multum acceleravit. Delectum quemdam variarum lectionum, quarum florem libaverat, ejus manu scriptum, et plurima carmina, quæ stricta oratione verterat Billius, ab ipso soluta oratione reddita reperimus.

Multum adhuc operæ et laboris impendendum supererat, ad perficiendam Operum Gregorii editionem. Collati quidem erant manu exarati codices orationum, epistolarum et carminum; sed variæ lectiones adhuc dissipatæ, in chartis tantum descriptæ, necdum ad oram exemplaris edendi appictæ. Quemadmodum priusquam domus ædificetur, res ad ædificandum necessariæ, materia, calx, cæmenta, ligna, et quæcunque ædificanti sunt necessaria, præparantur; sic quæ ad editionem Gregorii necessaria, præparata quidem, sed nondum tractata et elaborata: variæ lectiones sanandis Græci textus locis depravatis præsto erant, sed nondum adhibitæ; adeoque emendandus supererat textus, emendanda quoque Billii interpretatio. Concinnanda erat vita Gregorii; ad quod opus fragmenta Gallica Tillemontii commentariorum, quæ omnes vitæ ipsius annos minime complectuntur, præcipue suppetebant. Notæ sive observationes, aliaque plurima quæ requiruntur ad editionem, nondum elaborata: hæc omnia pro viribus præstare conati sumus.

Primum id nobis studium fuit varias lectiones cum edito Gregorii textu Græco conferre, loca corrupta sanare, ut sua textui puritas restitueretur, suisque nitor redderetur. Ad interpretationem quod spectat, Billius vir utriusque linguae peritissimus, Gregorii Opera tam felici successu Latine reddidit tantoque apud omnes in honore est ejus interpretatio, ut temerarius certe auditurus sit, quisquis novam adornare tentaverit. Nihil tamen eo de Billiana interpretatione judicio deterritus noster Louvardus, aliam sibi elaborandam putaverat, et in vertendis duabus orationibus, nempe prima et secunda, al. 1^a et 41^a, rei periculum fecerat: verum mutata sententia incepto destitit, et Billianam interpretationem servare decrevit. Idem fuit consilium nostro Prudentio. Utriusque vestigiis inherentes, eam e regione Græci contextus sartam tectam servavimus; et si quando a mente Gregorii Billiana interpretatio aberrare aut eam non satis assequi visa est, aliam textui inserere non dubitavimus, vel in notis subjicere, lectorem monendo. Id autem de orationibus tantum et epistolis intelligendum; nam de carminibus aliud fuit consilium. Cum enim Latina Billii carmina Græcis Gregorii carminibus non satis respondeant, visum est Græca pedestri sermone reddere, Latinis Billii versibus ad marginem inferiorem rejectis.

Priusquam autem ulterius progrediamur, hic obiter exponendum quoniam sint manu exarati codices, excusi a D. Louvardo, quibus usi sumus.

§ III. NOTITIA VETERUM CODICUM, AD QUOS GREGORII ORATIONES EMENDAVIMUS.

Plurimos et quidem probatissimæ notæ codices in consilium adhibuimus. Hos inter unus est Regius, olim num. 1809, nunc autem num. 510 tota republica litteraria famosissimus, qui solus e Gallicanis omnibus cunctas Gregorii orationes continet. De quo Billius: « Tuli, inquit, amplissimum codicem capitalibus litteris exaratum, tantum antiquitatis præ se ferentem, ut ipsius Gregorii propemodum ætate scriptus esse videretur, qui præter epistolas et versus, omnia ipsius Opera continebat. Quem cum paucissimis diebus incre-

dibili celeritate perlegissem, ex eoque innumera loca, quæ in impresso vitiose legebantur integritati suæ restituissem, statim eum Athenas (quo enim alio nomine incomparabile illud bonarum omnium litterarum gazophylacium appellem?) referendum habui. » Quantum festinaret Billius, hic ex ipso discimus, ac de Græcis « integritati suæ restituendis » eum non cogitasse, nisi quoad versionem suam satis haberet.

Famosi illius codicis, omnium quotquot in Regia bibliotheca Græci asservantur ornatisissimi, formam ex catalogo bibliothecæ Regiæ expressam oculis subjicere, nec molestum nobis, nec forsani ipsi ingratum lectori. Membranaceus codex est, totus a capite ad calcem uncialibus litteris oblongis et ad sinistram paululum deflexis elegantissime descriptus, cum accentibus prima manu. Columnis duabus paginæ distinctæ: tituli orationum in membrana aurea exarati: singulæ ferme distinctiones majores, aut periodi, litteris aureis, pictisve figuris incipiunt. Initio imagines quinque paginas singulas occupant: primæ, tertiæ et quartæ membrana cærulea; secundæ vero et quintæ, aurea.

I^a Christus in cathedra sedens, et sinistra manu librum resignatum tenens. In libro hæc leguntur: *Ειρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι*, id est, *Pacem meam do vobis*^a. Cætera deleta.

II^a Tres figuræ stantes cum diadematis et aliis imperii insignibus. In medio Eudocia Augusta, dextra sceptrum, sinistra globum tenens. Juxta duo filii; hinc Leo Despotæ, inde Alexander. Uterque sinistra globum gestat. Imaginem ambit limbus quidam cæruleus, in quo hi versus albis litteris sunt scripti.

Εὐκκληματοῦσαν ἄμπελόν σε τοῦ κράτους
 Βότρυς φέρουσαν τοὺς γαληνοὺς δεσπότης
 Βασίλειος πρόηξε Ῥωμαίων ἀναξ
 Μεθ' ὧν προλάμπεις, Εὐδοκία φωσφόρος.
 Felicem te palmitibus vitem imperii
 Racemos ferentem, serenos scilicet principes,
 Basilius promovit Romanorum imperator
 Cum quibus præfulges, Eudocia lucifera.

III^a et IV^a cruces duæ aureæ gemmatæ cum simbris utrinque pendentibus et hac inscriptione *IC XC ΝΙΚᾶ*. « Jesus Christus vincit. »

V^a. Tres figuræ stantes. In medio Basilius cum imperii insignibus. Dextra Elias propheta, rosei seu lucidi coloris veste indutus, labarum manu elatum tenens, et Basilio quasi porrigens. Læva Gabriel archangelus, alatus et habitu imperatorio, diadema Basilii capiti imponens. Imaginem totam ambit inscriptio, seu tetrastichon, cujus versus primus deletus est: reliqui tres etiamnum legi possunt.

Νικῆν κατ' ἐχθρῶν Ἥλιας ὑπογράφει·
 Ὁ Γαβριὴλ δὲ τὴν χάραν προμηνύει,
 Βασίλειε, στέφει σε κόσμου προστάτην.
 Victoriæ de hostibus Elias designat,
 Gabriel autem gaudium annuntians,
 O Basili, coronat te orbis rectorem.

Ex his figuris apparet scriptum esse hunc codicem ante annum 886, quo anno obiit Basilius imperator, cognomento Macedo, maritus Eudociæ, Leonis Sapientis et Alexandri pater

Præterea in eodem codice una et quadraginta imagines sunt amplissimæ; totque olim erant, quot orationes. Sed ex illis integræ novem desiderantur. Ex iis quæ supersunt novem decemve ad historiam ecclesiasticam, maxime Gregorii nostri, pertinent. Orationum ordo in hoc manuscripto ad chronologicum proxime accedit, initio maxime. Prima namque est, « in Pascha et tarditatem, » quæ male in editis *XLII* est.

Codicem hunc cum omnibus editis orationibus noster Louvardus contulit, quem his litteris designat *b m*, quia tempore Basilii Macedonis scriptus ipsique oblatas.

Longum esset ire per singula: sat erit codicum quibus usi sumus, quique a nostro Louvarde collati sunt seriem texere, cum notis quibus indicantur.

^a Joan. XIV, 27.

Catalogus mss. codicum, quibus in emendandis Gregorii Operibus usi sumus.

NOTÆ INDICES.

REGII.		
	Olim. nunc.	
a.	1914. 512.	Membranaceus, Francisci I Parisiensibus editoribus 1 ^{us} . Maximam partem manu antiqua ineunte sæc. xi exaratus videtur.
b.	1916. 517.	Olim Medicæus, ante annos saltem 700 videtur scriptus; sed Oratio in pascha et tarditatem, nunc 4, recentiori manu.
c.	2296. 550.	Codex sæculo xiii elegantii manu scriptus, litteris aureis initio orationum, et picturis ornatus. E Bibl. Petaviana in Regiam transiit.
d.	2297. 542.	Circa decimum sæculum; præfert nomen Joan. Gaddi.
e.	1915. 571.	Olim Medicæus, xv sæculi.
f.	2311. 541.	Codex optimæ notæ, olim Mazarinæus, ante annos 700 ad minus, scriptus elegantissime.
g.	4820. 1173.	Olim monasterii Cryptæ Ferratæ, anno 950 descriptus; inter multa sanctorum Patrum opuscula, septem Gregorii orationes continet.
h.	2426. 858.	Duas tantum Gregorii orationes, variorum opusculis permistas habet: xii sæc. exaratus videtur.
l.	2886. 984.	Chartaceus, xiv sæc.
m.	4913. 573.	Membran. Basiliï scholia in orationes Gregorii quadraginta quinque continens: xi, ut creditur, sæculo exscriptus.
n.	2315. 570.	Chartaceus xiv sæc.
o.	2885. 996.	Anonymi scholia in Gregorii orationes quatuordecim continens, xii sæc.
ph.	1917.2. . . . 523.	x vel certe xi ineunte sæc. videtur exaratus. Longe optimæ notæ liber, qui passim ac ubique pene cum famosissimo cod. 510, olim 1809 consonat; vel eo etiam emendatior. Paucissimis amanuensium sphaematibus dehonestatur: xvi tantum orationes representat. Ludovico magno, anno 1701, ab archiepiscopo Philippopolitano oblatus est hic codex.
q.	1917.1. . . . 518.	Membranaceus, Francisci I sub finem x sæc
r.	1918. 516.	Item Francisci I. Parisiensibus II ^{us} , x sæc.
t.	2299. 554.	Membranaceus, xiii sæc. orationes decem et septem continens, quarum initio leguntur carmina argumentum explicantia: editis in omnibus fere concors. Henrici IV nomen et insignia præfert.
u.	2308. 524.	Ante annos 500 exaratus, optimæ notæ, et optimis lectionibus refertus. Ideo hac nota, Cypr. quandoque designatus, quod Vauslebius huic emit Nicosiæ in Cypro, et in bibliothecam Regiam detulit, anno 1671.
Vel Cypr.		
v.	2310. 540.	Membranaceus, olim Mazarinæus, xii sæc.
x.	2312. 553.	Olim Mazarinæus, novem tantum orationes habens, quibus Nicetæ commentarii accedunt, xiii sæc.
y.	4921. 526.	Membranaceus, xi sæc. ex Oriente in bibliothecam Regiam, anno 1669 illatus.
z.	2300. 536.	Membranaceus, xiii sæc. Quibusdam orationibus addita sunt scholia.
bm.	1809. 510.	Celeberrimus codex, de quo supra dictum est.
hu.	2302. 552.	Membranaceus, xiii sæc. ex bibliotheca Huratii Boistalerii in Regiam illatus.
Chrys. 543.	xii sæc. exaratus, et Ludovico XV oblatus a Chrysanto patriarcha Hierosolymitano.

NOTÆ INDICES.

COLBERT.

Codices olim Colbertini dein Regii.

Vel.		Olim. nunc.
a	1. 3062.	2294. 576. 3.3.
b	2. 2696.	1917. 528. 5.5.
c	3. 2695.	1918. 545. 3.3.
d	4. 4241.	2891. 977. 3.5.
e	5. 2776.	1918. 529. 5.5.
f.	6. 2792.	2308. 547. 4.4.
g.	g. 2194.	2297. 575. 2.
h.k.	8. 4542.	2501. 569. 3.
i.	9. 642.	1914. 552. 5.
l.	10. 929.	2348. 766. 3.
m.	11. 4248.	2308. 515. 5.

Alii codices manuscripti.

- Or. 1. 74^{us} inter cod. mss. Oratorii Domini Jesu in vico Sancti Honorati, Paris.
Jes. 65^{us} inter mss. cod. collegii Ludovici Magni, via Jacobæa.

- Pass.** Cod. mss. eminentissimi cardinalis Passionæi.
Val. Cod. mss. ex bibliotheca Vaticana.
Coisl. Cod. mss. D. de Coistin, nunc in bibl. S. Germani a Pratis.

Codices excusi.

- Ald.** Aldi Manutii editio anni 1516.
Bas. Basilii Scholiastæ lectiones.
Bil. Billius, Billianæ editiones, ac lectiones mss.
Bod. Bodleianus codex in Montacutio.
Comb. Combefisii lectiones.
El. Cret. Elias Cretensis.
Gab. Gabrielii lectiones.
Heins Heinsiani codicis lectiones.
Herv. Basileensis editio apud Hervagium, 1550.
Leuv. Leuvenklai editio.
Mont. Montacutius.
Ox. Oxoniensis codicis lectiones apud Montacutium.
Par. Parisiensium editio 1609 ac deinceps.
Sav. Savilius.
Saucig. Saucigyransensis emendationes.
Sch. Andreae Schotti in Montacutio Schedæ.
Syr. Syrleti mss. in Bill. lect.
Th. Codex mss. D. Thomson in Montac.
Till. DD. Tillemontius.
Tr. Codex mss. S. Trinitatis apud Montac.
Vaq. Vaquerii codex in notis Parisiensibus.

Hi sunt libri majoris momenti, tam manu scripti, quam excusi, quorum subsidio novam Gregorii Operum editionem adornare, inceptumque opus et diu interruptum prosequi et absolvere tentavimus. Multo plures codices manuscriptos evolvimus, quorum seriem integram ibi texere longum fuisset: præcipuos designare satis visum est; cæteros acervatim generali nuncupatione in notis appellavimus, maxime dum in eandem lectionem convenirent. Optimas quasque ex omnibus variis lectionibus selegimus, easque vel textui inseruimus, ut corruptis mæderemur, si eas in contextum referri vulnus postulavit, apposita ad marginem nota quæ lectorem emendationis commonefaceret, vel in margine inferiori subjecimus. Sunt aliquando longiores notæ, cum explananda difficultas occurrit, vel spinæ, quas sibi non recidi lector ægre ferret. Orationum, quæ ordine temporum collocantur, fronti præfixæ sunt admonitiones, in quibus tempus quo habita quæque est astruitur, et argumentum exponitur. Exspatiantur illæ nonnunquam fortassis longius, sed rei gravitas, vel difficultates, quæ intra notarum angustias concludi vel dissolvi non poterant, brevioribus esse non permisit. Orationes in capita, seu numeros divisæ, ac temporum ordine sunt collocatæ. Minutus autem earum numerus, nedum auctus: quippe ex illarum numero reseclas quatuor, inter spurios fetus amandarimus. Geminas quoque ad Cleonium litteras, et unam ad Neclarium ex orationum classe remotas, ad propriam sedem inter epistolas revocavimus.

Tandem præfari desinam, postquam virorum doctorum, qui amicam porrexerunt manum, officia commemoravero. Primus sese offert vir e Regia numismatum, inscriptionum, humaniorumque litterarum Academia clarissimus, ejusdemque Γραμματεὺς, D. Dupuy, in quovis scientiarum genere et linguarum, maxime Græcæ, versatissimus et peritissimus; qui non perfunctorie, sed diligenter censoris vices agens, singula prout subjecta prelo exibant folia, nihil cunctatus, ea legere solitus et expendere; atque ut vir ille bonus et prudens, de quo Horatius, culpabat dura, mutanda notabat, ambigue dicta arguebat, parum claris addere lucem monebat, etc. Quantum ipsi debeamus vix dicere, nedum gratias, quantas debemus, possimus referre.

Vigilantissimi et doctissimi Regiæ bibliothecæ curatores, D. Caperonier et D. Bejot, ditissimum hunc thesaurum peramanter pro more reserarunt; nec modo uti permiserunt, sed et manu exaratos codices, quos vellem, ad nutum benigna manu suppeditarant.

Vellem nec ego cunctis, qui suppetias contulerunt, imprimis bibliothecarum præfectis, non tantum Gallicanarum, sed etiam exterarum, grates pro suis in nos beneficiis dignæ rependere.

Eminentissimus cardinalis Passionæus, qui dum viveret litteras amabat et fovebat, litteris ipse ornatissimus, his nostris favebat studiis, ut argumento sunt plures datæ ad nostrum Franciscum Louvardum et Prudentium Maranum litteræ, quibus propensa in nos nostraque studia, ac contestata humanitas, et amor litterarum, quas ipse non colere solum, sed ornare studebat. Permultas ex variis codicibus manu scriptis, non tantum suæ ipsius bibliothecæ, sed etiam Vaticanæ, lectiones varias, tam orationum, quam epistolarum, atque etiam carminum describendos eleganter, ipsisque mittendas curavit. Ad opus strenue agendum cohortabatur, significans summum pontificem (is erat felix memoriæ Benedictus XIV) in magno hujus editionis esse desiderio, et Sanctitatem Suam una secum de illo opere frequentem habere sermonem.

Insignis abbatæ S. Germani bibliothecarius, e charissimis nostris sodalibus unus, D. Patert, ex pluribus codicibus scriptis manu, non tantum S. Germani, sed etiam Regiæ, Claromontanæ, etc., varias lectiones, et quidem elegantissima manu et sagaciter descriptas liberaliter subministravit D. Prudentio Maran. Alias quoque alter e nostris, a se descriptas, D. Andreas Brion peramanter obtulit.

Nec tacitum relinquam dilectissimum sodalem D. Danielem Labbat, qui diligent et multo labore indices locupletissimos adornavit, nec D. Dionysium d'Olive, qui menda typographica corrigendi libenter in se curam suscepit, et operam studiose prosecutus est. Jam faxit Deus ut noster hic quantuluscunque labor in usus cedat Ecclesiæ catholicæ, cui quidquid fecerim totum consecro, quidquid scripserim totum submitto.

SECUNDA PARS.

DEFENSIO GREGORIANA.

§ I. DEFENSIO GREGORII ADVERSUS TOLLIIUM.

Plures non tantum ex heterodoxis, quod mirum non est, sed etiam ex Catholicis, Gregorio parum æquos se præbuerunt, imo eum conviciis lacessere, calumniis atque etiam falsis criminibus insimulare ausi sunt, quorum petulantiam frangere et contumelias juvat retundere. Singulorum tamen calumniis et dieteriis in Gregorium refellendis non immorabor. Missis igitur Dallæi, Clerici, Basnagii, etc., sat erit Tollium qui eos imitatus est, castigare, et diluere quæ adversus Gregorium falso et inverecunde scripsit. Is quidem in scriptis Theologi versatissimus, sed in auctorem iniquissimus, tam multa huc illuc, tamque injuriosa viro sancto sparsit in argumentis et notis quorundam carminum, quæ ipse vulgavit anno 1690, ut omnia proferre longum foret : præcipua tamen delibare, et falsa ostendere, animus est.

Primum quidem in argumento, sive « causa scripti » carminis, quod Gregorius « de se ipso et adversus episcopos » condidit, quodque Tollius Græcæ primus vulgavit, sic amaris salibus poetam carpit : « Cum vero omni vita, tum et cultu victuque monachum potius severissimæ integritatis, quam tantæ dignitatis ageret ac referret episcopum ; ad hæc et altiores ob eruditionem defensamque SS. Trinitatis doctrinam spiritus gerere videretur, Ciceronianæque imbecillitati affinis, ut ille consulatum suum et expulsum urbe Catilinam omnibus tantum non horis memorabat, ita et ipse contusos Arianos et suam Triadem assidue prædicaret, ingentem sibi quorundam suorum presbyterorum, aliorumque episcoporum conflavit invidiam . . . Sero sapiunt Phryges. Gregorius, qui promptissimum hunc assensum non exspectarat ; propria se captum videns ingenuitate animi, quanquam statim facti pœnitebat, pudore tamen adductus, in sententia perstitit . . . Hinc statim natæ hæc querelæ, hinc illæ, ut ita dicam, lacrymæ et cæteri thrœni, in quibus et patientiam, et animi robur, ac moderationem in tam probo viro desideres . . . Ciceronem sane nemo

melius expressit vita, moribus, eloquentia, fortuna, usque in exsilium; et in exsilio, uter mollior vix quisquam dixerit.»

Neque vero his contentus Töllius, Gregorium adhuc gravius perstringit in notis ad carmina a se vulgata. Ad primum versum carminis adversus episcopos (p. 4) : « Est in hisce vir, inquit, sanctissimus aliquid humani passus; optimi quidem consilii atque voluntatis, sed in ferendis injuriis aliquanto quam oportebat mollior, minusque a conviciis et acerbitate, quæ Christianum dedecet, temperans. » Quin et hæc scripta esse dixerat Töllius, aucto ex pœnitentia et adversariorum ludibriis dolore, irritatique inde in hanc veluti vindictiam ægri jam nimis animi perturbatione. Ad versum 18 ejusdem carminis, ubi ait Gregorius : « Neminem in iis quæ dicam indicabo; attamen », inquit Töllius (p. 5), « id carmine de vita sua impigre et peracerbe fecit; » id est, nominavit. Addit insuper Töllius (p. 6) : « Ita exacte iis designatis, quos perstringit, ut nominasse non opus fuerit; sed et alibi Maximum nominat . . . ejus comam adeo satyricè exagitat et adeo aspere, ut nihil supra. Quid? inquit, laqueum proponere inimico ad suspendium, ut nihil de conviciis istis dicam, hominisne est Christum sectantis? Non videtur. Denique » ad carminis 5, vers. 1, (p. 84) « Capistrum ori suo impositum, præreptamque docendi publice facultatem Gregorius gravissime tulit et. . . acerbis questibus deplorat; ergo nunc in adversarios suos, qui eum malis artibus ad episcopatus abdicationem compulerant, satyricè invehitur. »

Gregorio æquior non fuit Dupinius, qui de eo talia scribere non est veritus (a) : « Gregorius quidem piissimus fuit, sed homo paulo minus consideratus, et negotiis ineptus. Tanto solitudinis desiderio flagrabat, ut nullo, quod ab ea retrahebat, officio diu fungi posset. Aggredi res arduas, moxque susceptas relinquere pernix. Cum tres episcopatus habuerit, ne unum quidem legitime habuisse dici potest. Ingenio erat Gregorius moroso et satyrico, et ita ad jocandum procax ut nemini parceret, ac ne quidem episcopis, quibus erat apprime infensus. Ita, quem impense prius laudarat, Maximi famam atris admodum et ad stuporem infuscavit coloribus ac denigravit. »

Vellem ut eruditi viri qui hæc de Gregorio sentiunt et dicunt, nomina eorum, quorum famam maligno dente prosciderit, in medium proferrent. Nam quod spectat Maximum, quem unum opponunt, nihil moror. Interea vero nobis fas est his conviciis et calumniis omnia Gregorii opera tam orationes, quam epistolas et carmina opponere. Legantur, inquam, orationes, maxime quas habuit de moderatione in disputationibus servanda, etc. Legantur epistolæ, in quibus, velut in filio, parentis imago resplendet. Ibi liberales joci, jucundissimus in jocando lepos, argutiæ meræ ac venteres, sed satyræ nullæ. Legantur epistolæ ad Theodorum et ad Theoctenum (b), quorum iram, desideriumque vindictæ suo ipsius exemplo comprimit. Legantur etiam carmina (c) : legantur, inquam, vel ea ipsa unde calumniandi ansam arripuit Töllius. Hanc sibi statim regulam statuit Gregorius : « Conviciis quidem exagitare fas non est quemquam; et ut homines cuncti ab eo abhorrent, ita peculiariter ipse vitium hoc odi. » Vel, ut ipse vertit Töllius (p. 5) : « Neminem vero in his quæ dicam, indicabo, veritus ne quemquam calumniari videar; quæ res et per se illicita est, et mihi præ primis exosa. Non enim quemquam designabo, ne proferre videar in lucem quæ occultanda erant. » Et paulo post (d) : « Et quinara sint mali patebit deinceps, ubi meam orationem oppugnans manifesto te tuimetipsius accusatorem declaraveris. » Nimirum, ut cum Tullio loquar (e), « ego neminem nomino. Quare irasci nemo mihi poterit; nisi qui ante de se voluerit confiteri. » Quæ verba Hieronymus ad Nepotianum (f) de clericorum vitiis et ipse disputans usurpat, ut ad Rusticum (g), ex prologo libri tertii, Phædriana : « Qui generalem de vitiis disputationem in suam referunt contumeliam . . . suam indicant conscientiam; » vel ipsissimis Phædri verbis elegantius, « stulto nudabunt animi conscientiam. » Unde Hieronymus *contra Rufinum* generaliter pronuntiat (h) : « Quando sine nomine contra vitia scribitur; qui irascitur, accusator sui est. »

(a) *Bibl. eccles.*, t. II, p. 655

(b) *Epist. al.* 81 et 198.

(c) *Carmin. de seipso et adversus episcopos*, v. 10 et seqq.

(d) Vers. 29.

(e) *Pro lege Manil.*, c. 15.

(f) *Hier. ep.* 35, t. IV, par. II, p. 266.

(g) *Id.*, *ibid.*, *epist.* 95, p. 771.

(h) *Adv. Ruf.*, lib. I, t. II, part. II, p. 361.

Conticescant igitur atque erubescant, qui Gregorio crimina inferunt, quæ oderat, et a quibus « peculiariter abhorrebat. » Neminem quemquam conviciis, vel satyris lacessivit, nec nisi generalis ejus de vitiis est disputatio. At nominavit Maximum, inquires. Quidni nominasset Proteum illum, lupum, Christiani orbis totius fabulam, notumque perturbatorem? Hoccine demum est denigrare hominem? Hoccine famam ejus atris admodum et ad stuporem coloribus infuscare? Imo vero, qui talia fatur, nivem aspergit nigredine, ut Æthiopem lavet; et viro sanctissimo infamiam inurit, ut perditam impio famam restituat. Quid quod longe graviora de Maximo reticet Gregorius?

Verum (a) « cæteros ita designat, ut nominasse non opus fuerit. » Fatemur id quidem. Qua vero cautione, quæso, attendas. Primo namque, ne in episcopalem ordinem dicenda derivarentur et redundarent admonet Gregorius: « Non omnium, inquit (b), mentionem faciam . . . Nam multos etiam novi, de quibus loquendum est honestius. Verum quisquis improbus est, et plusquam improbus, vinci se domarique patiatur (c). Mali quidquid est vulnerabit orationis gladius; imo sicarios et homicidas, qui falsis sermonibus atque figmentis, » pastores ipsamque doctrinam infamantes, « innoxium animarum sanguinem effundebant. » Verbo dicam, lupos pastores insectatur, doctores spurios et adulterinos. Putasne vero nunquam licere, laudabile nunquam esse, ovinam pellem ac larvam lupis detrahere, ut detecti cognoscantur? « Si reipublicæ interest cognosci malos; » profecto interest Ecclesiæ, minus catholicos, falsosque pastores cognoscere. Et qui larvam detrahit, ut cognoscantur, ne mactent et furentur, is laudabilis est.

Id præstitit Gregorius, qui posthabito privato commodo, periclitantium saluti animarum Ecclesiæque totius consulens, in improbos et vitia calamum strinxit; nihil nisi claritatem, nisi pacem spirans (d). Ista flens potius quam mordens scripsit; imo « ludens » nonnunquam, quia ridiculum acri res fortius ac melius plerumque secare noverat. Miror virum, alioqui ingenio perspicaci, lusum non intellexisse, ubi Gregorius, dubium de coma quid faciat ac propemodum desperantem cynicum fingens, sermonem jam tritum ei proverbium festive suggerit: « Reliqui tibi præter malam crucem jam video nihil. » Quis vanam Tollii (e) exclamationem risu non excipiat? Cui, inquam, risum non moveat hæc verborum Gregorii acceptio? « Quid? Laqueum proponere inimico ad suspendium, hominisne est Christum sectantis? » Quis enim mitior Gregorio? Etiamsi scripta tacerent facta, ipsa Maximi historia, acta concilii, sicarii, lapides quos excepit, nec quemquam ulcisci passus est.

In his quæ objiuntur Gregorii carminibus, nihil, aut fere nihil quod in *Apologetico* suo et alibi passim ad populum orationibus non reperiatur; imo nihil quod in suis *De sacerdotio* libris non scripserit paulo post Chrysostomus. Non igitur animi « imbecillitate, » non « ægritudine, » non « impositi capistri » dolore, non abdicati « pœnitentia » episcopatus, quæ nulla fuit, illa conscripsit Gregorius. Figmenta hæc sunt ab heterodoxis prolata, male a quibusdam Catholicis repetita. Apage ergo, Tolli, lepidam hanc tuam, imo injuriosam in Gregorium comparisonem, qua Theologum cum Cicerone componis; hoc est, « ita animo perculso et abjecto, ut sine sermone ullo, sine cogitatione ulla jaceret, » ut « (f) mentis errore teneri » vulgo crederetur (g). Quid confers violentum coactum Tullii exsilium, cum voluntaria Gregorii, et expetita, atque etiam extorta ab imperatore, et omnium ælatum admiratione digna, Constantinopolitanæ sedis abdicatione? (h) Quid puerum tantum non ejulantem, et fletibus, ne scriberet, « impeditum, » cum athleta et glorioso « confessore » componis (i)? Legesis omnes ad Atticum epistolas, quæ libro tertio continentur, Liviique Historiarum librum cxx, et tuæ te pudeat comparisonis.

Denique quid ambitiosa illa Ciceronis et usquequaque fusa jactantia, cum assidua, cum modesta, cum necessaria et religiosa prædicatione Trinitatis? Quid Christi ad Belial?

(a) Toll. not. ad v. 24 carm. 1, p. 6.

(b) Vers. 23 et seqq.

(c) Carm. al. 12, v. 12, 15-17.

(d) Carm. al. 1, v. 6.

(e) Vers. 939.

(f) *Ad Attic.*, lib. III, epist. 2.

(g) *Ibid.*, ep. 12.

(h) *Ibid.*, ep. 14.

(i) *Ibid.*, ep. 10.

Quid hic theologo sanctissimo cum oratore profano? Quid humilitatis Christi discipulo, cum turpi et abjecto gloriæ mancipio, quem gloriolam, veritatis dispendio, corrogare non pudet? *Ardeo*, inquit epistola ad Luceium (a), « cupiditate incredibili. . . . nomen ut nostrum illustretur, et celebretur tuis. . . . Itaque te plane etiam atque etiam rogo, ut et ornes ea vehementius etiam quam fortasse sentis. . . . amorique nostro plusculum etiam, quam concedit veritas, largiare. » Item ad Atticum epistola 58. « Epistolam, inquit, Luceio quam misi, quares meas ut scribat rogo, fac ut ab eo sumas; valde bella est; eumque ut appropere adhorteris, et quod mihi ita se facturum rescripsit, gratias agas. » Quis tulerit cum homine tam glorioso Gregorium componi? Nequidem ratione eloquentiæ comparari posse concederem. Argutum namque, acutum, et plane laconicum scribendi genus, sectatus est Gregorius; Tullius vero, ut scribit auctor (pag. 78), « obstetricis animorum » Edm. Richerius, « Asianum et redundans » potius quam atticum et pressum affectavit. In Dialogo de oratoribus, « elumbem et enervatam Ciceronis eloquentiam » vocat Brutus. Diutius forsitan his refellendis immoror, quæ ridenda potius et contemnenda, quam serio erant refellenda. Veruntamen cum lectores nonnulli sint, quibus plus religionis quam scientiæ inest, et quorum conscientia infirma ac timida lædi posset carminibus adversus Maximum et episcopos scriptis; juvat hos ex animis scrupulos evellere, quinam illi sint episcopi, quos exagitavit Gregorius, ostendendo; ut merito exagitatos, atque etiam dure increpitos, quilibet intelligat.

Primo quidem nemo nescit correctionis fraternæ præceptum esse tam in veteri quam in nova lege: « Non oderis fratrem tuum, » ait Moyses ³, « sed publice argue illum, ne habeas super illo peccatum; » Matth. xvii, 16, 17: « Si autem te non audierit (frater tuus), adhibe tecum adhuc unum, vel duos testes. . . . Quod si non audierit eos: dic Ecclesiæ. » Quin et ante legem scriptam, naturæ vi et charitatis, eo quisque officio tenebatur, imprimis præpositi, parentes, magistri, pastores. Ab ipsa enim natura et charitate, qua proximi salus nobis cordi esse debet, hujus præcepti necessitas fluit.

Potest itaque, atque etiam debet et tenetur, qui scientia, dignitate, et officio eminet, arguere peccantes, « dure » etiam interdum « increpare, » maxime « ut sani sint in fide⁴, » ut vitentur improbi⁵, idque nominatim ut discipulus, quem diligebat Jesus⁶; vel graphice, ut apostolorum Princeps⁷, ac Jud.⁸, perstringere, atque etiam publice traducere. « Manifesta enim peccata, » ut inquit Gregorius alter et ipse Magnus (b), « non occulta correctione purganda; sed palam sunt arguendi, qui palam nocent. » Apostolo præcipiente: « Peccantes coram omnibus argue⁹: » quod Christus docuit et fecit, « acerbe et amare, » ut ait Augustinus (c); « sed amando, » quos arguebat Judæos. Hoc a prophetis et apostolis egregie præstitum nemo nescit.

Ecclesiæ certe interest « hypocritas, falsos propnetas, » lupos sub ovina pelle latentes dignosci, ut in odium adducantur et fugiantur a simplicioribus, ut nemini noceant (d). Hæc omnia charitatis erga proximum, erga Deum et Ecclesiam, officia fuere in Christo, in Joanne, in Stephano, cui « lingua ferox, lene cor; » qui « sæviebat et amabat. » Hæc etiam in Theologo aliisque viris sanctis, quos aliquando Dei gloria, zelus domus Dei, imminetia simplicibus mala, oppressa calumniis innocentia, religio, acrioribus verbis impios exagitare compulerunt, charitatis officia fuisse dubium non est.

Nunc qui et quales fuerint episcopi, quos Gregorius in carminibus exagitat, et quæ facies Ecclesiæ totius fuerit, dicamus (e). Theodosius magnus anno 380 sacro fonte ab Ascholio Thessalonicensi episcopo lustratus « aureum ad populum urbis Constantinopolitanæ » edictum dedit, quo sancivit « judicandos plectendosque hæreticos, » qui « quom pontifex Damasus Petrusque Alexandriæ episcopus sequebantur, fidem non amplecterentur. » Tunc itaque in palatium redeunte ac dominante catholica fide, ad eam quoque rediere

³ Levit. xix, 17. ⁴ Tit. i, 13. ⁵ II Tim. ii, 17; iii, 5. ⁶ III Joan. 9. ⁷ II Petr. ii, 1 sqq. ⁸ Jud. 4. ⁹ I Tim. v, 20.

(a) Cicer., *Ep. fam.*, lib. v, ep. 15.

(b) Greg. Mag., ep. 17, lib. xiv, tom. II, pag. 1280.

(c) Aug., serm. 317, tom. V, p. 1270.

(d) Aug. serm. 313, tom. V, p. 1262.

(e) Socr., lib. v, c. 6; Soz., lib. vii, c. 7; *Cod. Theodos.*, tit. 1, leg. 2. Gothof.

et aulici præsules, qui ex principum favore metuque penduli, omni facile vento doctrinæ circumlati, dubio animo et fide, momento huc illuc impellebantur: « Misera, inquit Gregorius (a), et abominanda vitæ ludibria: quod fidem attinet, partem in utramque parati, non Dei legum, sed temporum observantes. Euripi doctrinæ, hinc inde reciproce fluctuantes, adultores, dulcia mulierum venena, parvis leones, at rerum potentibus canes. » In carmine *De vita sua* « aleatores » vocat hos episcopos, κυβισται, chamæleontes, χαμαιλεόντων, και τρόπον πολυπόδων.

Tales episcopi, qui inter Arianos et Catholicos medii, utrique parti, pro temporum ratione, se venditabant, ab Ecclesia cum episcopatus dignitatisque, quam obtinuerant, honore et gradu suscepti, improborum jam episcoporum ita numerum auxerant, ut bonis episcopis, atque etiam in conciliis aliquando prævalerent. Hinc illæ Gregorii, qui zelum et indignationem continere non valebat, justæ querelæ. Hinc suam ipsius, vel suo potius nomine, collegarum in sacerdotio facilitatem in hujusmodi episcopis admittendis deplorat his verbis (b): « Proposuimus voce præconis, pro foribus sanctuarii omnibus denuntiavimus: Ingredietur qui volet, bis licet, aut etiam sæpius fidem, pro occasione, mutaverit. Adest tempus nundinarum, nemo abeat nihil operatus, » etc.

Quisquis hæc et alia similia in aliis Gregorii carminibus legerit, is profecto intelliget quinam fuerint episcopi, de quibus tacere non potuerit, nec debuerit. Excusandæ tam præposteræ benignitati ac facilitati tales episcopos admittendi, Alexandrinæ synodi anno 362 habitæ, vel certe Athanasii de recipiendis hæreticis decretum procul dubio prætendebant. Verum, ut observat Annalium eminentissimus parens, Alexandrinis Patribus « magna ratio, quod multiplex illorum, » qui recipi jubebantur, episcoporum « numerus esset, qui in concilio » Ariminensi, vel nescientes, vel coacti, Arianis consenserant; ipsique, qui ab Arianis partibus tum redibant, sincero veritatis amore odioque perfidiæ, quippe qui sub Juliano Apostata ad id adduci videbantur. Præterea, ut ait Hieronymus (c), « huic assensus est Occidens; et per tam necessarium concilium, Satanæ faucibus ereptus est mundus. »

Longe vero dispar ratio sub Theodosio, aliaque Ecclesiæ facies. Ex iis enim episcopis, qui spe vel metu redibant, plerique omnes ab Arianis, Constantio mortuo, desciverant, Nisdemque iterum sese adjunxerant sub Valente, « bis ac sæpius, » ut ait Gregorius, « fidem mutantes, et alearum instar, » sicut arundinis momento versati. Unde facilitas illa episcopos lapsos recipiendi, quæ, Hieronymo teste (d), laudi Athanasio quondam, vitio probroque tunc data est Petro Alexandrino præsuli. « Præsto » ei concilio, inquit Baronius (e) de concilio generali Constantinopolitano primo loquens, « fuerunt plures ex illis, qui antea, Valentis tempore, pulsus orthodoxis, Arianorum favore, vacantes sedes acceperant. Hi enim temporis inservientes, sub catholico imperatore æque catholicæ fidei defensores se præbuere, cum antea vel gratia ducum exercitus, vel favore aliorum magistratuum, in episcopatum omnino licet indigni nihilominus irrepsissent. De quibus omnibus fusius ipse Gregorius Nazianzenus. » Hæc Baronius, qui, expressa horum episcoporum imagine, sic prosequitur (f): « Intelligis, puto, quales, exceptis paucis, tunc esse solerent episcopi Orientalis Ecclesiæ; quomodo fidem habere consueverint pro ratione temporis mobilem, et nonnisi ad privatum commodum accommodatam. Cujus quidem rei non Gregorius duntaxat, sed et Basilius suis scriptis locuples testis accedit, ut suo loco superius est demonstratum. » Alios bene multos adhibere testes, maxime Chrysostomum et Hieronymum, poterat Baronius; qui, postquam narravit quam male atque indigne Gregorium habuerint: « Ex his, inquit (g), disce alia, nempe quam vera sint quæ in eodem Gregorius conscripsit. »

Id quidem optime et apposite auctor eminentissimus. Nam palam, vivis illis et audien-

(a) Carm. 1, Toll., v. 334-338.

(b) Carm. 1 *De vita sua*, v. 17-27.

(c) *Dial. adv. Lucif.*, tom. IV, part. II, pag. 362.

(d) *Chron.* an. 374.

(e) An. 331, § 22.

(f) § 49.

(g) § 82.

tibus, vates sanctissimus vera se dicere professus est nec quisquam ausus est contradicere: 'Ὡς ἀπόδρα χρώμεθ' ἀναξίους τοῖς προσητάταις! Βοήσομ' οὐ ψευδῆ μὲν, οὐχ ἕδιστα δέ (a). « Quam indignos habemus antistites! Elatiore quidem voce dicam, non falsa quidem, sed auditu non jucunda. » Si vera hæc sunt, ut vera esse constat; quis tam gravia, tam aperta Ecclesie probra atque scandala, simpliciorum dispendio et periculo animarum, tacenda audeat asserere? Quid? quod multo pejores adhuc erant illi, de quibus loquitur Gregorius? Nam de iis Gregorius pleraque tacet. Maximus, qui cane pejor et angue, ac vipera fabulosa, quæ se foveat in sinu enecavit, omnes facile sceleribus, iisque publicis, et impudentia superabat. Ipsi non diffitentur adversarii. Unde mirari subit, cur Tollius, qui huic monstro parvum vellet, Juliani Apostatæ non etiam contra Gregorium defensionem ausus sit suscipere. Verum, quod ausus non est Tollius, audet clericus, quod mirum non est; imo e Catholicis, quod luctuosum valde, sunt nonnulli, quorum nomini parco, qui Apostatæ adversus Theologum patrocinantur, atque Juliani laudes prædicare non verentur.

Plures etiam ex orthodoxis episcopis vitiis gravibus laborantes, quorum minimum erat « ignorantia, quæ quidem ipsa malum est » (b), ἀγνοια γὰρ κακὸν μὲν, ἀλλ' ἥσσον κακόν' qui vix baptismo expurgati, « priora vitia, » (c) τὰ πρὶν κακά, virtutes nullas ad episcopatum afferbant. De his sic habet Gregorius (d): « Pudet me quidem dicere quo pacto res nostræ comparatæ sint, sed canam tamen. (e) Cum ordinati constitutique simus virtutis doctores, omnium malorum officina sumus. (f) Antistes facili momento reperitur, qui nihil antea præstiterit, et novitius ad dignitatem accedat. (g) Res divinæ modo sunt jactus alearum, cuborumque.... (h) Heri oratoris munere fungens, jus fasque venale habebas..... (i) nunc autem subito iudex et Daniel factus es..... (j) Ne vestimentum quidem tam facile mutare quis queat, ut tu mores mutas..... (k) Heri Simon Magus eras, hodie Simon Petrus. Heu nimiam celeritatem! Heu! pro vulpecula leo prodisti. » Ii sunt episcopi de quibus in carmine *De vita sua* scribit (l): « Hoc brevissimum dari potest præceptum, et optimum ne salute excidas documentum, ut qua illi præeunt, ne sequaris: quorum thronus accusator est morum; et cancelli atque supercilium potius quam vita hos a plebe secernunt. » Horrida sane hæc pastorum hujus temporis imago; quos ea tantum ratione utiles dicit Ecclesie Gregorius, ut, quo non eundum sit, eorum exemplo fideles agnoscant.

Eligant jam nunc adversarii. Vel hæc falsa esse probent, vel contendat ea non esse hujusmodi, quæ acri et publica etiam reprehensione digna videantur; vel, si vera esse fateantur, quod quidem fateantur necesse est, ostendant a nemine unquam, ne quidem a pastoribus, etiam episcopis, ita debere, aut posse, illæsa charitate, exagitari: quod sacris Scripturis adversatur, et fraternæ correctionis præceptum evertit. Salutaris enim pudor nonnunquam incutiendus, et peccantes corripiendi sunt, tum propriæ ipsorum, tum salutis eorum causa, quos scandalis, prava doctrina, pravisque exemplis pessundant. « Quasi tuba, ait Scriptura¹⁰, exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. » Reis ergo annuntianda sunt peccata; justaque, necessaria et sancta indignatio et verborum acrimonia; nec injuriosus et contumeliosus est habendus, qui duris et probrosis increpationibus peccatores coercet.

An vero Gregorius, Chrysostomus, et alii passim viri sancti, non noverant, quæ illa sit acerbitas, quam Christus damnat, quæ maledicentia; quid sit alicui detrahere, quid denigrare? Quam iniqui sanctorum nos sumus æstimatores! Ab iis exercendi zeli et correctionis leges accipiendæ, non a nobis damnandi, qui eodem spiritu non agimur et igno-

¹⁰ Isa. LVIII, 1.

(a) *Adv. episc.*, v. 357, 358.
 (b) *Ibid.*, v. 331.
 (c) *Ibid.*, v. 446, 448.
 (d) *Ibid.*, v. 361 et seq.
 (e) *Ibid.*, v. 393.
 (f) *Ibid.*, v. 394.

(g) *Ibid.*, v. 396.
 (h) *Ibid.*, v. 415.
 (i) *Ibid.*, v. 449.
 (j) *Ibid.*, v. 424.
 (k) *Ibid.*, v. 430.
 (l) *Carm.* 36, 37, 38.

ſumus quid ſit « zelatum eſſe pro Domino Deo exercituum », et quæ Chriſtiana libertas eſſe debeat; ignoramus, inquam, licet et apoſtolos viroſque apoſtolicos, imo Agnum ipſum manſuetum ita fuiſſe locutum legamus et audiamus.

Non ergo culpandus, ſed laudandus Gregorius, qui Chriſtiana libertate utens, apoſtolorum et Chriſti ipſius veſtigia ſecutus, « zero zelatus eſt pro Domino Deo exercituum, » ac peccatores dure increpavit. Non « imprudenti nimium fervore, » ut ſomniavit Tollius, « ſucceſſorem ſibi petivit; » ſed ardenti ac ſincero vitæ privatæ et ſolitudinis deſiderio. Non eum « ſtatim, » nec unquam pœnituit, quod ſedem Conſtantinopolitanam abdicaret. Nullæ inde « querelæ, » nullæ « lacrymæ, » nulli « threni, in quibus patientiam et animi robur ac moderationem in tam probo viro deſideres. » Id omne in viro ſancto miramur: æquiores tantum in Tollio rerum æſtimatores deſideramus. Fabulæ et ſomnia hæc ſunt: longe aliæ ſunt querelarum Gregorii et lacrymarum cauſæ. Dolebat, ſi doluit, derelictas oves, quas unice diligebat, imo quos in Chriſto genuerat filios; hos alieno, qui nec amore patrem ſatis, nec ſollicitudine paſtorem referret traditos dolebat, fame, ſiti arentes, hæreſique prope dominantibus expoſitos. Id quidem, et merito dolebat Gregorius. Hinc illæ lacrymæ fuere: non aliunde; non, ut male ſanus fingit Tollius (p. 84 in not.) quod « caſtrum ori ſuo impoſitum, præreptamque docendi publicæ facultatem, » graviffime ferret. Nihil a veritate magis alienum fingi poteſt; ſi quidem adeo ſilentii tenax erat Gregorius, ut hoc ipſo etiam tempore, ne verbum quidem per totam Quadrageſimam ſit prolocutus; et ad loquendum alias ſic tardus, ut ad id vix ac ne vix quidem compelli poſſet.

Dolebat etiam tamen ſuaviſſimos ſibi præreptos familiares et amicos; non autem ſe verbo « captum, » et abdicatorem proponenti citius quam vellet episcopos aſſenſiſſe, ſedemque Conſtantinopolitanam deſeruiſſe, quam gaudens reliquit; ut argumento ſunt plurimæ poſt reditum ſcriptæ a Gregorio epiſtolæ, maxime vero xiv ad Amasonium data. Si iis de rebus dolere, mœrere et indignari crimen eſt, Gregorii crimen eſſe, nec ab eo facile liberari poſſe lubenter fatemur. Cætera vero nihil dolebat, nec relictarum rerum ullo tenebatur deſiderio.

Tantorum itaque Eccleſiæ, quam Deus « acquisivit ſanguine ſuo », malorum dolore Gregorius, non ſecus ac Athenis Apoſtolus incitatus, pie ſibi temperare non poterat, neque etiam debuit, ut teretibus ac teneris auribus conſuleret, veritatis ac religionis diſpendio, ſermonem emollire. Habent enim molliores illæ elocutiones nescio quid frigidi flaccidique, quo veritati ſemper nonnihil perit. Movent profecto aliter propria rerum nomina, propriiſque inuſta notis crimina: nec ſatis, ſi molliter innocentia, religio, fides defenditur; pene deſeritur, ſi non etiam proditur. Nihil veri nimium videri debet adverſus innocentiam et veritatis hoſtes: traducendi palam ii ſunt, et nativis pingendi coloribus, ut agnoſcantur, agnitiſque vitentur ac fugiantur. Hæc ratione ſimplicibus conſulitur, mendacium revincitur, error repellitur, vincit et triumphat veritas. Non jam immoramur falſis criminationibus propulſandis quæ in Gregorium congeſſit D. Dupin., cum et ſatis ex modo dictis refellantur, et Dupinus ipſe in ſua ad DD. archiepiſcopum Parienſem declaratione, ut temere confictas damnaverit et revocaverit.

§ II. PERPETUA GREGORII VIRGINITAS CONTRA BEVEREGIUM ET MURATORIUM ASSERTITUR.

« Poſt Nicænum concilium, inquit Beveregius (a), Spiridionem, Gregorium Nyſſerium ut Nazianzenum, tam patrem quam filium Theologum matrimonio copulatos fuiſſe, nemo in antiquitate verſatus nescit. » Hæc confidenter ſcribere auſus eſt Beveregius, nulla ratione, nullaque nixus auctoritate. Tam inauditam et inſanam opinionem dormitanti ſcriptori excidiſſe, dixerit quilibet in ſola theologi lectione verſatus fuerit; vel potius id a Beveregio ſcriptum in gratiam episcoporum ſuæ gentis, pro ſua in matrimonium devotione.

Tale commentum notare ſat eſſe, nec ullam huic refellendo operam impendendam arti-

¹¹ III Res. xix, 10. ¹² Act. xx 28.

(a) In notis ad canonem v apoſt.

trarer, nisi malum serpere longius, et virum clarissimum, e Catholicis unum, Muratorium (a), qui mirabatur olim confidentiam Beveregii, præter quem « nullus adhuc affirmavit Nazianzenum filium unquam sese matrimonio obstrinxisse, » ipsius postea errorem amplexum fuisse cernerem. Non tamen absolute amplexus est, sed suspicatus « Beveregii sententiam cum veritate consentire. » Qui etiam de Theosebia hæc ait : « Aut Nazianzeno nupsit, » quod « simillimum vero arbitror. » Itaque commentum Beveregii et pravæ Muratorii suspicionis fundamenta simul convellenda sunt.

Ut a Muratorio incipiamus, verba, quæ viro docto fucum fecerunt, hæc sunt in epigrammate Theosebiæ, quod ipse vulgavit : Γρηγορίου μεγάλου σύζυγε ἀτρικέως · « Gregorii Magni vere conjux. » Ex his plurima colligit Muratorius : primo, Gregorii Nysseni uxorem non fuisse Theosebiam ; id quidem optime deinde ; Gregorium, qui « Magnus » ibi appellatur, Theologum esse, cujus uxor, eaque germana, Theosebia fuerit ; id vero pessime : denique hinc epigramma Theologi esse non posse. Quæ quidem ut penitus convellamus, primo statuendum, quod caput est, nullius unquam conjugii vinculis Theologum irretitum, nedum Theosebiæ copulatum ; 2° deinde nihil adeo impedire, quominus epigramma tribuatur Gregorio Nazianzeno, 3° neque ex epitaphio, neque ex epistola alias xcvi sequi Nysseno Theosebiam nupsisse. Sic Gregorium utrumque a conjugio liberum, et cælibem vitam duxisse constabit.

Muratorius inter Theologum et Theosebiam matrimonium fuisse suspicatus, Theosebiam « cum viro Nazianzeno castitatem potius, quam thori conjunctionem servare voluisse » conjiciebat : mox idem « inter utrumque carnis communionem » admittit, sed ad breve tempus, et arbitratur « recenti huic opinioni suffragari posse versum illum Theologi, ita scribentis in carmine iv de animæ suæ calamitatibus : Ἀὐτὰρ ἔπειτα γάμοιο βαρὺν ζυγὸν ἔκτος ἔθηκα. Deinde vero grave jugum matrimonii a me seposui. » Nihilominus tamen hæc ita se habere asserere non ausus est Muratorius. Amamus virum doctum quod præ verecundia rem tam inauditam pro certe non affirmat.

Nos vero omne prorsus matrimonium a Gregorio propulsamus. Ipse Muratorius (b), argumenta suppeditabit : « Cur enim Gregorius, inquit, qui tam sæpe ac tot verbis, vel minuta vitæ suæ monimenta versibus clausit, hoc unum non levis momenti præterisset, aut tam jejunos commemorasset ? » Neque vero id tantum silentio, et argumento, ut vocant, negante ; quanquam id genus argumenti valere debet, ubi quid habet, quod facti vim et locum obtineat : hic autem habet, si unquam habuit ; cum qui rerum suarum historiam, non uno, sed multiplici poemate, non obiter, sed dedita opera accurateque texere se profiteretur, rem tamen unam e præcipuis, si non etiam ex omnibus præcipuam silet, quæ ad vitæ varietates, quas litteris mandat quam maxime facit, quale profecto est vitæ genus et cursus, quem Gregorius tenere decreverat. Ubi enim de genere vitæ diligendo Nazianzenus agebat, ibi sane debuit agere de matrimonio, si posthabita cælibe vita ad nuptias convolvit.

Neque vero eos, qui matrimonii vinculis astrictum fuisse Gregorium censent, istud matrimonium collocaturos esse arbitror postquam presbyter creatus est. Ad confictas itaque Theologi nuptias tempus id unum superest, quod ante sacerdotium ejus effluxit. Consentit Muratorius et ait (c) : « Non diu constitisse carnis communionem inter Nazianzenum et Theosebiam ; sed utrumque castitatem jam pridem elegisse, ut sacerdotium ille iniret, ut inter diaconissas ista cooptaretur. » Verum tempus illud ipsum est, in quo accurata Gregorii narratio nullum ullo vitæ ipsius momento consistere matrimonium patitur. Ut enim fingas Theosebiam, aliamve quamlibet Gregorium uxorem duxisse, quidquid et quoquo modo finxeris, id omne ruit et penitus subvertitur disertissimis Gregorii verbis, vitam suam describentis, ibique accuratissime ubi de vitæ genere deligendo.

Gregorii parentes non ipsi auctores fuerunt ut animum ad uxorem appelleret ; parentes, inquam, qui non modo filii votum castitatis ac propositum norant, sed eum ipsi, prius-

(a) Murat. notæ in epigr. 32 *Theoseb.* a se editum, p. 131, 132, 134.

(b) *Ibid.*

(c) *Ibid.*

quam nasceretur, Deo dicaverant, et natum obtulerant, adeo ut « ab utero matris Deo sacer, ac puer oblatus » fuerit, et quidem ad altare, solemniter tactisque sacræ Scripturæ libris: quod ipse scribit Gregorius (a), qui « parentis votum ac desiderium ratum habuit, » et præstare quovis tempore studuit, atque etiam præstitit. « (b) Devinxit me sibi amica castitas, inquit, et carni vincula iniecit, simulque ardentem divinæ sapientiæ ac vitæ monasticæ amorem iniecit; vitæ, quæ dici potest futuræ primitiæ; quippe quæ costa non indiget, quæ corpus circumplectatur suum, verbisque deceptum blandis ad amara degustanda adducat: » hæc sunt conjugii vincula, quibus Gregorius a puero copulatus est. Conjux ipsius, non Theosebia, sed perpetua castitas; conjux sapientia fuit, ac utriusque socia et adiutrix « monachi vita, cujus amorem ipsi » iniecit castitas, quam in naufragii periculo vovit, et quam toto vitæ tempore, quantum licuit ac penes ipsum fuit, professus est.

Innumera ex Gregorii scriptis alia proferre testimonia facillimum esset, quibus illum nullo unquam matrimonio constrictum fuisse, sed ejus, quam amabat unice, « castitatis jugo colla perpetuo firmiterque submisisse » manifestum fieret (c). Legatur narratio somnii quod sanctissimus doctor fuse describit (d), et in quo adhuc « puer, nec tamen admodum puer, verum ea ætate qua boni et mali imaginibus animus informatur, » castitas et sapientia sibi visæ sunt humana specie, tantaque ex ipsarum afflatu et colloquio puritatis dilectio in cor emanavit ipsique semper inhæsit, ut vecordes, ne quid dicam amplius, merito videantur, qui de Gregorii perpetuo cœlibatu vel tantisper dubitaverint (e). Unde vir factus Gregorius, et cum Athenis reversus deliberaret, non de vitæ cursu, verum de via, qua expeditus ad propositum finem certius perveniret, hoc primum ponit: « (f) Jam olim mihi certum erat, ac veluti lege sancitum, quæ carnis sunt in profundum ea projicere; idque tum magis ac magis ardebat. »

Quid igitur sibi vult Gregorius his verbis (g), « grave jugum matrimonii a me seposui? » Non impositum hoc onus abjecit, sed ab eo semper declinavit, a se amovit, ab eo abhorruit, amore castitatis et vitæ monasticæ. Sic grave onus matrimonii excussit, haud quidem impositum unquam; sed a se amovendo ne imponeretur. Non aliter Gregorius excussit onus matrimonii, quam caute fugiendo quidquid hoc vitæ genus spectat, utpote contrarium proposito servandæ virginitatis et voto monasticæ vitæ. Certe Gregorius, qui vitam monasticam iterato voto se amplexurum promiserat, uxorem sibi adjungere non poterat, quin datam Deo fidem falleret, scelusque maximum in se admitteret. Absit igitur ut virum tam sanctum, pietate insignem, tantum scelus perpetrasset; absit, inquam, ut Gregorium spreto servandæ virginitatis voto, quo obstrictus erat, qui « ab utero matris sacer erat, qui matris votum ac desiderium ratum habuerat, » uxorem duxisse arbitremur, aut suspicemur. Talis suspicio tam in Gregorium injuriosa, quam contraria veritati.

Constare debet ex dictis Gregorium nullis unquam nuptiis, nec cum Theosebia, nec cum alia qualibet femina alligatum fuisse. Quo disputationis capite posito, ac eorum, quæ sequuntur, fundamento, jam sponte sua sequitur Theologum non esse eum, qui in epitaphio Theosebiæ « Magnus » dicitur, et cujus Theosebia « vere conjux » comparve appellatur. Hinc efficitur, nihil obstare quominus hoc epitaphium a Gregorio elaborari potuisse credatur. Imo non tantum potuit, sed reipsa ab ipso elaboratum esse ex epistola al. xcv manifestum est; quæ quidem epistola cum epitaphio rebus et verbis ita consonat, ut utriusque, vel neutrius, auctor agnoscendus sit Gregorius. Fatentur autem omnes epistolam, germanum esse Theologi fetum ad Gregorium Nyssenum scribentis. Pro certo itaque habendum, Theologum nec Theosebiæ, nec ulli alii unquam connubio junctum, eundemque esse auctorem epitaphii. Præterea Muratorii, qui epitaphio, ut et epistola ad Gregorium Nyssenum, perpetuam Theologi virginitatem labefactari suspicatus est, rationes evanescent et funditus corruunt.

(a) Carm. al. 2, v. 426, 433, 448, 449.

(b) Ibid., v. 456, etc.

(c) Carm. 5, v. 110.

(d) Ibid., v. 205, 206, 207, 208 ad 313.

(e) Carm. al. 1, v. 280 et seq.

(f) Ibid., v. 284, 285.

(g) Carm. al. 5, v. 283.

Jam vero si quæras, quis ille sit Gregorius, qui in epitaphio « Magnus » dicitur, ultro respondebimus, nullum alium esse quam Nyssenum. Quod autem Theosebiam spectat : in epistola « sacerdotis conjux » comparve appellatur ; in epitaphio sacerdotis illius nomen declaratur ; rursusque ejus sacerdotis et ejus Gregorii fuerit « compar » Theosebia denuntiatur. Quisquis illas litteras legerit, non dubitabit quis ille sit Gregorius. Ejus enim ipsius sacerdotis, ut est in epistola, ejus Gregorii, ut disertius habet epitaphium, Theosebia « compar, » vel si mavis, « conjux, » a quo illam in epistola commendat laudatque Theologus ; ejus iterum sacerdotis, cui et virtute « par » et honore Theosebia prædicatur, ejusque adeo sacerdotis, ejus Gregorii « compar, » ad quem pertinent illæ laudes, ad quem datæ sunt litteræ. Quæ cum sint ad Nyssenum scriptæ, ipsissimus ille Gregorius habendus est, cujus et « soror » et « conjux, » seu magis « compar, » ut in epitaphio Theosebia designatur. Et certe cum Nysseni, et non sacerdotis alterius *σύζυγον* Baronius, continuatores Bollandi, Rivetus et alii senserint Theosebiam in epistola dictam, eandemque sororem ; quid incommodi esse potest idem admittere in epitaphio, quod in epistola admittitur ?

Superest, ut quo sensu Nysseni « soror et conjux, » *σύζυγος*, Theosebia dicatur, exponamus. Primo quidem, significatione propria utrumque dici non potuit ; ab obvio igitur et proprio sensu vox deducenda, et quærenda interpretatio. Theosebia in epitaphio *τέκνη Εμμελίου*, Emmeliæ filia dicitur ; quod si « nurum » interpreteris, ad Baronii, Henschenii et Papebrochii, Riveti aliorumque, qui Nyssenum connubio junctum cum Theosebia fuisse volunt, sententiam accedes ; nec a consuetudine, qua nurus « filia » plerumque appellantur ab iis, quas socrus habent, penitus recesseris, a veritate autem prorsus abscesseris. Neque enim sinit epistola, de qua toties, illam epitaphii vocem ullo modo sollicitare, atque etiam huc et quam maxime cum epitaphio epistola concurrat, ut « Basilii soror, » quod præ se ferit epitaphii titulus, et Emmeliæ filia, quo in ipso est epitaphio, germanaque adeo ac proprie Nysseni soror Theosebia astruatur. Epistolæ verba sunt : « Te admiror ob eam tolerantiam ac philosophiam, quam discessu beatæ sanctæque sororis vestræ præstare te audio : » quæ quidem verba illud epitaphium alio prohibet detorqueri. Et paulo inferius prædicat Theosebiam, « Ecclesiæ decus, Christi ornamentum, ætatis illius bonum, feminarum fiduciam, Theosebiam in tanta fratrum pulchritudine formosissimam et clarissimam ; » fratrum, inquam, quinque, et sororum totidem. Quibus egregie concinit in Emmeliam epitaphium cxxx apud Muratorium. Mitto quæ ex iis laudibus pro Theosebiæ perpetua virginitate colligi possint, quam quidem si professa non esset, digna profecto non esset quæ tot inter fratres ac sorores virgines « clarissima, et Christi ac Ecclesiæ decus et ornamentum » diceretur.

In epistola Theologi ad Nyssenum hæc observanda maxime sunt verba : « Theosebiam meam ; meam enim voco, quæ ut Dei legibus consentaneum erat vixit ; quandoquidem spiritalis cognatio corpoream antecellit. » Tantam hæc verba vim habent ad probandum Theosebiam sororem esse germanam Nysseni, et ad arcendum penitus cum ab eo, tum a Nazianzeno conjugium, ut mirum valde sit viros doctos ex his verbis ansam arripuisse alterutri Gregorio cum Theosebia matrimonium affingendi, ex quibus contrarium statuerent debuerant.

Certe Gregorius, cum « cognationi corporeæ, » qua Nyssenum Theosebia attingebat, « spiritalem » opponit qua ad se ipsum pertinebat ; cum « spiritalis » hujus « cognationis » causas ac rationes reddit, quod nimirum Theosebia « Dei legibus consentaneæ vixit, » omnem prorsus a se et a Nysseno matrimonii suspicionem propulsat. Theosebia soror erat Nysseni, cognatione corporali ; soror vero Nazianzeni, « cognatione spiritali ; » neutrius autem uxor. Nec movere debet vox ista *σύζυγος*, qua usus est auctor epitaphii. Idem enim hac voce significare voluit Gregorius, quod in epitaphio xli apud Muratorium p. 40 : *Καρτέριον τῆς τῆς σύζυγον εὐσεβίης*. « Rapuisti, inquit, Nicomedes, Carterium tuæ pietatis socium. » Nazianzeno certe licuit quod cuique licet, vocibus iis abuti, quibus voluerit, modo dehniat, novamque quam iis affingit significationem exponat. Quod sane disertissime præstitit, Theosebiam sororem Nysseni germanam esse confirmans, ejus-

demque diaconissam his verbis astruens, quibus aptiora non sunt ad designanda diaconissæ merita et munia: « Theosebiam vere sacram, atque adeo sacerdoti comparem et parem honore et magnis mysteriis dignam. »

Præterea vox Græca *σύζυγος* non proprie significat eos, quos Latine conjuges vocamus, maritum et uxorem; sed eos generatim, qui operis ejusdem socii, idem veluti jugum trahere censentur. Ita consilii participem vocat *σύζυγον* Aristophanes in *Pluto*: ita quoque Plato. Sic e nostris, Macarius Ægyptius monachus *σζύγους* nominat discipulos, quos binos Dominus misit, tanquam conjugales. Eo etiam sensu Theosebia *σύζυγος* Gregorii Nysseni fuit et dici potuit, quod illi « par honore, » *ὁμότιμον*, quod « magnis digna mysteriis, » *τῶν μεγάλων μυστηρίων ἀξίαν*, iisque ministrandis fratrem soror, sacerdotem diaconissa adjuvabat, et conjuncta opera collaborabat. Hæc autem de voce *σύζυγος* disputavimus, salvo Basilii patris ejusdemque episcopi connubio cum Emmelia, et Gregorii patris cum Nonna. Emmelia enim et Nonna, sanctissimæ feminæ, vere conjuges, altera Basilii patris, altera Gregorii patris fuere, quod aliis et plurimis argumentis constat. Neutra cum marito consanguinitatis ullo gradu erat conjuncta, ut vocem a nativa significatione deducere opus sit.

Nemo jam non intelligit quo ordine habenda sit vana Muratorii de matrimonio Theologi suspicio, et quanto in errore versatus sit Beveregius, qui confidenter asserit neminem in antiquitate versatum nescire Gregorium Theologum matrimonio copulatum fuisse. Imo nemo in antiquitate versatus id unquam cogitavit: unus Beveregius natum ex se tam inauditum commentum protulit. Certum igitur et inconcussum maneat nullis alligatum unquam nuptiis fuisse Theologum, qui, ut ait Theodulus monachus in Gregorii Theologi laudatione (p. 153), « nuptias non attingit, verum in perpetua virginitate vixit. » Certum quoque et inconcussum maneat Gregorium Nyssenum connubio junctum non fuisse cum Theosebia, quæ quidem soror ipsius erat, non autem conjux; adeoque et ipsum, si alio non fuerit conjugio implicatus, liberum et cælibem perpetuo vixisse. Sane qui eum nuptias attingisse voluerunt, non aliam quam Theosebiam eum uxorem habuisse statuerunt, nec alio nisi fundamento quæm epistola al. xcv; quæ cum aliam præ se ferat sententiam, ruit omnino nuptiarum Nysseni fundamentum, victrix est opinio Centuriatorum (a), qui eum perpetuo cælibem vixisse volunt, et laudant orationem Gregorii al. xx in Basilium Magnum,

Librum *De virginitate* scripsit Nyssenus (p. 117), in quo hæc sunt verba: « Veluti quodam terræ hiatu prohibemur, quominus ad hanc virginitatem accedamus; » quæ verba amissæ virginitatis quamdam suspicionem videntur injicere. Verum hæc verba ipsa, et comparationes quas adhibet si perpendas, suspicio evanescet. Non enim virginitatem ipsam, sed illius vitæ commoda, utilitates, quietem deplorat. Non, inquam, nudam ac simplicem virginitatem in eo tractatu proponit Nyssenus; sed vitam Deo devotam, liberam curis ac cælestem, cujus adjutrix in primis et socia virginitas. Negotiis autem sæcularibus distracta primum, dein episcopali sollicitudine Nysseni vita cum fuerit, nihil mirum ab eo, qui tantis bonis carebat, sortem suam deplorari. Qui vel prologum legerit, ubi accuratum totius libri argumentum, rem intelliget.

§ III. DE VITA MONASTICA QUAM PROFESSUS EST GREGORIUS.

Monasticæ vitæ professione astrictum fuisse Gregorium, nec non Basilium, Chrysostomum constans est omnium retro sæculorum sententia. Cum id negari absolute non possit, novam quamdam opinionem, apud antiquos inauditam prorsus, doctus Thomassinus invenit, ut monachum non fuisse Gregorium, nec Basilium ostenderet. Hujusmodi figmentum arrisit celeberrimo abbati Trapensi, monachorum studia impugnanti (b); ne, si Gregorium, Basilium, Chrysostomum, etc., monachos fuisse agnosceret, monachis fas esse studio incumbere, agnoscere cogeretur. Hæc Hieronymi epistolæ ad Principiam verba, hujus novæ opinionis fundamentum statuit Thomassinus (c): « Suburbanus vobis ager pro monasterio fuit, et rus electum pro solitudine . . . Quis hoc crederet, ut con-

(a) Cent. iv, c. 10, verbo *Greg. Nyss. centur.* p. 322.

(b) *Rép. aux étud. monast.*, p. 178.

(c) *Discip. ec.*, part. II, lib. I, cap. 46.

sulum pronepos (Pammachius, quem Hieronymus appellat ἀρχισπάτηρον monachorum) « inter purpuras senatorum furva tunica pullatus incederet? » Hoc totum est, si fides Thomassino (a), mysterium monasticæ professionis Gregorii, Basilio, Chrysostomi, etc., nimirum furva tunica pullatum incedere, rure versari. Non aliam in his sanctis vitæ monasticæ professionem agnoscit Thomassinus, simulque negat « vere monachum esse, nisi qui se ad totum vitæ tempus astringat, seque omnibus professionibus spoliet ac nudet. » — « Verum difficile non erit, inquit noster Prudentius Maranus, Thomassinum refellens, utrumque de Basilio astruere; et quod eruditus Thomassinus statuit, ut eum monachum non fuisse probet, id convertere in argumentum veræ illius monasticæ professionis. » Quod de Basilio difficilius non est, de Gregorio difficilius non erit, cujus scripta amplam segetem suppeditant.

Vereor ne actum agere videar, et supervacaneo incumbere labori, si de Gregorio id probare aggrediar, quod de Basilio probavit ejus epistolarum editor. Qui enim unius vitæ monasticæ professionem probat, utrumque monachum fuisse ostendit. Aggrediar tamen, si quidem hanc provinciam noster Prudentius « sodali operum Gregorii editionem elaboranti » reliquit, nihil ipse « in his quæ ad sanctum Gregorium Nazianzenum spectant immoratus. »

Ut quis vere et proprie monachus sit, requirit Thomassinus ut « se ad totum vitæ tempus astringat, seque omnibus possessionibus spoliet ac nudet. » Utrumque præstitisse Gregorium, Gregorius presbyter, ejus Vitæ scriptor, disertis verbis testatur (p. 8 et 9). « Iose sibi consulebat ut, quemadmodum in vitæ discrimen adductus promiserat, Deo sese offerret, et a mundo sejunctus, cum eo qui solus purissimus est, vitæ consuetudine jungeretur, atque ex librorum sacrorum lectione veritatis splendorem hauriret. »

« Idque etiam per omnem vitam facere non destitit, monachus esse potius habens quam mundanus, et pauper quam quæstuarium: μοναστής ἀντὶ κοσμικοῦ. » Quidquid igitur Thomassinus requirit, ut quis proprie dicatur et vere sit monachus, id omne Gregorius præstitit; imo plura quam postulat.

Quidquid objicitur a Thomassino, adductum crederes ad probandum monasticam vitam professum fuisse Gregorium. Opponit tamen vir doctus, Gregorio fontem et hortum fuisse, adeoque ipsum suorum sibi reservasse partem bonorum et propterea vere et proprie monachum non fuisse. Hæc Gregorii verba sunt in carmine post abdicatam Constantinopolitanam sedem condito (quod quidem observare plurimum interest), in quo se monachum appellat, quod dissimulat Thomassinus (b) : « Nuper quidam, inquit, stultus, deliciis perditus, dives atque insolens, delicias mihi vitæque mollitiem objectabat, cum alia multa dicens, tum etiam illud, me divitem et copiosum esse, ut qui et hortum, et otium, et mediocrem fontem habeam. » Hinc concludit Thomassinus, Gregorium non omnia bona abjecisse, adeoque non proprie monachum fuisse. An serio, an jocosè et ridere volens hoc dixerit vir doctus, dubitari posset : mirum enim virum doctum talibus momentis, si momenta licet appellare, rem tam apertam impugnare. Gregorius hortum habuit et parvum fontem; quæ quilibet, ut quotidie videmus, habet eremita : quis inde serio colligat, Gregorium suorum sibi partem bonorum reservasse? Idem etiam posset dicere cum « stulto deliciisque perditto, » Gregorium divitem et copiosum fuisse. Quem Gregorius sic refellit (c) : « Si fontem, vel hortulum, vel umbrosum nemusculum... possideamus, id delicias interpretamini, » magis nostrorum nobis partem bonorum reservasse arbitramini. « Quid vero, inquam, o miser, lacrymasne taces, et ventris frenum, et genuum vulnera, noctesque insomnes, quibus monachi sua corpora conficientes enecant? » Hæc Gregorius : quem omnia abjecisse, seque omnibus possessionibus spoliasset ac nudasset, quod requirit Thomassinus ut quis vere monachus dici et esse possit, certum est ipsiusmet verbis. Omnia dimisit, nihil sibi servans, etiam facundiæ labores : « Omnia ei qui me in sortem accepit et servavit dono dedi, possessiones, κτήνη, » etc. : eadem passim repetit Gregorius in orationibus et in carminibus.

(a) N. 13, 14 et 15, p. 165.

(b) Carm. al. 59, v. 1-4.

(c) Ibid., v. 15 et seq.

Quod autem Gregorii testamentum spectat, nihil in eo reperias, quod nostræ adversetur sententiæ, imo nihil quod non faveat. Ut enim omittam tunc temporis non tantum testari, sed etiam hæreditates adire monachis licitum fuisse, legibusque concessum : bonorum, de quibus in testamento statuit, non dominus, sed procurator tantum et administer fuit. Hæc enim omnia jam dudum abjecerat : « Omnemque meam substantiam catholicæ Nazianzi consecravi, inquit, ad pauperum, qui sub eadem sunt Ecclesia, ministerium ; » atque ita omnia abjecit, ut « ea de causa tres alendis pauperibus curatores instituerit. » Non de rebus suis, quæ nullæ erant, quippe omnia abjecerat, testamento suo statuit, sed confirmat, quod jam pridem destinaverat, sanctorumque parentum voluntati obsequitur. Veniam sibi dari postulat, quod nihil possit dare Alypianæ dulcissimæ filiæ ; rationem hanc addit : « Quippe qui omnia jam pauperibus destinavi, aut potius beatissimis parentibus, qui ita polliciti erant, obsecutus sum, quorum voluntatem irritam reddere, nec sanctum, nec tutum arbitror. »

Hæredem suum hoc testamento instituit Gregorium monachum : « Hæres meus esto Gregorius monachus ; » additque postea : « ita quidem ut ipse meam omnem substantiam, mobilem et immobilem, sanctæ catholicæ Nazianzi Ecclesiæ restituat... sciensque... in eam rem se institutum hæredem, ut per ipsum Ecclesiæ omnia sine fraude conserventur (a). » Poterat ergo Gregorius, quamvis monachus esset, et omnia abjecisset, fontem et exiguum hortum habere. Sic Gregorii testamentum confirmat eum vitæ monasticæ professioni addictum fuisse, difficultatesque omnes dissolvit, nedum impedimento esse et difficultatem possit aliquam parere.

Achillæum Thomassini argumentum, ad expugnandam Gregorii monasticam professionem, sunt hæc Gregorii verba (b) :

Μέσσην τιν' ἤλθον ἀζύγων καὶ μιγάδων.
 Τῶν μὲν τὸ σύνουον, τῶν δὲ τὸ χρηστὸν φέρων.
 Media inter illos hosque procedo via,
 Meditans ut isti, commodum illorum æmulans.

Quæ verba, si viro docto fides, significant Gregorium, cum deliberasset quodnam vitæ genus inter solitudinem monachorum et vitam in media civitatum turba sequeretur, mediam iniisse viam, ut aliis prodesset, nec sibi perniciem inveniret, si ita Gregorii verba licet interpretari, fas sit dicere cum poeta :

Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri (c).

Quam longissime Thomassinus aberrat a mente Gregorii ! quam si velimus esse sequi, paulo superiora repetenda sunt verba (d) :

Πρῶτον δὲ τοῦτο φιλοσοφῆσαι προυθέμην,
 Ῥίψαι Θεῷ καὶ τέλλα, καὶ πόνους λόγων,
 Ὡς οἱ παρέντες μηλοδότους τὰς οὐσίας,
 Ἢ χρυσὸν ἀθροίσαντες εἰς ἕλμησ βύθους.

Primum quidem philosophari staueram,
 Ut Deo projicerem et alia omnia, et faciendi labores,
 Velut qui agros pecudibus pascendos reliquerunt,
 Vel aurum congresserunt in maris profundum.

Gregorius his certe verbis declarat, se jamdudum omnia abjecisse in perpetuum, desiderio philosophiæ, id est, ut monachi vitam exerceat ; quod ad vitam monasticam requirit et sufficere fatetur ipse Thomassinus : neque enim plura fas est requirere. Id autem decreverat Gregorius jamdudum, id fixum statutumque erat (e) :

Τὸ μὲν τὰ σαρκὸς ἐς βύθους βίψαι, πάλαι
 Δεδογμένον τ' ἦν, καὶ τότε ἤρρασκε πλέον.

Ea quidem quæ carnis sunt, in profundum projicere
 Dudum statutum erat, tuncque placebat magis.

Hoc fixum animo Gregorii sedebat, votoque sanctissimus præsul astrictus tenebatur (f),

(a) Orat. 2, p. 50.

(b) Carm. *De vita sua*, v. 310, 311.

(c) Horat., *Ep.* lib. II, ep. 1.

(d) Carm. *De vita sua*, v. 270 et seq.

(e) *Ibid.*, v. 282, 283.

(f) Orat. 2, al. 1.

quod « in maximis gravissimisque periculis, » cum Athenas mari peteret, « Deo voverat. » Nulla jam de eo deliberatio.

Quid igitur illud erat, de quo Gregorius intus amicos (a) ad consilium vocat?

Ἐνδὸν καθίζω τῶν φίλων κριτήριον,
Ἐμῶν λογισμῶν, γνησίων παραινετῶν.

Intus amicos in consilium voco,
Meas cogitationes, quæ sinceræ sunt hortatores.

Scilicet Gregorius « (b) inter ea quæ præstantiora sunt, id quod præstantius est quærebat; nam quæ carnis sunt in profundum abjicere dudum statutum erat, tuncque placebat magis. Consideranti autem vias quæ ad Deum ducunt, quænam melior esset, invenire non facile erat. Aliud enim, aliorum habita ratione, bonum aut malum videbatur, ut sæpe fit, ubi quid agendum est. Longam veluti quamdam peregrinationem meditabatur. Navigationem quidem effugerat, et maris labores, sed investigabat quænam expeditior esset via. Magnificiebat Eliam Thesbiten, Carmelum, desertum Joannis præcursoris, filiorum Jonadab vitam sine apparatu: verum rursus eum tenebat sacrorum Librorum amor, res cum deserto et quiete non quadrans. In utramque partem sæpe delatus, tandem inter sua desideria sic litem diremit, mentisque agitationem cohibuit: videns enim eos, quos actiosa delectabat vita, aliis quidem utiles, sibi autem inutiles ac malis agitari; eos autem qui vale sæculo dixerunt, stabiliores quidem esse, ac in Deum placida mente respicere, at sibi solis prodesse, angusta charitate, vitamque insolitam et asperam traducere: mediam inter utrosque viam iniiit, meditari ut hi, prodesse ut illi statuens. » Hinc Gregorio eremitarum atque etiam anachoretarum vivendi genus arridebat, hinc cœnobarum. Sed in illis, quod sibi solis utiles essent, in iis vero quod aliis quidem utiles, sibi vero essent inutilis, displicebat. Itaque mediam iniiit viam inter eremitas et migades, id est inter eremitas et cœnobitas, illorum ad cœlestia conversionem, et istorum charitatem retineus, ut sibi et aliis utilis, maxime parentibus, esset.

Ea igitur fuit deliberatio Gregorii, utram ex duobus monachorum generibus, eremitarumne an cœnobarum vitam sequeretur. Ac veluti qui in aliquo periculo gravi constitutus se vitam religiosam professurum Deo pollicitus, etiam voto se obstrinxisset; deinde secum reputans, quomodo promissum faciat, varia hujus temporis virorum religiosorum instituta et leges, Trappistarum scilicet, Mendicantium, etc., perpendit; demum, habito secum consilio, vitam trappisticam ut asperiorē refugit, Mendicantium autem ut nimis actuosam et sibi minus utilem respuit, Deo militare sub regula sancti Benedicti mavult: isne monachus dicendus, et vitam monasticam amplexus videri posset? Credo equidem. Atqui hoc ipsum est quod præstitit Gregorius, cum habita secum deliberatione utrum vivendi genus, an eremitarum, an migadum sequeretur, unum ex utroque temperatum amplexus est cum Basilio; qui vitam solitariam et cœnobiticam præclare inter se reconciliaverat et permiscuerat, exstructis monasteriis quæ sociata vitæ utriusque commoda, nulla autem permista habebant incommoda.

Hoc si non statim atque optasset, certe quam primum licuit, vitæ genus secutus esset Gregorius; et recessit ad Basilium, unaque cum eo Ponticam solitudinem incoluit: « Degebant tamen singuli, » inquit *Annalium ecclesiasticorum* parens ex Rufino (c), « in singulis cellulis separatis, ita tamen inter se distantes, ut non incommoda sæpius conveniendi daretur facultas. Id etenim ex Gregorii epistola (d), quam tunc in eremo agens ad Amphiloichium, in eadem solitudine philosophantem, scripsit, facile potest intelligi.

« Qualis autem fuerit ejus habitatio et victus, pergit Baronius, ex his etiam assequimur, quæ idem ad Basilium, postquam inde recesserat, ludens scribit his verbis: « Quoniam quæ jocando ad te scripsimus, æquo animo fers, ea quoque quæ deinceps sequuntur adjiciemus, ex Homero autem initium ducetur: Nunc age, progrediens interruam

(a) Ibid., v. 278, 279.

(b) Ibid.

(c) Apud. Boll., 9 Maii, in *Vita Gregorii*, c. 5,

p. 887.

(d) Ep. al. 12.

« concine, quæso, ornatum; tugurium videlicet et tecto et januis carens, focum ignis et
 « fumi expertem, parietes igne exsiccatos, ne luti guttis impetamur, Tantalus-similes, ea-
 « demque pœna multati, nimirum in aquis sitientes, miserandas illas epulas et jejunas,
 « ad quas e Cappadocia, non tanquam ad Lotophagorum paupertatem, sed veluti ad Alci-
 « noi mensam, nos novi et ærumnosi naufragi vocati sumus. Memini enim panes illos et
 « juscula, sic enim nominabantur, semperque meminero, dentibus circa fragmenta colla-
 « bescentibus, ac postea erectis, velutque e cœno retractis; quæ sublimius tu amplifica-
 « bis, propriis calamitatibus videlicet orationis magnitudinem tibi suppeditantibus. Qui-
 « bus nisi illa magna, et pauperum vere studiosa, mater tua nos quam celerrime liberasset,
 « nobisque tempestate jactatis velut portus exstitisset; jampridem apud vivos esse desiis-
 « semus, fidei Ponticæ nomine non majorem laudem consequentes, quam miserationem
 « moventes (a). »

Hæc licet joco Gregorius, seria tamen describit. Quanta enim vitæ austeritate, cum ipse, tum cæteri monachi eandem solitudinem incolentes vixerint, ex his, quæ de sibi subjectis monachis ad Hellenium scribit, satis apparet (b) : « Ipsi enim, inquit, partim in antris solitariisque, et ad terram stratis rudibusque cubilibus delectantur; a domibus abhorrent, cognatamque cœlestis sapientiæ quietem amplectuntur : partim ferreis compedibus sese excruciant, ut vitium una cum corpore conficiant. Alii rursus ferarum ritu parvis angustisque domibus inclusi, ne mortalis quidem cujuscumque vultum aspiciunt, ac sæpe etiam totos viginti dies, totidemque noctes, a cibo abstinent, dimidiaque ex parte Christi jejunium imitantur; utque nonnihil ipse gloriosi prædicem, quidam illorum mei gregis ovis erat, hinc parvo quodam oppido egressus. Sunt insuper qui garrulam linguam quasi vinculis quibusdam astringunt, labiaque silentio comprimunt, summæque illi Monti laudis sacrificium sola mente offerunt. Est etiam qui annos integros in templo stans, puras ad Deum manus expanderit, nec, quod vix cuiquam fidem facturum est, vel tantillum obdormierit, sed vivi lapidis instar Christo delixus steterit, ac velut obriguerit. Huic porro exigui cibi reliquias vicinus corvus impertiebat, panemque integrum, si duo forte essent, afferebat. Quin etiam quo tempore Christus salutifero illo supplicio perfectus mortales reliquit, inventus est quidam, qui hinc ad divinum montem ascenderet, ibique et sermone, et mente, et membris immotus stans, ventis nivibusque jactaretur; nec, quanquam alioqui plures viri pii enim circumstarent, et ab eodem obnixe contendere, ut aliquam sui corporis rationem haberet, precibus tamen nullis moveretur; sed Christum regem fortissime consertis, ut dici solet, manibus retineret. »

Alibi de Ponticis monachis hæc habet Gregorius (c) : « Plerique sub ferreis vinculis ingeniscunt; alii rursus pro cibo cineres habent; sunt quibus potus lacrymis temperatur; alii hibernis nivibus impetiti, quadraginta dies, totidemque noctes, velut arbores quædam perstant, corde nempe e terra migrantes, Deumque solum in mente habentes... Quid denique eos commemorem, qui oculos claudunt, et aures velut pessulo quodam obdunt, ne aculeus quisquam mortis furtim irrepat? At hæc medicamenta carni hosti meo propino. » Hæc Gregorius, qui hæc etiam alibi fusius (d) : « Carnem meam ætatis flore lascivientem et æstuantem multis ac crebris laboribus attrivi, ventris satietatem vicinamque rabiem sustuli, oculos temperantiæ adjumento palpebris infixi, iram abrui, membra devinxi, risum deploravi; omnia Christo cesserunt, priora omnia conciderunt. Terra mihi lectus fuit, asperrima vestis membra contexit; pervigilia etiam et lacrymarum imbres adhibui : interdiu labori humeros subjunxi : hymnis tota nocte concinendis corpus instar statuæ defixi; nullam omnino humanam voluptatem nec in animum quidem et cogitationem admittens. Atque hoc quodam mihi vitæ institutum erat. »

Sic mediam viam iniiit Gregorius inter eremitarum et migadum vivendi rationem, cœnobiticam amplexus ex utraque temperatam a Basilio. Is primus omnium cœnobitas in Oriente instituit, legesque condidit, quas etiam exemplo docuit una cum Gregorio, qui

(a) Ep. al. 8.

(b) Carm. al. 47.

(c) Carm. al. 4.

(d) Carm. al. 54.

Basilio in condendis cœnobitarum regulis atque etiam servandis socius fuit, ut constat. Itaque ambo jure ac merito cœnobitarum patriarchæ habendi sunt, qui leges monachis condidere, monasteria exstruxerunt et vitam monachi exercuerunt, ut Benedictus in Occidente.

Præter privatas cujusque exercitationes, quas ex Rufino (a) describit Baronius (b), erant communia utriusque exercitia; a quibus cum aliquando abstractus fuisset Gregorius, hæc ingemiscens scripsit: « Quis mihi dabit ut pristinorum dierum afflictionem, in quibus tecum jucundissime vixi, vel mensem unum ferre liceat? quoniam res tristes, quæ sponte feruntur, coactis deliciis potiores habentur. Quis dabit mihi psalmodias illas, et vigiliis, et ad precandum recessus, vitamque illam quasi spiritualem et incorpoream? Quis fratrum, qui a te in pietate instituuntur et in sublime eriguntur, unanimitatem dabit et concordiam? Quis virtutis certamen et acumen, quod præscriptis modis et canonibus stabiliebamus? Quis divinatorum oraculorum exercitium, inque illis cum spiritus moderamine inventam lucem? aut, ut minora ac leviora dicam, quis dabit quotidianas illas et manuarum operas? Quis lignorum findendorum, comportandorum, ac componendorum laborem et lapidicinas? Quis consitiones et irrigationes plantarum? Quis platanum illam auream, Xercis platano præstantiorem, in qua non rex mollis et enervatus, sed monachus afflicto et debilitatus? quam ego plantavi, Apollo rigavit, hoc est excellentia tua, Deus autem in honorem nostri provexit. »

Quo tempore Gregorius in solitudine versabatur, et monachi vitam cum Basilio exercebat, crebris suorum litteris cum Basilio Cæsaream revocaretur, respondit (c): « Nunc quoniam per gratiam Dei voti nostri pro viribus compotes facti sumus, organum benedictum puteumque profundum adepti, Gregorium, os illud dico Christi; parumper nobis, obsecro, parumper hanc morulam indulgete, quam non ad hoc petimus, ut urbium sectemur delicias, sed ut fruamur sanctorum convicta. » Gregorium quoque pietas erga parentes solitudinem relinquere et Nazianzum reverti compulsi; nec tamen interea quod voverat, id est, monachi vitam, in paterna domo agere cessavit: « Adeo ut, inquit (d), philosophiam quoque ipsam, qua nec possessio ulla, nec nomen ullum mihi charius est, contempserim; vel, ut verius loquar, hoc primum studuerim, ut ne philosophantis speciem præberem. » Quod externum est in vita monachi, vel, ut ipsius verbis utar, « philosophantis speciem, » amore parentum despexit, ὡς καὶ φιλοσοφίας ὑπεριδεῖν αὐτῆς · sed intus vere monachi vitam agebat: ut enim ait ipse Gregorius (e): « Morum est, non corporum, vita monastica: »

Τρόπων γὰρ εἶναι τὴν μονήν, οὐ σωμάτων.

Observare juvat Gregorium a solitudine abductum (f) metu ne « benedictionem paternam amitteret: » οὐκ ἤνεγκα... καταλυθῆναι τὴν εὐλογία· quo postea metu depulso, nempe post sanctorum mortem parentum et abdicatam sedem Constantinopolitanam, totam « philosophiam, qua nec possessio ulla, nec nomen ullum ipsi charius erat, » id est, ipsam « philosophantis speciem » et nomen amplexus est; et tam exterius quam interius, « ruri, » ut scribit Hieronymus, « vitam monachi exercuit. »

Priusquam hinc discedamus, et Gregorii locum, qui obicitur ex carmine primo, relinquamus; voces quædam explanandæ sunt, ut vitiligatoribus occurratur. Ἀζύγων, ἄζυγος, « injugatus, cælebs, » vulgo redditur: verum apud Gregorium, qui hanc vocem huic voci μιγάδων opponit, accipi debet de eremita, anachoreta, vel quolibet monacho, qui omnino solus est, nec ullum habet socium. Ideo Bollandistæ interpretantur *Solitarios*: Leuvenklaius ad marg. γρ. καὶ ἐρημικῶν. Aliter interpretari vocem hanc non sinunt, quæ præcedunt et quæ sequuntur in Gregorio. Vereor, ne doctus Sirmundus in Vita sancti Theodori Studitæ, num. 5, p. 7, minus recte verterit hæc verba: Τοῦ κοινωνικοῦ βίου τὸν ἀζυγὰ προτιμήσαντας, « cælibem vitam conjugio anteponentes: » Κοινωνικὸς βίος namque in Gregorio orat. 21, n 19, de vita cœnobitica sunt accipienda.

(a) Ruf. lib. II, c. 9.

(b) Bar., apud Boll., 9 Maii, p. 388. Epist. al. 9.

(c) Apud Boll., 9 Maii, p. 388.

(d) Or. 2, p. 59.

(e) Carm. *De vita sua*.

(f) Or. 2, p. 59.

Μιγάδων, alia vox exponenda est, si quidem viros doctos in errorem impulit. Μιγάδες accipit Gregorius pro cœnobitis; quo sensu vox illa a pluribus accipitur, in quorum numero sunt sanctus Chrysostomus, hom. *in falsos prophetas*; Theophylactus *in Marcum* c. 1v. "Ἄλλοι μὲν εἰσι παρθένοι καὶ ἔρημικοί· ἄλλοι μιγάδες καὶ ἐν κοινωσίῳ· ἕτεροι λαϊκοὶ καὶ ἐν γάμφῳ· id est, « Alii quidem virgines sunt et solitarii : alii misti et in cœnobio; rursus alii laici et in conjugio viventes. » Verum a nullo alio certius ac melius discere possumus quam ab ipso Gregorio quid significare voluerit voce μιγάδων. Primum quidem in oratione secunda n. 29, conjugatos a continentibus secernit, hosque inter eremitas cœnobitis aut mistis opponit : « Quantum, inquit, intervallum inter conjugatos et cœlibes... quantum ex his rursus inter eremitas et cœnobitas, qui permisti communiter degunt, » id est, migades. In oratione XXI eadem utitur distinctione, sed mutatis verbis, ut magis illucescat oppositio : Οἱ τῆς ἔρημίας... οἱ τῆς ἐπιμειξίας. In eadem oratione eremitas eos esse ait, « qui vitam prorsus solitariam, et ab hominum societate remotam agunt, sui ipsorum tantum et Dei colloquio fruentes; » quibus opponit cœnobitas : « alii autem charitatis legem per communionem et societatem colentes, solitarii simul et cœnobitæ sunt, » etc.; ἔρημικοὶ τοῦ θεοῦ καὶ μιγάδες. Equis jam erit, qui cœnobitas fuisse μιγάδες, et Gregorium qui inter eremitas et migades mediam inivit viam, vitam monasticam exercuisse negaverit? Nisi forte qui velit monachos non fuisse eremitas et cœnobitas, quos cum Athanasius exsul peragraret Ægyptum, consociavit; nec Basilii discipulos, quos, ex eremitis et migadibus præclare inter se reconciliatis, congregavit; quibus etiam leges condidit, asceteria et monasteria exstruxit.

§ IV. CUJUSNAM ECCLESIE EPISCOPUS HABENDUS DICENDUSQUE SIT GREGORIUS, QUI VULGO NAZIANZENSIS APPELLATUR, INVESTIGATUR.

Primo quidem Sasimensis Ecclesie, quæ recens a Basilio sedes erecta erat, episcopus consecratus fuit Gregorius ab ipso Basilio et patre Gregorio compellentibus. Huic ordinationi, si minus animum, saltem cervicem inflexit : sed cum ad cæpessendam sedem nullus paterat aditus, quam scilicet Anthimus armatis militibus occupatam tuebatur, abjectis Sasimis, in solitudinem se contulit; nec oblationem, nec ordinationem, nec quidquam eorum quæ apud episcopos in more et instituto sunt, Sasimis peregit, ut ipse testatur; sed simul atque consecratus est episcopus, fugam quam animo conceperat, arripuit.

Deinde revocatus e solitudine, regimen Ecclesie Nazianzenæ, jubente iterum patre, qui præ ætate huic administrandæ impar erat, verum ea conditione, ut mortuo patre liber esset abire quo vellet, suscepit. « Ad breve tempus, » inquit ipse Gregorius (a), « et quasi hospites, præfecturam suscepimus : » accepit quidem, sed mortuo patre eam abjecit.

Denique Constantinopolim accersitus ab episcopis Thraciæ et orthodoxis, ut causam fidei contra grassantes lateque dominantes in regia civitate Arianos, Macedonianos aliasque veritatis pestes tueretur, cum advenisset, fideique causam defendisset, hæreticos profligasset, errores fugasset, collapsam fidem restituisset, et omnium animos sibi conciliasset; totius populi clerique consensu, annuente Theodosio imperatore, in sede Constantinopolitana, pulso Demophilo, pulso etiam Maximo, non tamen repugnans ut antea, collocatus est a sancto Meletio, concilii generalis, quod tum celebrabatur, præside. Ortis deinde querelis inter episcopos, arrepta occasione, Gregorius abdicat se episcopatu, effringit vincula, et gaudio gestiens patriam repetit, optata solitudine se fruiturum sperans.

Quo tempore, Constantinopoli relicta, in patriam reversus est Gregorius, adhuc pastore destituta erat Nazianzena Ecclesia, Apollinaristarum insidiis patens. Hujus periculo permotus Gregorius, rogantibus episcopis et universo populo, illius curam, donec præficere- tur episcopus, se suscepturum promisit : quo præfecto, fugit iterum in solitudinem.

Esto nunc iudicium lectoris, cujusnam Ecclesie Gregorius habendus et appellandus sit episcopus, et an tres episcopatus habuerit. Nemo, opinor, dicturus est eum fuisse Sasimensis Ecclesie præsulem. Certe nusquam scripsit Gregorius se hujus Ecclesie episcopum renuntiatum fuisse, ut ipse loquitur, κηρυχθέντα, hoc est, ullo præconii genere declaratum.

(a) Ep. al. 42.

Designatum quidem, propositum, inauguratum etiam hujus Ecclesiæ episcopum se fate-
tur in oratione nona undecimaque passim et in epistola al. 44. « Non Nazianzi, inquit,
sed Sasimorum (episcopus) designati, » seu mavis, « propositi sumus: » Σασίμων δὲ προσεβλή-
θημεν. Id enim hoc verbum eo loci sonat, sensu sæpius a voce « prædicari et renuntiari »
diverso; quod vel ex Sozomeno patet, *Hist.* lib. v, cap. 8, et Socrate lib. v, c. 8, nec non
et Cyro Prodomo, in titulo epigrammatum suorum in hanc ordinationem Gregorii :

Εἰς Γρηγόριον προβαλλόμενον εἰς Σάσιμα.

At neque hic, neque usquam alibi episcopum Sasimensi renuntiatum se Gregorius dixit;
imo attendenti certo negasse videtur. Quemadmodum enim Nazianzi « designatum, » pro-
positumve episcopum hic se negat, ac Sasimorum fatetur; sic ille Nazianzo se renuntia-
tum epistola al. 225 fatetur, ac de Sasinis negat, quorum « designatum propositumque »
episcopum fuisse sese concesserat. « Ego certe, inquit, si corpore quidem ita me habe-
rem, ut Ecclesiæ possem Nazianzenæ præesse, cujus ab initio præsul sum renuntiatum,
minus autem Sasimorum, ut vobis haud recte nonnulli suadent. » Hæc sunt Gregorii
verba, quæ non bene velus interpres reddidit.

Porro nihil obest, imo plurimum juvat, renuntiationem illam « ab initio, seu primam »
Gregorio vocari, cum Sasimorum, ob quæ primum ad episcopatum assumptus, designa-
tus ante fuisset quam Nazianzo renuntiatum : multo obsit minus de renuntiatione tacita
tantum aut non publica; id a Gregorio aliis in locis explicatum. Quin inde colligas,
nullo Sasimis, nec taciti quidem, nedum solemnem genere præconii renuntiatum : quippe
de Nazianzo concedit Gregorius, de Sasimis expresse negat; de illis vicissim quod affirmat,
negat de Nazianzo.

Erant itaque diversi generis renuntiationes episcoporum, publicæ et canonicæ aliæ, aliæ
non ita. Vulgata res est, maxime in Oriente, « populi totius suffragiis, » ψήφῳ τοῦ λαοῦ παντός,
tunc temporis electos esse episcopos, uti de Athanasio scribit Gregorius (a); vel ut habet
concilium Chalcedonense, actione 16, « pascendorum omnium calculis. » Exempla longius
petenda non sunt : Nectarius in sede Constantinopolitana Gregorio subrogatus est, « com-
munibus, » inquit Sozomenus (b), « synodi suffragiis; » ipsique Constantinopolitani Pa-
tres (c) « ad episcopos Romæ congregatos » eundem a se scribunt ordinatum « universi
cleri totiusque suffragiis civitatis, » παντός τε τοῦ κλήρου, καὶ πάσης ἐπιψηφισομένης τῆς πόλεως.
Moxque de Flaviano Antiocheno : « Canonicæ, » vel, « uti canones jubent, tota illa Ecclesia
suffragante, ordinarunt episcopi illius provinciæ et dioceseos Orientalis. » Οἱ τε τῆς
ἐπαρχίας καὶ τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως... κανονικῶς ἐχειροτόνησαν πάσης συμφήρου τῆς Ἐκκλησίας.
In concilio Chalced. act. 11, Stephanus Ephesinus se canonicè electum probat, his verbis
quia, « et populus, inquit, et clerus, et episcopi, » episcopum me constituerunt. Idem
concilium, act. 16, non alios agnoscit episcopos, præter eos, « qui decreto facto a clericis
uniuscujusque metropolis et possessoribus, κτητόρων, et clarissimis viris, super hæc et a
reverendissimis episcopis provinciæ omnibus aut pluribus » instituti sunt. S. Athana-
sius (d) Gregorium negat esse episcopum Alexandrinum, quia « neque plebi cognitus,
neque postulatus a presbyteris fuerat. » Manifestius de Lucio Theodoretus ait (e) : « Non
in orthodoxorum episcoporum synodo, non suffragio legitimorum clericorum, non postu-
latione plebis, ut Ecclesiæ leges præcipiant, ordinatus est. »

Nunc vero de constituendis erigendisve novis episcopatibus, veluti Sasimensi, ad quem
potissimum collimat hæc oratio, quid Patres definierint ut constet, ecce concilii Sardi-
censis canon sextus : « Provinciæ episcopi debent in iis urbibus episcopos constituere, ubi
etiam prius episcopi fuerunt. Si autem urbs aliqua inveniat tam populosa, ut ipsa epi-
scopatu digna judicetur, accipiat, » iisdem profecto legibus, et a provinciæ suffragantibus
episcopis; quod vel conciliis definitum. In Carthaginensi secundo, can. 5, de novis sedi-
bus erigendis præscribitur, ut « populus Dei multiplicatus sit; » deinde « ut desiderave-
rit, » seu postulaverit episcopum; tum ut fiat « cum ejus voluntate in cujus potestate est

(a) Orat. 21, p. 590.

(b) *Hist.* l. vii, c. 7.

(c) *Conc. Const.* 1, Ep. Syn., t. II. *Conc.* p. 966.

(d) *Apol.* 2.

(e) *Hist.* lib. iv, c. 22.

diœcesis. » Concilium vulgo dictum Africanum addit (a) : « Placuit ut plebes, quæ nunquam habuerunt proprios episcopos, nisi ex plenario concilio uniuscujusque provinciæ et primatis, atque consensu ejus ad cujus diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, decretum fuerit, minime accipiant. » Ad confirmanda hæc omnia vel sufficeret epistola Gregorii, alias 22, ubi de Basilii Magni electione : sed ad astruendam Occidentalis Ecclesiæ hæc in re cum Orientali consensionem, Sidonius Apollinaris, lib. iv, ep. 25, et lib. v, ep. 5, 8 et 9, hujus renuntiationis specimen exhibet : « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Simplicius est, quem provinciæ nostræ metropolitanum, civitati vestræ (Bituricis) summum sacerdotem fieri debere (Sidonius) pronuntio. Proclamationum formulas, quo nomine appellat Morinus, plurimas ipse suppeditat, *De sac. ordin.* exerc. 1, c. 3. Insignior autem illa est, quam ex *Euchologio* Cryptæ Ferratæ idem profert : « Suffragio et approbatione Deo maxime amabiliū episcoporum, et sanctissimorum presbyterorum et diaconorum, divina gratia... promovet hunc... in episcopum urbis, » etc., etc. E Vaticano exemplari aliam exhibet, in qua dicitur « suffragio et approbatione SS. metropolitanorum, archiepiscoporum, episcoporum, » etc., atque ex Cedreno relatam in translatione episcoporum formulam eandem adducit. « Hæc est, inquit vir doctus, electionis legitimæ jam factæ denuntiatio publica, fieri solita cum episcopus ad ordinationem, » adde, et ad inthronizationem « accinctus est. »

Tales erant in Ecclesiis omnibus publicæ, legitimæ, canonicæ electiones, renuntiationes, ordinationes episcoporum ; tacitæ vero, et ut ita dicam, interpretativæ, quales irritas esse decrevit Antiochena synodus anno 341, can. 16, qui citatur in conc. Chalced. act. 11(b). « Si quis episcopus vacans in Ecclesiam vacantem prosiliat, sedemque pervadat, absque integro perfectoque concilio, hic abjiciatur, etsi cunctus populus quem diripuit, eum habere delegerit. » Et infra can. 21 (c) : « Nec vi coactus a populis, neque si etiam hoc ei ab episcopis suadeatur, » vacantis ecclesiæ, « qui propriam deseruit, » habetur episcopus. « Ubique integræ et plenariæ synodi decretum » requiritur, et ut « nullas ordinatio secus facta vires habeat » canone 19 decernitur. His expositis, facile dijudicare est an episcopus Sasimorum Gregorius habendus sit.

Magni Basilii factum, quanquam a pluribus minime probatum, arguere non ausim : at certe, quod Sardicense concilium postulat ad novos episcopatus constituendos, Πληθύνουσα πλις, « Populosa plebs, » nequaquam erant Sasima : « non multiplicatus Dei populus, » ut Carthaginense requirit ; episcopum nec postulaverat, nec desideraverat plebs Sasimorum ; ejusdem Ecclesiæ cleri ac populi nulla convocatio, coitio nulla ; nec episcoporum provinciæ plenaria synodus, ut Antiochenum et Africana sanciant, ulla intervenerat ; nullus « consensus » ejus, « in cujus potestatem diœcesis, » tum dubii juris, postea tandem, ipso consentiente Basilio, cessit. Adeo primatis suffragium non accesserat, ut armata prope modum manu repugaret Anthimus, quem « martium et pugnacem » virum festive Gregorius appellat (d). Itaque episcopum eundem epistola, alias 33, adversus ordinationem suam, cum aliis quibusdam episcopis, multa causatum, scribentem, minitantem, postulantemque synodum inducit. Unde Baronius (e) : « Existimamus, inquit, quod Anthimus alium Sasimis, quæ sibi vindicasset, episcopum ordinaverit ; et Basilius, ad dirimendas Ecclesiæ controversias inter Catholicos periculoso illo tempore obortas, Anthimo pugnaci homini loco cesserit. »

Hinc fortasse referri possit illud epistolæ, alias 33, « epinicium » quod de Gregorio « quasi devicto (f) » concinebat Anthimus ; illique etiam versus (g), quibus Ægyptii præsules suggillantur : « Leges versantes jam pridem mortuas, a quibus quam maxime et manifesto eramus liberi. » Et quidem liber, etiamsi vera fuissent quæ illi objiciebant, Sasimorum præsulem eum esse renuntiatum, unde ad Sasima revocabant ; sed frustra certe,

(a) Can. 65.

(b) Εἰ τις ἐπίσκοπος σχολάζων ἐπὶ σχολάζουσαν ἐκκλησίαν ἑαυτὸν ἐπιβήσας ὑφαρπάξει τὸν θρόνον διχα συνόδου τελείας, τοῦτον ἀπόβλητον εἶναι, καὶ εἰ πᾶς ὁ λαὸς, ὃν ὑφαρπάσεν, ἔλοιτο αὐτόν.

(c) Μήτε ἀπὸ λαῶν ἐκβιαζόμενον, μήτε ὑπὸ ἐπι-

εκόπων ἀναγκαζόμενον.

(d) Ep. al. 31, ἀρτίον Ἄνθιμον.

(e) Baron. an. 371 n. 107.

(f) Ὡς περὶ ἐπινικίων τινα... ὡς ἡττημένων.

(g) Caru. *De vita sua*, v. 1813, 1814.

his etiam positis : quanto magis si falsa sint, ordinato in ejus locum suffectoque episcopo, vel novo certe episcopatu extincto ?

Constat enim alioqui cum Anthimo Basilium in concordiam postea rediisse. Et qua, quæso, conditione, pacato Anthimi bello, Gregorius per bellum istud ex Antiocheni concilii canone 18 hucusque liber, liber esse perseveravit, idque palam ac « manifesto, » nisi alterutra ex his conditionibus accepta ; vel ut Anthimi, cujus provinciæ Sasima cedebant, ordinatio valeret, vel sane locus episcopo careret ? Alioqui si ejus loci renuntiatus erat episcopus, quod objiciebant adversarii, jam nec occultis nec cognitis rationibus liber, sed tunc Ecclesiæ Sasimensi manifesto Gregorius illigatus ; imo et « communione privandus » ex ejusdem Antiocheni concilii canone 17, « si ad Ecclesiam sibi commissam, » remotis jam impedimentis, « ire non acquievisset. » Liber itaque a Sasimis Gregorius ac liberrimus semper fuit, tum ante, tum post factam cum Anthimo pacem ; etiamsi ad eam Ecclesiam fuisset publice et canonice renuntiatus. Superest igitur ut tacita et occulta, si dici liceat, renuntiatione, Sasimorum episcopus Gregorius fuerit : verum ne id quidem ulla ratione defendi potest. Neque enim conniventibus vel tacite probantibus episcopis, clero, populis, quæ tacita renuntiatio est, unquam hanc Ecclesiam administrasse ullo modo dici potest ; quam forte nec adivit unquam, nec a limine salutavit, in qua nec sedit, nec ut sederet ulla vi cogi potuit et adduci. « Certamen iniit pater, » inquit ipse (a), « ut in Sasimensi sede me collocaret : ut autem non valuit, » etc. Paulo post : « Datam autem ne minimum quidem Ecclesiam attigi ; ita ut nec unum ibi sacrificium Deo obtulerim, vel preces una cum populo fuderim, nec clericorum cuiquam manus imposuerim. »

Ex his tum factis, tum dictis liquet, quis in Gregorio « renuntiationis et proclamationis » sensus : ille nimirum, qui hodieque initæ possessionis, et ut vocant, beneficii cujuspiam « investituræ ; » seu fuerit illa « tacita, » cum alicui sedem invadenti, aut eorum ad quos conferendi beneficii non omnino jus pertinet precibus, vel etiam vi quadam Ecclesiam administranti connivent, silentque veri patroni ac legitimi collatores beneficii ; seu fuerit « renuntiatio » ad juris apices formamque legibus sancitam, lectis et expositis patroni, regisve « diplomate » conferentis, seu, ut vocant, provisionibus, et « bulla, » si qua sit, papæ, aut « visa, » atque a promovente, in sede ut plurimum eo qui promovetur collocato, aliisque de more peractis, quibus hodie quis vel episcopatus, vel alterius beneficii possessor firmatur, aut certe, si alius intercedat, « denuntiatur, et prædicatur, » quod Græca ipsa *κηρύσσεται* sonant ; quanquam non eo id in Oriente, quo in his partibus, modo fieret. Sensus hunc exhibent verba Gregorii, contraria et opposita de Nazianzo Sasimisque scribentis (b) : Sasimis « propositum, » designatum, ac si velis, nominatum antistitem, non autem Nazianzo ; contra vero Ecclesiæ Nazianzenæ non propositum, non designatum, non ordinatum episcopum, sed renuntiatum tamen, idque « (c) primum et ab initio, » quanquam « non publico, » sed tacito tantum genere renuntiationis : quæ quidem specie tenus pungantia, hac ratione conciliari et intelligi possunt.

Ecclesiæ alicujus pastor non is censetur, nec in pastorum numerum refertur, qui ad eam electus, promotus, vel etiam ordinatus, jure tandem cadit ; sed qui victa causa possessionem adit atque obtinet. Qua igitur ratione Sasimensis Ecclesiæ episcopus dici posset Gregorius, qui Sasima non attigit quidem, nec illic episcopalis muneris vices ulla obiiit ? Si Sasima dixit « sua, » id non nisi ironice : egregium illud Basilianæ amicitiam munus ridet et exprobrat. Vel etiam « sua » dicere potuit, quia sibi attributa, sibi oblata, sibi data, sed a dubio possessore.

Priusquam Sasima dimittamus, exemplo rem illustrabimus. Beneficium, ut vocant illud, cui animarum cura incumbit, vulgo curatum, uni clerico patronus ; alter pro patrono se gerens alteri præsentet conferatque ; aut certe in curia Romana quivis alius obtineat. Possessione jura sua firmet alter ; alter aut arceatur, aut segnius agat. Dum interim sub iudice lis est, intra annum, ut fit, sacerdotio uterque initiatur ea mente et consilio, ut officio suo fungi valeat. Ad Ecclesiam eandem ordinati ambo vel interea paciscantur, vel senatus

(a) *Carm. De vita sua*, v. 497, et seq.

(b) *Epist. al. 42.*

(c) *Epist. al. 225.*

consulto possidenti jus asseratur, vel alter denique, minime contentiosus, nec litium amans, æmulum ultro sinat possessorem, ipsique suo jure cedat. Sacerdos quidem is erit, propositus etiam, designatus, ordinatusque ad Ecclesiam illam, velut ad Sasimensem Gregorius Num idcirco dicetur illius loci sacerdos, et in pastorum hujus Ecclesiæ catalogum unquam referetur? Minime sane; quia dubio semper aut controverso jure suo cecidit aut sponte cessit.

Quod ætate nostra « præsentationes, provisiones, collationes » vocant, hoc majores nostri ad hanc vel illam Ecclesiam ordinationes appellabant; quia tunc nemo sine titulo ordinabatur. Quæ si alicunde cassæ haberentur et irritæ, nullum, ut ita loquar, ad extra sortiebantur effectum: et qui nullius loci sacerdos aut episcopus manebat, « Vacans, » *σχολάζων*, dicebatur. Talis fuit, ut ex dictis patet, ordinatio Gregorii ad Sasima.

Fuerit ergo Gregorius ad Sasima propositus, designatus, inauguratusque episcopus, ordinationi suæ consenserit, Sasimensis tamen episcopus nec fuit, nec dici potest, nisi ab invidis et calumniatoribus; quippe qui nec aperte, nec tacite, non canonica, non alia quavis ratione loci illius episcopus fuerit renuntiatus, nedum unquam in Sasimensi sede collocatus et firmatus.

Quæ hactenus disputavimus, aperta, vera, certa, necessaria erant ad propulsandas a Gregorio nostro calumnias; apta etiam et commoda ad abstergendam a textu Græco corruptionis notam, atque ad tollendam ab innumeris locis, qui pugnare inter se videntur, repugnantiam. Hac via nimirum iniquæ de translatione ad sedem Constantinopolitanam quæstiones; de tribus episcopatibus, simulque nullo, meræ veteris invidiæ ac recentioris cujusdam scriptoris seu calumniæ seu commenta (a); de corrupto epist. ccxxv textu conjecturæ evanescent; veraque sunt et expedita, quæ in epistola alias xlii et iterum in epistola alias ccxxv, et in aliis locis legenti negotia facescebant: quod amplius sequenti dissertatione de episcopatu Nazianzeno patebit. Hanc claudet testimonium Nicetæ Paphlagonis tom. VI Bibl. Concionatoriæ parte prima sub finem, quo quidem testimonio tota propemodum hæc præsentatio præsens ac proxima continetur.

Postquam narravit orator (b), quomodo episcoporum, Antiocheni in primis magni Meletii votis, Gregorius fuerit in sede Constantinopolitana collocatus, objectioni occurrit pergitque: « At nemo illegitime, contraque ac sacra Ecclesiæ regula statutum est, ad tertiam eum arbitretur transferri sedem. Nam neque ea res translatio est, sed electio, primaque ac unica in urbe Augusta pro episcopi dignitate, atque munere sedis collocatio. Nam quod primo Sasimis, uti dicebam, præfectus est, id solum promotionis causa fuit, cum neque sedem receperit, nec omnino illic ordinaverit, ullamve mysticam initiationem pro antistitis partibus celebraverit; quod nempe viculus ad sustentandam episcopalem sedem esset omnino ineptus. Nazianzenam autem cathedram quondam curavisse, cum pater illius episcopus esset; at non ejus creatum esse episcopum, aut sedem illam unquam suscepisse. Solum autem patris hortatu ac jussu ut sacri ministerii defectum impleret, sic Ecclesiæ curam suscepisse, ut senectæ fulcrum ac paternæ imbecillitatis sustentaculum audiret. Ita vero se rem habere, etiam ex iis perspicuum est, quæ ipse ad Gregorium sibi cognominem scribit (c): « Inter omnes etenim constat me non Nazianzi, sed Sasimorum antistitem creatum, (propositum, *προεβλήθημεν*) fuisse, tametsi in patris reverentiam et eorum qui supplices « hoc a me contenderunt, ad breve tempus, quasi hospites præfecturam suscepimus. » Quod igitur pater mortalem vitam divina commutaverat, vacantem jam inventum divina Spiritus gratia, vitæque ac doctrinæ humana majore præstantia postea clarissimum effectum, in urbis Augustæ solio quantum oculis conspicuum erat, constituit; quantum autem animo aspectabile, orbis terrarum bonum pastorem magnumque antistitem præficit. »

Rejecto Sasimensi episcopatu, rejiciendus quoque Nazianzenus, et Constantinopolitanus est asserendus: id quidem exsequimur. Abjectis Sasimis, Gregorius in solitudinem se contulit, e qua retractus, roganti, vel jubenti patri id tantum concessit (d) ut « collaborans cum

(a) Dupin. *Bibl. eccl.* tit. GREGORIUS.

(c) Ep. al. 42.

(b) Tom. VI, p. 631, col. 2, ex orat. in Gregorium.

(d) Carm. *De vita sua*, v. 500.

eo curam Ecclesiæ Nazianzenæ « susciperet; » ea lege ac conditione, ut ne huic astringeretur Ecclesiæ, et parente mortuo (a), « pennam spiritui quo vellet et quomodo vellet suam permitteret deferendam, nec quisquam foret, qui se cogere posset, aut alio traducere repugnantem. » Mirum est, Gregorium Nazianzenæ Ecclesiæ episcopum appellatum fuisse, cum tantopere precaverit, ut ne huic Ecclesiæ alligaretur: multi tamen scriptores, veteres et recentiores, Theologo reclamante, eum Nazianzenum appellant, Socrates, Sozomenus, Gregorius ejus Vitæ scriptor, Baronius, Bellarminus. Vetus et communis error est manuscriptis, qui nunc exstant, longe antiquior, ipsique Gregorio suppar. Rufinus in prologo ad orationes Gregorii Latine versas scribit: « Defuncto patre succedit in episcopatum apud Nazianzum; » et *Hist.* lib. II, c. 9, « in locum patris eumdem subrogatum » asserit. Imo Hieronymus (b), qui familiariter cum eo Constantinopoli versatus est, et qui eo magistro Scripturas se didicisse gloriabatur: « Gregorius, inquit, primum Sasimorum, deinde Nazianzenus episcopus. »

Quin etiam, notante Baronio ad annum 371, et in Vita Gregorii apud Bollandum cap. 9, « ejus adversarii id ei dabant crimini, eumque ob contumeliam appellabant triepiscopum, cum jam sedis Constantinopolitanæ fuisset electus episcopus. » Sed tam diserte Gregorius negat se fuisse Nazianzi episcopum, ut ipsi fides adhibenda sit: « Manifestum est, inquit (c), omnibus me non Nazianzi designatum episcopum esse. » Non certum duntaxat et indubitatum, sed manifestum; non amicis solum et paucis, sed « omnibus » omnino debuit esse « manifestum. » In carmine autem *De vita sua* (d): « Postquam, inquit, parentes excessere vita, et hac ego calamitate liber sum relictus, datam equidem Sasimensis Ecclesiam nullatenus attingi.... Paternæ vero.... exiguo sane tempore, velut hospes alienæ, curam aliquam gessi, non dissitebor: id ipsum usque denuntians episcopis, poscens instar beneficii ex imo corde, ut urbi virum aliquem præficerent episcopum. Hinc illud quidem vere affirmans, nondum ullam a me acceptam fuisse publica renuntiatione (Ecclesiam).... Cum autem non persuaderem alium ut præficerent, quia hi quidem præ magno mei desiderio retinere volebant, illi verò forte despiciebant; nulli autem causabantur non esse liberum: primum Seleuciam fuga me contuli, atque ibi in Parthenone celeberrimæ martyris Theclæ non exiguo tempore commemoratus sum (e).

Nec dicas Gregorium fateri ac scribere, episcopum Nazianzi se renuntiatum: « Ego si certe corpore quidem ita me haberem, ut Ecclesiæ possem Nazianzenæ præesse, cujus ab initio sum præsul renuntiatum, minus autem Sasimorum, ut vobis haud recte nonnulli suadent, non adeo sum (f), » etc. Scripsit quidem Gregorius non semel se Nazianzi episcopum renuntiatum, sed de publica renuntiatione non est intelligendus: vere, inquit, post obitum patris, « affirmabam nondum ullam acceptam a me fuisse publica renuntiatione ecclesiam: » scripsit iterum ep. alias CCXXII, « ea se non teneri renuntiatione, » qua Nazianzi renuntiatum sese eo. alias CCXXV scribit, « ea non astringi, » uti rursus carm. *De vita sua*, v. 523.

Postquam Constantinopoli in patriam reversus est Gregorius, Nazianzenam iterum administrare Ecclesiam, anarchia laborantem, ab Apollinaristis misere laceratam, cleri populique precibus et lacrymis coactus est; sese iterum administrationi « concessit (g), jugum subiit (h), vinci ac vinciri » se iterum passus est, ἡττηθῆν, δέσμιος ἔρχομαι. Verum sicut prius a patre victus, ita tum, non « in plenario concilio renuntiatum » ab episcopis, sed a civibus tantum amicisque coactus, ob patris, (i) « cujus solvi labores dolebat, et eorum qui hoc a se precibus contendebant reverentiam, ad breve tempus præfecturam quasi hospes (j) accepit, ac veluti peregrinus. » Iterum (k), non « proprias, » proprius ut episcopus, « habenas, » sed « alienas, » ξένην ἡγῶν, suscepit; quippe qui eo ipso loco alterius gregis pedum,

(a) Or. 12, al. 8.

(b) Ad Pamun. et epist. 51, Lib. I cont. Jov. et *De script. eccl.*

(c) Epist. al. 42.

(d) Carin. *De vita sua*, v. 528 et seq.

(e) *Ibid.*, v. 554.

(f) Ep. al. 225.

(g) Ἐπιδιδωμι. Ep. al. 222.

(h) Ἀρχὴν ἔλαμψα. Carin. 7, v. 80.

(i) Carin. 145, v. 191, et Ep. al. 42.

(j) Ὡς ξένος. Epist. al. 42.

(k) Carin. 145, v. 105 et 189.

ἄλλου ποιμνίου, scilicet Constantinopolitani, suscepisse se fateatur (a). Unde ne id quidem, nisi «*quandiu valeret, »* concessit; atque iterum discessit quasi liber, recrudescente paulo post ægritudine: «*Constrictum, inquit (b), me morbus tenet, et ab Ecclesiæ gubernaculis celerius abduxit. »*

Quod vero omnem tollit dubitationem, Eulalio tandem renuntiato publice et episcopo Nazianzi canonice ordinato, Nysseno præsulī et iis qui canones objiciebant, respondet Gregorius (c): «*Quod si quis est, qui putet episcopo vivente alium institui non debere, is sciat se ne hac quidem in parte nobis causa superiorem esse. Apud omnes enim liquido constat, me non Nazianzi, sed Sasimorum antistitem propositum esse; »* id est, ne Nazianzi quidem «*propositum, »* nedum publice ac canonice renuntiatum esse episcopum. Exspirantis tamen vitæ reliquias, si per valetudinem licuisset, ipse Ecclesiæ Nazianzenæ consecratorum se epist. cccxxv profitetur, potius quam Sasimensi, cui nunquam, inquit Bollandenses, se credit obligatum, cui nullo unquam præconii genere renuntiatum erat: quamquam id molestiæ facessendæ gratia quidam invidi per calumniam et «*contentionem, »* ut ibidem loquitur, objiciebant.

Innocuum quo ludebat Gregorius cum adversarios, tum amicos, artificium quis non miretur? Cum ad Nazianzenam Ecclesiam tacita saltem objectabatur renuntiatio, Sasimensem protinus designationem regerebat, ut epist. cxlii, eique Ecclesiæ, a qua, vel impleta vel abolita sede, nihil penitus timebat, plus illigatus quam Nazianzo videri volebat. Cum autem ad Sasima, ut epist. cccxxv, revocabatur, aut magis contemptus causa relegabatur; Nazianzenam illico «*renuntiationem »* objiciebat, «*qua se teneri »* nihilominus non timeret. Genuinum hunc esse epistolarum sensum, præter gravissima quæ jam attulimus momenta, probant eadem epistolæ xlii, liv, lxxxiii, cccxv, in quibus omnibus eos salse ridet qui, ut Ecclesiæ probarent alterutri vere addictum, frustra canones opponebant.

Ad cumalium accedat jam palmaris locus, qui Sasimensem Nazianzenumque simul episcopatum Gregorii vel unus possit ad fabulas amandare. Locum illum exhibet carmen 1 editum a Tollo, vers. 93: «*Cæterum posteaquam accessissem »* Constantinopolim, «*relicta Cappadocia, quæ fidei propugnaculum esse plerisque videtur, nequaquam deserto populo, cui aliqua necessitudine obligatus essem: οὐ λιπὼν λαόν, οὐδὲν τῶν ἀναγκαίων ἔμει·* nam illa sunt hostium meorum figmenta, falsique sermones, invidiæ velamenta quædam ingeniose excogitata. »

At, inquires, Gregorius se fatetur propriam habuisse Ecclesiam, aliam a Constantinopolitana, his verbis (d): «*In gratiam porro cum veritate redeant, qui nos alienam uxorem expetivisse aiunt, cum ne propriam quidem habere voluerimus. »* Quæ Thomassinus (e) ad Sasima trahit, quamvis Nazianzum perinde spectare possint. Sed Basilii scholiastes hæc verba, «*alienam uxorem a nobis expetitam esse, »* sic interpretatur: *ἦτοι καὶ αὐτὸ τοῦτο, ὡς συκοφαντησάντων οἰητέον τῶν ἐναντίων· ἢ διὰ τὴν Ἐκκλησίαν Κωνσταντινουπόλεως ἀληπιτέον·* hoc est: «*Vel idipsum per inimicorum calumniam objectum fuisse putandum est, vel sane de Ecclesia Constantinopolitana accipiendum. »* De Ecclesia itaque dicta hæc etiam intelligantur, Ecclesiæ tamen alteri mancipatum unquam Gregorium inde non magis sequitur, quam eundem uxorem aliquando duxisse quam reliquerit postea, ex interpretatione priori sequatur. Sequitur tantum uxore ac Ecclesiæ cura liberam solutamque vitam et matrimonio anteposuisse et episcopatu, priusquam ad Constantinopolitanam sedem eveheretur. Sunt versus nonnulli carminis 1, qui cum hoc loco quamdam habent affinitatem (f): Ἄλλ' οὐκ ἔμὸν γὰρ τῇ βίᾳ κάμψαι γόνυ, οὐδ' ἀσπάσασθαι τὴν ἄθεσμον ἔδρασι, ὅς οὐδὲ τὴν ἔνθεσμον ἠναγκασμένος: quos versus Cardonus, apud Bollandum (g), paraphrasticè et soluta oratione feliciter sic reddit, quam Billius strieta: «*Sed non iis ego sum moribus, ut violentiæ ulli facile cedendum existimem, aut occupandam cathedram, non rite et sicut oportet colla-*

(a) Ep. al. 222.

(b) Ep. al. 88.

(c) Ep. al. 42.

(d) Orat. al. 27, nunc 36, n. 6.

(e) Discip. eccl. part. 1, l. II, c. 25, n. 9

(f) V. 4071 et seqq.

(g) ix Mail, p. 459.

tam, qui nulla ratione passus sum in ea me collocari, quam jure æquissimo obtinere poteram. »

Legitimam enim illam, ut ita loquar, « inthronizationem, » Ἐνθρόνον ἱθροῦσιν, non factam, sed oblatam; non traditam, ut Billius reddit, sed tradendam uxorem Gregorius, si fas est dicere, dereliquit. Nec incerta res: illam probant versus carminis *De vita sua* 541 et seq. Et certe nemini dubium esse potest, quin universi, non tantum provinciæ, sed orbis totius, quam late patet, præsules ad evehendum Gregorium ad episcopatum, seu Sasimensem, seu Nazianzenum libenter conspirassent, si ipse consensisset. « Nec enim, inquit de se ipso (a), adeo episcopis contemptui sumus, ut alium manente me renuntiarent: » eo sensu ne « propriam quidem uxorem, » sedemve legitimam, « habere » voluisse credendus est. Leviora sunt quæ objiciuntur, quod Gregorius « suos » appellat Nazianzenos (b): « sui » profecto erant, patria, habitatione, affectu, cura ac sollicitudine eorum, quam pluries suscepit, sive dum pater senio confectus superstes esset, sive post mortem ipsius, sive post abdicatam sedem Constantinopolitanam, sed nunquam ut proprius eorum episcopus. Sat de Sasimensi et Nazianzeno episcopatibus dictum, atque etiam plura forsitan quam necesse erat.

Amotis Sasimensi et Nazianzeno episcopatibus, quos nunquam a Gregorio occupatos fuisse demonstratum nobis videtur, superest ut vel nullius, vel sane urbis Constantinopolis, nec nisi Constantinopolis episcopus renuntiatus fuerit Gregorius. Constantinopolitani episcopi titulum plerique manu exarati codices præferunt; Constantinopolitanum revera episcopum fuisse res ipsa loquitur, loquuntur acta scriptaque omnia. Tanta fuerunt « plebis, possessorum, » ut canones præscribunt, « clarissimorum, imperatoris, cleri, episcoporum, » virorum etiam ac mulierum, Gregorium præsulem postulantium studia et vota, ut nemo satis, nisi Gregorius ipse, verbis expresserit. Cum Theodosius urbis Constantinopolitanæ ecclesias Catholicis restituit, unaque cum eo majorem basilicam Theologus subit, qui prius erat in nubilo sol refulsit. « Ibi, » inquit Gregorius (c), « cum hoc spectaculo subiisset animos fiducia, » quæ aderat multitudo « clamare totis viribus ac deprecere nos, in præsentiarum » haud aliter « ac si hoc unum defuisset; princepsque ac maximum a summo principe hoc civitati fore thronis ipsis anteponendum munus, si urbis solio » episcopali « ab ipso donaremur. Hoc viri dignitate præcipui, hoc infimum vulgus agitabat. Omnes ex æquo rem desiderabant, pari flagrabant desiderio: hoc alta voce mulieres inclamabant, pene amplius quam mulieres deceret. Incredibile quoddam, repercusso fragore, tonitru audiebatur. »

Tunc quidem vicit Theologi modestia (d), neque tum cogi potuit ut episcopale solium conscenderet: verum ad agendas uni Deo gratias populi studia vir divinus, θεολογικός, provida dexteritate convertit (e). Tam unanimi omnium ordinum postulationi, tam ardentibus votis et clamoribus, episcoporum, plenariique concilii provinciæ non tantum, sed Orientis etiam pene totius et œcumenicæ synodi suffragia solemniter accesserunt. « Quidquid Oriens, inquit (f), habebat, excepta Ægypto, populi antistitum ad Romam usque secundam, terræ marisque ex recessibus intimis concitatum coit. His præsidebat vir pietate maximus..... moribus mellitus (Meletius) et nomine. Hi me collocant firmantque, πηξοντες, in augusta sede clamantem gementemque, una tamen de causa non plane repugnantem. »

Sed nec Ægyptiorum etiam defuisse videtur consensus, quos quidem maxime his verbis alloquitur Gregorius (g): « Heri, ut ita dicam, inthronistæ, hodie persecutores, ac e throno, in quo me collocastis, deturbantes. » Conjecturam astruunt carminis ejusdem versiculi 1810 et 1811, quibus testatur Ægyptios minime voluisse in throno Constantinopolitano alterum a se collocare: quin et contraria Gregorio ipsi omnino persuadere conabantur, adeo ut nullius in toto concilio generali consensus atque suffragium defuisse videatur.

(a) Ep. al. 42.

(b) Carin. *De suis calamit.*

(c) *De rebus suis*, v. 1374 et seqq.

(d) Carin. *De vita sua*, v. 1393.

(e) Theodoret. *Hist.* lib. v, c. 8.

(f) Carin. *De vita sua*, v. 1507.

(g) *Ibid.*, v. 1931

Gregorius autem, qui binos episcopatus fugerat, Constantinopolitanum suscepit spe pacis conciliandæ; eaque desperata deseruit, ut in solitudine, Deo contentus, expetita pace frueretur. Ita quod schismate laborantibus Corinthiis vir apostolicus Clemens epistola priori suadebat (a), ut « Si quis esset generosus, si quis misericors, si quis charitatis plenus, diceret: Si propter me seditio et discordia et schismata, discedo.... solum ovile Christi in pace degat, » etc.; ad quod paratum se esse post exemplum Theologi Chrysostomus profitebatur (b): id Gregorius Nazianzenus reipsa præstitit, qui ut seditioni obviam iret, postquam ad Constantinopolitanam sedem admotus esset, protinus Ecclesiæ repudiavit præfecturam, nec aliam « vir generosus, » ut verbis S. Clementis utar, « vir misericors et plenus charitatis, » vita divina insignis, Christianæ in Ecclesia pacis martyr et hostia (c), discedens ab imperatore poposcit gratiam, nisi ut ad concordiam adduceret episcopos, contestatus se mundi gratia, quæ patiebatur patî facile, et ad conciliandam mundo pacem urbem thronoque excedere libenter, paci denique omnia litare: « Quin etiam scis, » inquit (d), alloqui pergens imperatorem Theodosium, « quam reluctantem in throno me collocasti. »

Nunquam Sasimensem, nunquam Nazianzenum episcopum se dixit dicere passus est Gregorius, sed semper in carminibus et epistolis vehementer reclamavit: Constantinopolitanam vero sedem se accepisse fatetur, in ea se collocatum fuisse testatur, seque ipse nominat illius urbis episcopum. Certe nec major nec apertior ulla potest esse auctoritas quam istud authenticum testamenti principium et finis. Ac principium quidem: « Gregorius, inquit, episcopus catholicæ Constantinopolis Ecclesiæ, vivens ac prudens... » In fine vero subscriptio hæc est: « Gregorius episcopus catholicæ Constantinopolis Ecclesiæ relegei testamentum, et omnia approbans subscripsi manu mea, et vim obtinere volo et jubeo. »

Denique inter episcopos Constantinopolitanos in episcoporum hujus urbis serie sic recensetur: « Gregorius Theologus, Sasimorum primum episcopus (designatus), Constantinopolitanus sub Theodosio Magno renuntiatus est, eique hæc sedes, veluti qui multa laborasset, ac Ecclesiam ab injuria vindicasset in libertatem, est a synodo confirmata: » Ἐπιτομὴ τῶν ἀποστόλων τοῦ θρόνου παρὰ τῆς συνόδου.

Nullum jam circa episcopatum Gregorii dubium videtur superesse, nec evellendus restat scrupulus. Siquidem ex dictis constare debet eum, nec Sasimorum, nec Nazianzi, sed solius Constantinopolis Ecclesiæ episcopum renuntiatione publica et canonica, communibus totius cleri ac populi votis et suffragiis, necnon plenarii concilii Patrum omnium consensu, fuisse renuntiatum. Non aliud igitur huic nostræ Gregorii operum editioni titulum præfigere licebat, quam qui præfixus est: « Sancti Patris nostri Gregorii Theologi, archiepiscopi Constantinopolitani, opera. » Hunc sibi in manuscriptis pens omnibus Orationes omnes, hunc sibi Carmina, hunc sibi Epistolæ titulum præscribunt.

§ V. DE AMPHILOCHIO, CUM PATRE, TUM FILIO, EPISCOPO ICONIENSI, TOTAQUE GREGORII MATERNA COGNATIONE, AD QUAM PERTINERE AMPHILOCHIUS DEMONSTRATUR.

Amphilochium illum, cujus uxor Livia fuit, ab Iconiensi hujus nominis præsule diversum statuit quidem vir clarissimus Muratorius in notis ad epitaphium xxxi, pag. 31. At nihil ille præterea, nec ei de utriusque Amphilochii cum Gregorio nostro consanguinitate aut suboluit quidquam, aut certe quid sentiret vir doctus non aperuit. Verum Amphilochium filium, de quo in epigrammatibus, Iconiensem esse episcopum celeberrimum illum ac vulgo eo nomine cognitum, tametsi non ita fortasse constet; constat tamen certissime Amphilochios, de quibus hic agitur, Gregoriæ sanguine conjunctissimos fuisse: ac patrem quidem avunculum Gregorii, filium vero Amphilochium ex avunculo fratrem aut amitinum. Quod postremum ubi probaverimus, partem alteram attingemus.

Mitto Amphilochium, Amphilochii Euphemiique parentem, et Liviæ conjugem, natum

(a) Ep. 1 S. Clem., p. 176, ed. Cotel.

(b) Hom. xi, ad Eph.

(c) Vers. 1891 et 1898.

(d) Vers. 1899.

Diocæsareæ, id est Nazianzi. Is Amphilocheus dicitur « (a) magna Philtati et Gorgoniæ proles : » *υἷα Φιλτατίου Γοργονίας τε μέγαν*. Porro Philtati filia appellatur Nonna (b), quæ alia esse non potest, quam mater Theologi ; quippe quæ Nonna in testamento Gregorii vocatur, Alypium et Gorgoniam juniorem parentes habuit, sororemque Alypianam.

Hoc vel uno momento constat Nonnæ, Theologi matris, Amphilochium fuisse ex Philtatio et Gorgonia parentibus germanum fratrem. Hinc ad Nonnæ filiam manavit Gorgoniæ nomen, quemadmodum ab avia Basilii magni soror dicta est Macrina, imo ipsius Gorgoniæ junioris filia ab avia quoque, matre Theologi, Nonna vocata : et ab avo, aut proavo Philtatio, Philtati, (c) de qua in quodam epitaphio, quem ex Gregorii familia fuisse nemo dubitaverit.

Jam vero quantum lucis hæc affundant singulis epigrammatibus, totique historiæ et genti Gregorii attendat lector. Hinc primo apparet cur vir se ipso adeo commendabilis Amphilochius, suis nobilitetur parentibus. Nimirum isti, Gregorio quoque avi erant, illaque « radix sancta, » unde orta Nonna « sanctior, » Gregorii mater, toties in carminibus atque orationibus hoc nomine a filio commendata.

Deinde planum est, quid hæc verba epitaphii xxix (d) significent : *πηοῖς πάντα πέπασσεν*. Agitur enim de doctrina et scientiæ bonis, quæ consanguineis et affinis, eos docendo, paraverat Amphilochius. Unde iterum in epitaphio xxx (e), doctrinam idem ipse dicitur « auxiliium et robur fuisse cognatis, piis, nobilibus, litteratis, verbique dator, » id est eloquentiæ, seu ut in alio (f) « Rhetoricæ » magister « eximius : » quod quidem Græca sonant.

Quippe ex discipulis Amphilochii patris et necessariis, Gregorius non unus solum erat, ἀταλρων σῶν ἐνός : verum ex propinquis etiam, et sanguine conjunctissimus. Hinc adeo sic epitaphium xxx claudit : « Gregorius hæc scripsi, orationem oratione, quam a te, Amphilochie, edidici, mutuam rependens. » Didicerat porro Gregorius, utique in patria, sub patre primum et avunculo, priusquam ad externos, velut ad mercaturam bonarum artium proficisceretur.

Antequam vero longius progrediamur, operæ pretium fuerit observare, quod Muratorius (g) in epitaphii titulum xxxi conjiciebat, jam ut certissimum esse habendum, scribendumque, εἰς Ἀμφιλόχιον ἄλλο, « in Amphilochium aliud, » scilicet epitaphium : non autem, « in Amphilochium alium. » Idem enim est Amphilochius, Gregorii avunculus, de quo in epitaphiis 29, 30, 31, 32, 33, 34, 35, etc., in quibus « (h) vim igneam dicendi habuisse, ῥήτρων πυρρῶσαν, omnesque Cappadocas superasse eloquentia » dicitur. Is, inquam, unus idemque Amphilochius : nec dubium cuiquam esse potest, quin ille Amphilochius, qui in posterioribus sub novo titulo epitaphiis ab eloquentia tantopere commendatur, ille ipse sit, qui « fons eloquentiæ omnibus, » Gregoriique magister prioribus in epitaphiis audire meruit.

Plana demum est et aperta totius Gregorianæ gentis ex matre series, hucusque prope modum ignota. Quam enim exhibet Baronius in Vita Gregorii, ea mendosa, et præterea ab aliis perturbata et adulterata fuit. Sic igitur, lector, habeto.

Ex Philtatio et Gorgonia ejus uxore orta est Nonna, Gregorii mater, ejusdemque avunculus Amphilochius, Nonnæ germanus frater. Natu majorem fuisse Nonnam id penè persuadet, quod Gregorius (i) Amphilochii filios, non nisi quia ætate minores erant, « filiorum » nomine compellere soleat, sequè ipse « senem » appellare. De Amphilochii sobole primum dicamus.

Amphilochius, Gregorii avunculus, uxorem habuit Liviam, μάκαιρα δάμαρ Ἀμφιλόχου Λιβη· « (j) Beata Amphilochii uxor Livia. » Tres ex ea liberos Amphilochius suscepit : σῶν τριῶν τεκνέων, « (k) tuorum filiorum trias. » Hi filii fuere « (l) Euphemius et Amphilochius : » υἱέες Ἀμφιλόχου Εὐφήμιος, Ἀμφιλόχος τε. De tertii nomine postea dicemus.

(a) Apud Mur., ep. 35, p. 33.

(b) Ibid., ep. 115, p. 106.

(c) Epist. 136 lib. II.

(d) Apud Mur., ep. 29, p. 29.

(e) Ibid., ep. 30, p. 29.

(f) Ep. 34, p. 30.

(g) Ep. 30, p. 31.

(h) Ep. 32, p. 32. Ep. 33, p. 34.

(i) Epist. 23, al. 106.

(j) Murat., ep. 17, p. 17.

(k) Ep. 19, p. 20.

(l) Ep. 20, p. 20.

Liviæ matri hos tres liberos superstites fuisse probat epitaphium xix (a), in quo « liberorum trias maritusque tumulo Liviam illustrasse » dicuntur. Primus omnium mortuus est Euphemius, quem pluribus epitaphiis celebravit Gregorius (b), quibus epitaphiis belle consonat epistola Gregorii ccxxx, alias cxiv, ad Theodosium sive Theodorum, cujus filia Euphemio jam desponsata, nuptiis proxima, ibi (c) non describitur aliter ac in epitaphio XXI, conjux ejus Euphemius.

Si alia non suppeterent momenta, ea satis essent ad demonstrandam Euphemii, ejusque patris Amphilochii et Amphilochii fratris cum Gregorio cognationem. Scribit enim epistola mox laudata Gregorius Theodosio jamjam futuro Euphemii vitrico : « Nunc genera copulantur, » et inferius, cognationis gradum ut intelligas : « Et tu nos per suavissimum filium nostrum Euphemium habe, et nos item per suavissimam filiam vestram vos habemus. » Mox Theodosii filiam, suam quoque ob matrimonium ducens : « Patris (de se ipso loquitur) benevolentia par erga liberos. »

Utrum autem Euphemius iste, de quo in Epistola ccxxx, al. cxiv, ille ipse sit, cujus fit mentio in Epistola lxxxiii, al. cxlix, an ille quoque de quo circa finem testamenti agitur, non ita perspicuum est. Si unum tantum admittas Euphemium, occurrunt difficultates, quæ solvi non possunt. Satius ergo arbitramur, imo necessarium, duos Euphemios distinguere; unum, de quo epitaphia et epistola ccxxx, alias cxiv ad Theodosium; alterum, de quo testamentum Gregorii loquitur, utrumque tamen affinitate Gregorio conjunctum.

Tres Amphilochio ex Livia fuisse liberos diximus, Euphemium et Amphilochium : quis sit tertius, quærendum. Epitaphium (d), in quo « trias liberorum » Amphilochio tribuitur, tertii nomen silet. In Epitaphio xx (e) duorum duntaxat filiorum Amphilochii fit mentio : Euphemii jam defuncti, et Amphilochii superstitis. Primo quidem Philtatium tertium eura esse filium suspicabamur; verum Gregorius nodum hunc ipse solvit in carmine ad Olympiadem, his verbis (f) : Ἔστι σοι, ὦ χαρίεσσα, θεοδόσις [θεοῦ-δόσις] · ἡ δὲ προκείμεθα παντός σοι μύθοιο καὶ ἔργματος ἔμπροσ εἰκῶν.... αὐτοχασίγνητή μέγ' ἀμύμονος ἀρχιερέως Ἀμφιλόχου. « Est tibi, o elegantissima mulier, Theodosia, quæ tibi omnis sermonis et operis vivum exemplar proposita sit..... soror innocentissimi antistitis Amphilochii. » En tertia Amphilochii progenies. Amphilochius vero, cujus soror Theodosia dicitur, non alius est quam Iconiensis episcopus; Amphilochius, inquam, Euphemii ex Amphilochio et Livia frater germanus. Omnia conveniunt; patria, genus, vitæ et morum sanctitas.

Patriam Amphilochii Iconiensis fuisse Cappadociam testatur Basilius epistola alias cccxciv, et maxime Hieronymus, qui epistola ad Magnum lxxxiii, alias lxxxiv, inter viros doctos Cappadociæ Basilium, Gregorium et Amphilochium recenset. Amphilochio parenti, ejusque filiis, Diocæsarea, id est, Nazianzum, patria assignatur in epitaphio xxxi (g).

De genere quoque sibi consentiunt omnia, epitaphia, epistolæ, poemata. In epitaphiis Amphilochius ille, qui Gregorii ex avunculo frater dicitur, parentem ejus nominis Amphilochium habuit : habuit et Iconiensis Amphilochius, ut ex epigraphe epistolæ lxii, alias clxi optime Tillemontius eruit et astruit nota priori in Vitam Amphilochii et eruditi concedunt.

Gentem vero ac familiam Amphilochii eandem atque Gregorii sapiunt epitaphia, ut vidimus, propemodum omnia; sapiunt et epistolæ. Epistola namque xiii, alias clx ad Amphilochium, quem Iconiensem postea episcopum fuisse nemo negaverit, Gregorius ait : « Non multum una fuimus, quanquam illud omnino oportuit, cum propter nos ipsos, tum propter tractatam ad nos a parentibus amicitiam. » Ac paulo post Nicobulus, ex Gregorii sorore Gorgonia filius, non Gregorii solum, sed Amphilochii pariter, tametsi inferiori gradu, filius dicitur : « Filius noster, » ἡμῶν, amborum, « Nicobulus. » Epistola lxii, alias clxi, certissime ad Amphilochium Iconiensis episcopi patrem scripta, cognationem Amphilochii cum Gregorio a capite ad calcem aut diserte exprimit, aut non obscure signi-

(a) Murat., ep. 19.

(b) Ep. 20 et seq.

(c) Murat., ep. 21.

(d) Murat., 19.

(e) Murat., 20.

(f) Carm., ad Olymp. v. 97 et seq.

(g) Murat., ep. 31, p. 30.

ficat; maxime vero illa comparatione inter funus Gregorii patris, quem Theologus sibi morte sublatum dolet, et amissionem Amphilocho filii, quem Amphilocho pater ademptum sibi queritur; illaque etiam, jure utique propinquitatis, debita consolatione, quam Amphilocho pater, et Gregorius filius a se mutuo expectare ac reposcere poterant. Clarius adhuc his ad Amphilocho verbis illud declarat Gregorius: « Nos accusas, inquit.... minime detrimentum agnoscere, quod amici omnes et cognati, συγγενεῖς, acceperunt; atque ego in primis, » etc. : disertissime porro exprimit, ubi Iconiensem episcopum æque vocat Amphilocho, ad quem scribit, « filium ac suum ipsius fratrem : filium tuum, fratrem autem nostrum, » etc. Τὸν οὖν υἱόν, ἡμέτερον δὲ ἀδελφόν. Has ob causas consolationem a Theologo expectare debuerat Amphilocho pater de filio sibi adempto, nempe Amphilocho Iconiensi, cujus ex avunculo frater erat Gregorius.

Tam clara sunt isthæc et firma, ut jam pigeat epistolam ad Themistium xxiv, alias cxl. adjicere, ubi hæc leguntur : Σὺ φίλος πατρόςθεν ὁ ἐμὸς Ἀμφιλόχιος. Hæc verba sive cum interprete sic reddideris : « A paterno latere tibi amicus est meus Amphilocho; » sive magis ad litteram, « tibi amicus est, meus a parentibus Amphilocho; » vim certe aut verborum horumce, aut sententiæ prioris haud effugeris. Dicere enim voluit seu interpretes, seu Gregorius, minime degenerem ab eloquentia patris Amphilocho esse; qua Themistio « eloquentiæ regi » charus pater cum esset, charus eidem et filius esse debebat. Quæ quidem avunculo Gregorii, ejusque filio, qui in epitaphiis tantopere ob eloquentiam celebrantur, egregie conveniunt. Unde in eadem epistola mox subjicit Gregorius : « Addam etiam, quod ejusmodi est, » nempe Amphilocho, « qui nec majorum generi, nec nostræ amicitiae dedecori sit. » Sic enim reddenda Gregorii verba, πατέρων γένει non ut interpretes, « paterno generi; » alioqui πατρός dixisset Gregorius, non πατέρων. Ita autem loquitur, ut genus Amphilocho, suum quoque fuisse, majoresque eisdem significet. Simili prorsus et sententia et ratione in carmine 57, vers. 103, « decus suum » Iconiensem episcopum Amphilocho Gregorius vocat (a). Decus autem esse poterat Gregorii Amphilocho, vel ut tanti magistri discipulus, vel ut communis stirpis et originis ornamentum. Præstat hæc vero sententia priori, cum Amphilocho epistola xiii, alias clx, scribentem Gregorium viderimus : « Non multum una fuimus, » etc., quæ a disciplina quam longissime remota sunt. Ita quoque epitaphio apud Muratorium xxxvi, Nicomedem « decus meum » ait; quia sanguinis particeps ejusdem, gentem et ipse Gregorianam illustrabat.

Nec minus ad rem nostram faciunt testamentum Gregorii, et plures epistolæ; xxii, alias cx; xxiii, alias cvi; in quibus Amphilocho sive honore, sive amore dignissimum, vel reverendissimum, sane ob episcopatus dignitatem, filium suum appellat : Τὸν τιμιώτατον υἱόν, ἀδελφιμώτατον, etc. Euphemium quoque, Amphilocho, postea Iconiensis episcopi, germanum fratrem, filium suum appellat Gregorius. Si rationem quæras, cur amitinos Gregorius noster eo nomine donaverit, epistola xxiii, alias cvi, quæ pro Amphilocho ipso scripta est, docebit : « Ipse tibi, inquit Gregorius, charissimum filium nostrum Amphilocho offero, virum probitatis nomine usque adeo nobilem, etiam præter quam ætas ferat; ut ipse, qui et senex et sacerdos.... præclare mecum agi existimaturus sim, si eam hominum existimationem obtinerem. » Ætatis igitur dignitatisque prærogativa, hoc usus esse vocabulo Gregorius videtur, et amitinos appellavit, modo fratres, modo filios.

De Nonnæ, Gregorii matris, nepotibus nunc dicamus. Nonna tres liberos procreavit, Gregorium, Cæsarium, et filiam nomine Gorgoniam. Cælebs obiit Cæsarius; Gregorius virginitatem perpetuo coluit, vitamque monasticam exercuit. Sola posteros reliquit Gorgonia, quæ nupsit Alypio. Nullum jam conjecturis locum de marito Gorgoniæ, quem Baronius in Vita Gregorii Vitalianum fuisse conjiciebat, Tillemontius modeste suggerebat esse Meletium, relinquit epitaphium lxx (b). In eo siquidem Alypius Gorgoniæ maritus appellatur :

(a) Carm. ad Olympiad.

(b) Murat., ep. 70, p. 65.

Κτῆσιν ἔην, σάρκας τε καὶ ὀστέα, πάντ' ἀναθεῖσα
 Γοργόνιον Χριστῷ, μόνον ἀφήκε πόσιν,
 Οὐ μὴν οὐδὲ πόσιν δηρὸν χρόνον· ἀλλ' ἄρα καὶ τὸν
 Ἠρπασεν ἑξαπίνης κύδιμον Ἀλύπιον.

Censum suum, carnes et ossa, omnia cum sacrasset
 Gorgonium Christo, solum reliquerat sponsum,
 Veruntamen non diu sponsum. Sed profecto et ipsum
 Illustrem Alypium ex improviso rapuit.

Ad Alypium sine controversia scriptæ sunt epistolæ, LXXXII, alias CXLVIII; LXXXIII, al. CXLIX; LXXXVI, al. CL, cum in postremo laudata sororis suæ mentionem sic faciat Gregorius, ut uxorem Alypii facile agnoscas. Ad eundem datæ sunt epistolæ, LXXXIV et LXXXV, al. CLI et CLII: neque tamen Alypium illum Cappadociæ præsidem constituere necesse est. Num ad Alypium eundem epistola LXI, alias LXXX, verisimile non est. Repugnat omnino iudicibus, quæ in oratione funebri Gorgoniæ Alypius conjux ornatur, et epitaphio LXX (a), de eo Alypio scriptas esse epistolas CCVII et CCVIII, al. CXLVI et CXLVII. Alypius enim, de quo his in litteris, Simpliciam uxorem habuerat, et viduam moriens reliquerat. Gorgoniæ vero conjux Alypius, et uxori superstes fuit, et ita ei superfuit baptizatus. ut ad secundas nuptias convolandi nec animum nec tempus habuerit.

Baronius Gorgoniæ, præter Alypianam filiam, filios quoque duos, Petrum et Phocam tribuit eodem errore, quo Vitalianum, cujus filii Petrus et Phocas fuere, ei sponsum assignavit. Filios itidem duos Gorgonia natos in orationem octavam, alias XI, num. 14, Elias Creteñsis affirmat; nomina autem reticet, et ambos tantum « ad episcopatus fastigium erectos » asserit: quod vix credere sinit scriptorum omnium de his silentium. Veri longe similis est Gorgoniam, præter Alypianam, de qua constat vel ex epigraphe epistolæ XII, alias CLV, et maxime ex carmine 50 (b), ubi Alypianæ filius Nicobulus Gregorium vocat « matris avunculorum, » δέρκεο μητρός ἐμῆς μητρῶν μέγαν· verisimilius, inquam, præter Alypianam geminas alias Gorgoniam enixam filias, Eugeniam et Nonnam.

Etenim Gregorius Alypianæ « filiæ suæ dulcissimæ, » ut vocat, Eugeniam et Nonnam ita in testamento adjungit, ut eodem illas atque Alypianam gradu fuisse dubitare non sinat hic loquendi modus: « Alypianam filiam meam dulcissimam (cæterarum enim Eugeniam et Nonnam exigua ratio habenda est), etc. hæc ad ipsius Alypianæ liberos pertinere volo; » et: « nulla in re ipsam, vel sorores ejus, » nempe Eugeniam et Nonnam, « molestas esse. » Quid clarius ut demonstretur Alypianam illam, non virginem eam esse de qua epistola CLVIII, al. CCXXXII, sed quæ Nicobulo nupsit, et sorores ejus germanas fuisse Eugeniam et Nonnam? Quas quidem virgines permansisse nihil necesse est credere. Quod enim de Gorgonia dictum est in oratione VIII, alias XI, « corporis fructum, hoc est liberos et nepotes spiritus fructum effecit, » de baptismo et consecratione quæ ex eo fuit, potest et debet accipi: alioqui virginitate consecrasset filias suas omnes Gorgonia dicenda esset, quod quidem absurdum et facto contrarium; siquidem Alypiana nupsit Nicobulo, Eugenia quoque, vel Nonna, Meletio. Is est Meletius, qui in testamento Gregorii γαμβρός dicitur, quod ejus sororis filiam uxorem duxisset.

Ex Nicobulo, ad quem plures Gregorii epistolæ, et Alypiana Nicobulus alter natus est, et Alypiana virgo, de qua epistola CLXXXI, al. CXXXII. De Nicobulo certa res est, vel ex carmine quod Nicobuli nomen sibi præscripsit, et ex patris Nicobuli responsione, itemque ex epistola CXCV, alias XLIV; unde discimus alios Nicobulo juniore germanos fratres fuisse, quorum vel nomina penitus ignoratur.

Sunt alii bene multi Gregorio nostro affines et consanguinei; in quorum numero est Euphemius, alter ab Amphilocho filio. De eo in testamento, ubi res inter affines agitur.

Helladium Eulaliumque fratres epistola XV, alias CXCV, Gregorius vocat « consobrinos » suos, aut patruales, ἀνεψίτους, nisi mavis ex sorore aut propinquorum aliquo nepotes, pro varia vocis significatione.

Georgius et Basilissa soror ejus germana epitaphio L (c), necnon Eusebius, qui utrius-

(a) Murat., ep. 70, p. 65.

(b) Carn., ad Nicob. patr.

(c) Murat., ep. 50.

que frater omnino videtur (a), una cum Nonna matre Theologi ex veriis epitaphiis eo tumulo conditi (b), qui Gregorii et Nonnæ sanguini paratus erat, εἶμα τὸ Γρηγορίου, Νόννης τε μεγακλέος, ab eodem alieni genere esse non possunt.

Nicomedes, in quem tria sunt epitaphia (c), cujus etiam laudes plenius celebrantur in Carmine al. XLVIII (d), ex eodem cretus sanguine videtur.

Jam de Philtatii adolescentis cum Gregorio affinitate dubitare vix nomen sinit, quod ab avo Gregorii manasse videatur. Suadet etiam epitaphium XLV, Murat. p. 42, ac penitus persuaderent hæ voces « sacra tellus, » si tumulum certo significarent. « Verisimillimum, inquit Muratorius, necessarios Nazianzeni fuisse Philtatio. » Huic adolescenti adolescentulus alter adjungendus, Gregorius nomine, Gregorii ex sorore nepos aut abnepos, de quo epitaphium CXXXIII apud Murat. Hos omnes præter stemmatis seriem recensemus, quia quo ordine illi ac loco statuendi sint ignoramus. Sit igitur a matre, Gregoriani stemmatis ista delineatio.

PHILTATIUS ET GORGONIA.

AMPHILOCHIUS et ejus uxor LIVIA.			NONNA et GREGORIUS conjux.		
EUPHEMIUS mortuus sine liberis paulo ante nuptias.	AMPHILOCHIUS postea Iconiensis episcopus.	THEODOSIS Olympiadis educatrix.	GREGORIUS Theol.	GORGONIA conjux ejus ALYPIUS.	CÆSARIUS sine liberis.
			ALYPIANA cujus conjux NICOBULUS.	EUGENIA.	NONNA.
		NICOBULUS junior.	ALYPIANA virgo.	Fratres multi, nomine ignoto.	

PRÆTER ORDINIS SERIEM SUNT

Euphemius alter ab Amphilochii filio, de quo in Testamento.
Meletius maritus Eugenix, aut certe Nonnæ junioris.
Helladius et Eulalius Nazianzi episcopus, fratres.
Eusebius, Georgius, Basilissa germani et ipsi.
Nicomedes ac filii duo.
Philtatius adolescens.
Gregorius juvenis.

(a) Ep. 46, p. 43.

(b) Murat., ep. 49, p. 45; ep. 50, p. 46; ep. 66, p. 61.

(c) Ep. 36, 37, 38.

(d) Carm. ad Hellen. vers. 143 et seq.

TERTIA PARS.

DE VARIIS GREGORIANÆ DOCTRINÆ CAPITIBUS.

Quamvis Gregorius diu multumque patuerit invidiæ, quamvis plurimos vitæ toto tempore acerbosque expertus sit adversarios, nunquam ex iis quisquam ausus est eum erroris insimulare et ipsius doctrinam carpere. « Hujus, inquit Rufinus, neque vita aliquid probabilius et sanctius, neque eloquentia clarius et illustrius, neque fide purius et rectius, neque scientia plenius et perfectius inveniri potest; utpote qui solus sit, de cujus fide ne dissidentes quidem inter se, ut fieri solet, partes et studia disputare potuerint; sed id obtinuerit apud Deum et Ecclesias Dei meriti, ut quicumque ausus fuerit doctrinæ ejus in aliquo refragari, ex hoc ipso quia ipse magis sit hæreticus arguatur. Manifestum namque indicium est non esse rectæ fidei hominem, qui in fide cum Gregorio non concordat. » Adeo pura enim et sincera, et omni prorsus vitio carens ejus doctrina, ut inde Theologi nomen unus post apostolum Joannem sit adeptus.

Plura tamen sive Clericus ad Sociniana commenta, de tribus naturis in Deo per antiquos orthodoxos excogitatis, fovenda, prave detorsit; sive Barbeiracus quædam moralis doctrinæ capita acriter et insulse reprehendit. Quid mirum in hominibus qui, auctoritatis jugo omni excusso, nihil non experti sunt, nihil sacrum in fide reliquerunt? At inter ipsosmet Catholicos Petavius, vir eruditione præstans, Gregorium ut male de adversariis quos confutat triumphum agentem traducit: sed ipse in venerandos Patres nimium iniquus, et a Bullo Anglicano scriptore bene castigatus, censuræ acerbitate tantis viris non nocuit; imo potius propriæ gloriæ, jam inde simulationibus quibus usus est in causa pergravi obnubilatæ, labem æternam inussit. Hæc omnia exponere et exagitare si animus esset, ultra hujus voluminis fines protenderetur oratio: in sequens igitur diligens et exacta querelarum omnium consideratio, quæ in doctrinam sanctissimi doctoris congestæ sunt, extrahenda. Quidquid tunc occurrerit quod offendere infirmos, vel in deterius posset accipi, elucidabimus, et scrupulos si qui sint studiose evellemus. Satis nunc erit si præcipua doctrinæ Gregorii capita in unum collecta lectori exhibeamus; ut vel sic pateat quam accurate et alte de divinis disserat, ac recte Theologus nuncupari meruerit: hinc apparebit quanta ipsius injuria, quantaque veritatis offensa, erroris potuerit insimulari.

De Deo.

Quo tempore docendi munus Gregorie impositum est (a), tanta de divinis rebus disputandi prurigo animos incusserat, ut omnia loca, ne gynæceis quidem exceptis, hujusmodi contentionibus ac tumultu personarent. Cui malo medicam ut manum adhiberet, « Non cujusvis est, inquit (b), o viri, de Deo disserere, non, inquam, cujusvis; non adeo vilis ac protrita hæc res est, et eorum qui adhuc humi reptant... His duntaxat hoc muneris incumbit, qui exactissime explorati sunt, ac contemplando longe processerunt... aut, ut parcissime loquar, jam hoc agunt, ut se a vitiorum labe purgent. Sed nec cujusvis temporis illud est; nec apud quosvis, nec de quibusvis, sed certo tempore, et apud certos homines, et aliquosque hoc faciendum. » De his omnibus, tum oratione vicesima septima, quæ theologiarum velut exordium est, tum aliis in locis, saluberrima præcepta dedit.

De Deo præclare et subtiliter disputat, nihilque magnificentius et ad persuadendum accommodatius quam argumenta quæ ex naturæ miranda structura ac eleganti forma deprompsit: « Etenim, inquit (c), quod Deus sit, ac princeps quædam causa, quæ res omnes procreavit atque conservet, tum oculi ipsi, tum lex naturalis docent; illi, dum rebus in aspectum cadentibus aciem affigunt, easque et pulchre fixas et stabiles esse, et progredi, atque immote, ut ita dicam, moveri volvique perspiciunt: hæc autem, dum per res oculis subjectas, ac recto ordine collocatas, auctorem earum certa ratione colligit atque assequitur. Quonam enim modo universa hæc rerum moles vel producta unquam fuisset, vel consisteret, nisi Deus omnia in rerum natura protulisset, atque conservaret? » Hoc omnes et singulæ creaturæ conclamant (d), « nobisque ipsius numen declarant, non secus videlicet ac solis in aquis umbræ atque simulacra infirmis oculis solem repræsentant. » Quis etiam instrumenti musici concinnitatem aspiciens, aut cantum audiens, conditorem ipsius, aut citharistam, facie licet ignotum, mente non reputet? Plurima ejusdem generis argumenta tractat, quibus mundi cursum et rerum aspectabilium ordinem casui vel fortunæ ascribere, non nisi summæ dementiæ dandum manifesto evincit. Sed si ex rerum natura divinitas animis tam perspicue elucet, num ipsa mens et mundo latior, et creaturis omnibus supereminetior, Deum auctorem suum sibi ipsi non melius indicabit et exhibebit? « (e) Sic igitur ratio quæ ex Deo est, et cunctis insita, et prima in pectoribus nostris condita lex, cunctisque mortalibus innexa, nos ab iis rebus, quæ oculis cernuntur, ad Deum subvexit. »

Interea quid ait Deus si petas, cave ne tibi ex cæteris creaturis visibilibus, quæ Deum undique celebrant, aliquid verisimile fingas. « (f) An corpus eum esse dices? Quonam ergo modo immensus, infinitus, figuræ expers est, ac denique ejusmodi, ut nec tangi ne-

(a) Orat. 27, n. 3.

(b) Ibid.

(c) Orat. 28, n. 6.

(d) Orat. 28, n. 3.

(e) Ibid., n. 16.

(f) Ibid., n. 7.

oculis cerni queat? An hæc quoque in corpora cadunt? O licentiam! non enim nec corporum natura est. An vero corpus quidem esse statues, immensum vero atque infinitum, cæteraque hujus generis esse negabis? O crassitiam! ut nulla re nobis Deus præstet. Quid enim afferri potest, cur colatur atque adoretur, si circumscriptus est? aut quid causæ esse dicemus, quin ex elementis conflatus sit, atque in eadem denuo redigatur, aut etiam prorsus intereat? Compositio quippe pugnæ initium est, pugna autem dissidii, dissidium solutionis: solutio porro nullo modo in Deum ac primam illam naturam cadit.»

Transcendere itaque necesse est omnem naturam sensibilem et cogitare «(a) Deum omnium quæ sunt pulcherrimum et sublimissimum esse, nisi quis tamen eum malit supra omnem essentiam ponere, aut in ipso, quidquid est, collocare: utpote a quo alia quoque, ut sint, acceperint.» Et quantum de ineffabili loqui fas est, paucis totum complectitur dum vocat Deum «(b) Pelagus quoddam essentiæ immensum et interminatum.» Quid aliud enuntiat nomen quod Deo perexcellenter tribuitur? Ens siquidem dicitur, quod et a se sit et in se ipso entis habeat fontem inexhaustum. «(c) Quantum nobis assequi concessum est, Ens et Deus magis quodammodo essentiæ nomina sunt: ex iisque etiam vox Ens, ad eam indicandam aptior est; non hoc solum nomine quod ipse, cum Moysi in monte oraculum ederet.... ita seipsum appellavit; sed etiam quia nomen illud magis proprium esse comperimus..... Naturam ejusmodi exquirimus, quæ ipsum esse per se habeat, ac non cum alio quopiam copuletur. Ens vero, proprium sane est Dei, ac totum, nec priore aliqua re, nec posteriore (nec enim erat, aut erit) definitum ac circumcisum.»

At quantumlibet et rerum universitas et mens opificem suum profiteantur, inconsiderate et periculose quis, hoc uno fultus præsidio, ad eum sese certo erigere putaverit; nec mirum si tot docti et sapientes, solo lumine naturali ipsum quærendo cogitationum suarum fuco decepti, a Deo magis ac magis aberraverint: ut enim Deus recte a nobis percipiatur, neque orbis aspectus, neque ipsamet ratio satis nos erudiunt, «(d) sed nunc, et semper opus fuerit Spiritu, per quem solum Deus et intelligitur, et exponitur, et auditur.» Verumtamen quidquid de Deo sentiamus, licet altum quid et sublime excogitaverimus; quantumvis crescat in hac vita cognitio, essentiæ Dei nunquam assequemur. «(e) Quid tandem Deus natura sua et essentiæ sit, nec hominum quisquam unquam invenit, nec invenire potest.» Hinc Gregorius Eunomiano fatue se jactanti omnia scire, et arroganter ab orthodoxis, «quænam esset Dei essentiæ» quærenti: «Tuæ, inquit (f), dementiæ est hoc dicere, qui generationem quoque ipsam anxie perscruteris: nobis autem abunde magnum atque amplum fuerit, si in posterum quoque discamus, soluta videlicet hac caligine et crassitie, ut pollicitus est is qui non mentitur.» Nunc vero Theologus ille merito censetur, «(g) non qui in totum, quid Deus sit, invenerit.... sed qui ampliorem ipsius speciem mente conceperit, ampliusque veritatis simulacrum, vel adumbrationem, vel quocunque tandem alio vocabulo uti quis malit, in seipso collegerit.» Et ne ab hac regula vel ipsos Patres antiquos excipias, vel prophetas qui Deum aliquando vidisse in Scripturis narrantur. «(h) Si quis enim Deum cognovit, aut, Scriptura teste, cognovisse dicitur, eatenus cognovisse censendus est, quatenus uberioris splendoris particeps sit.... Ita exsuperantia hæc, perfecta cognitio existimata est, non ad ipsius rei veritatem, sed ad aliorum modulum et facultatem perpensa.»

Nec mirum si mortale, tam angustis circumscriptum terminis, divinum et immensum non capiat: quoniam enim pacto totam illius naturam ratio humana apprehendere poterit, cum «(i) omne creatum, sive cæleste, sive supercæleste, licet sublimiori quam nos natura præditum, Deoque vicinius, longiori tamen intervallo a Deo, ac plena illa et absoluta cognitione distat, quæm quo compositam hanc nostram, et abjectam atque humi vergentem massam superat?» Nihil interea expostulandum, si Deus, a nobis non (j) «plene perfecte-

(a) Orat. 6, n. 12.
 (b) Orat. 45, n. 3.
 (c) Or. 30, n. 18.
 (d) Orat. 2, n. 39.
 (e) Or. 28, n. 17.

(f) Or. 29, n. 11.
 (g) Or. 30, n. 17.
 (h) Or. 28, n. 17.
 (i) Ibid., n. 3.
 (j) Or. 45, n. 3.

que comprehendi queat, » dum tam multa oculis etiam subjecta, manibus sæpe contrita, rationis captum superare quotidiana experientia discamus, et varia naturæ arcana post tantas inquisitiones abscondita et tectissima permaneant. Nonne prope infinita rerum, creaturarum mysteria, quæ mortales undique circumstant, monent, ne *altiora se quærant* ^{12, 13}, aut tot mirabilium suctorem scrutari præsumant, ne *a magnitudine gloriæ ipsius opprimantur* ¹⁴? Hæc sanctus doctor eximie et fuse prosecutus est (a), totus in sua oratione incumbens « ut ostendat, ne ipsam quidem secundarum rerum naturam hominis mente atque ingenio comprehendi posse, nedum primam illam ac solam, vereor enim dicere, omnibus rebus excelsiorem. » Sic et animi dotes, mentis et corporis in homine societatem, membrorum inter se concinnitatem, elementorum ordinem, animantium et germinantium species perlustrat, eos qui philosophiæ principatum sibi vindicant egregie compellens, ut vel singularum proprietatum, quas elegantissime describit, recondita principia detegant, aut tandem divinis rebus, ob intelligentiæ difficultatem, detrahendi finem faciant.

De Trinitate.

Quoad vixit Gregorius, accuratioris doctrinæ circa Trinitatem prædicator indefessus fuit et defensor acerrimus contra Arianos et Macedonianos; ita ut omnia ejus scripta, sive orationes, sive epistolæ, sive carmina, Trinitatem resonent et suscepta pro Trinitatis defensione contra quoslibet adversarios certamina: unde ejus æmuli hoc ipsum vitio vertebant et objiciebant, prout etiamnum objicere Gregorio Clericum et Tollium non puduit, quod « assidue suam Trinitatem prædicaret et omnibus tantum non horis memoraret » obita pro Trinitate certamina, et exantlatos labores. Si quæcunque ad exponendam et defendendam Ecclesiæ catholicæ fidem circa Trinitatis mysterium scripsit Gregorius, hic animus esset referre, maxima ejus scriptorum pars exscribenda esset, nequidem ullo prætermisso: verum pauciora excerptere et insigniora sat erit. Itaque Trinitatis mysterium his verbis exponit (b): « Unus Deus retinendus est, et tres hypostases, sive tres personæ, confitendæ, et quidem unaquæque cum sua proprietate. » Et in alia oratione (c): « At unum Deum agnoscere oportebat principii expertem et ingenitum, et unum Filium ex Patre genitum, et unum Spiritum ex Deo substantiam habentem, cædentem Patri ingenti proprietatem, Filio vero generationem; de cætero autem ejusdem omnino naturæ, dignitatis, honoris, gloriæ. Hæc, inquam, agnoscere oportebat, hæc confiteri. » Trinitati accommodat hæc Joannis verba de Filio: « *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* ¹⁷. Erat lux vera . . . Pater. Erat lux vera . . . Filius. Erat lux vera . . . alius Paracletus. Erat, et erat, et erat: sed unum erat. Lux, et lux, et lux: sed lux una, Deus unus. » Quælibet persona est ab æterno (d): « Patrem vere dicimus, ac multo quidem verius, quam qui apud nos id nomen obtinent; tum quia proprio et singulari modo Pater est, non autem sicut corpora; tum quia solus, non enim ex conjunctione; tum quia solius, nempe unigeniti; tum quia solus, nec enim ipse priusquam Pater esset, Filius fuit; tum quia in totum et totius Pater, quod de nobis certo affirmari nequit; tum quia ab initio, nec enim posterius Pater esse cœpit. Filium vere Filium, quod et solus sit, et solius, ac singulari modo, et solum; non enim Pater quoque simul est, et in totum Filius, et totius, et a principio, hanc scilicet rationem habens, ut nunquam Filius esse cœperit; non enim ex pœnitentia est deitas, neque ex profectu deificatio, ut ille aliquando Pater, hic aliquando Filius esse desinat. Spiritum sanctum vere sanctum: neque enim alius talis est, nec eodem modo, neque ex accessione sanctitatem habet, sed est ipsamet sanctitas, nec magis et minus, nec, quoad tempus, originem unquam habuit, nec finem habiturus est. Hoc enim Patri et Filio et Spiritui sancto commune est, quod minime creati sunt, atque ipsa divinitas. Hoc autem Filio et Spiritui sancto, quod uterque eorum ex Patre est. At vero Patris proprietas hæc est, quod ingenitus sit: Filii quod genitus: Spiritus sancti quod procedat. » Hæc generatio et processio, quæ nullis verbis potest explicari, scrutanda non est: « Hoc tantum sciamus Trinitatem in unitate, et unitatem

^{12, 13} Eccli. III, 22. ¹⁴ Prov. XXV, 27. ¹⁷ Joan. I, 9.

(a) Or. 28, n. 31, in fine.

(b) Or. 32, n. 5.

(c) Or. 31, n. 3.

(d) Or. 25, n. 46, 47.

in Trinitate adorandam. Colamus Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, tres proprietates, unam divinitatem, nec gloria, nec honore, nec essentia, nec regno divisa (a). »

Tres vero personæ, licet reipsa distinctæ, ita sunt sibi invicem cohærentes ut quisquis vel unam excindere tentaverit, tres simul ac totam prorsus deitatem sustulerit; siquidem una sine altera esse nunquam potest (b). « Si fuit tempus, cum non esset Pater, fuit quoque, cum non esset Filius. Si fuit tempus, cum non esset Filius, fuit quoque, cum ne Spiritus quidem esset. Si unum illud a principio erat, utique et tria. Si unum dejicis, audax hoc dicam, ne duo quidem superiore loco colloces. Quæ enim imperfectæ deitalis utilitas? Imo quæ deitas, si imperfecta? Perfecta autem quomodo erit, in qua ad perfectionem aliquid desideretur? Desideratur enim, si sanctitate careat. Hanc porro quomodo habere queat, ni Spiritum habeat? Si enim alia quædam præter illum sanctitas est, quæ tandem illa intelligenda sit, dicat quispiam: aut, si quidem eadem hæc est, quid afferri potest, quamobrem non jam inde a principio fuerit? Quasi vero præstiterit Deo, aliquando imperfectum exstitisse, ac Spiritus expertem. »

Quis autem pergrande mysterium valeat vel saltem subolere? Nobis semper inaccessum fuisset, nisi Scripturæ divinitatis thesauros mortalibus expandissent. At Ecclesiæ doctores tantam majestatem, captui humano nimis præcellentem et cujus fulgore mens perstringitur, variis comparationibus delineare et adumbrare aggressi sunt, ut vel sic quamdam Trinitatis notionem nobis suppeditarent. Hoc Gregorius exsequitur dum nomen ad se ipsum advocat, et in intimo animæ impressam mysterii imaginem ad contemplandum allicit. Mens siquidem, sermo et spiritus in una ejusdem hominis natura, licet ab invicem secernantur, non tamen tres essentias, sed unam numero substantiam constituunt. « Nos autem, » ut loquitur sanctus doctor (c), « unam et eandem deitalis naturam teneamus, quæ ex principii experte, et generatione, et processione agnoscitur; quemadmodum id quod nobis inest, mente, sermone, ac spiritu intelligitur (d). »

Multæ sunt aliæ comparationes, quarum ope infirmum animum sublevare scriptores nostri conati sunt: sed quam parum ad rei veritatem accedunt, ut Gregorius testatur (e) ! « Cum mentis curiositate multum diuque mecum considerassem, rei tantæ imaginem quamdam exquirens, cui tandem rerum inferarum divina illa natura comparanda sit, reperire non potui. Quamvis enim exiguam aliquam similitudinem invenerim, major tamen me pars fugit, humique relinquit. » Cavendum itaque ne terrenis cœlestia metiendo, dignitatem mysterii deprimamus; ideoque ex singulis similitudinibus apage quidquid vel nimis abjectum, vel dispar prorsus fuerit (f): « In summa nihil est in quo mens mea gradum figere queat, dum, quod imaginor, in exemplis considero; ni forte quispiam ex animi æquitate sit, ut, cum unum aliquid ex proposita imagine acceperit, reliqua projiciat. »

Tritheïæ crimen quod in Gregorium increpabant Ariani ita diluit, ut mirum sit fuisse deinceps qui unam substantiam specie tenus adinvisisse ipsum incusarent (g). « Si Deus, et Deus, et Deus, » sciscitabantur Ariani, « quid causæ esse potest, quin tres sint Dii? » Ad hæc Gregorius (h): « Nobis inquit, Deus unus est, quoniam una deitas; atque ad unum, ea quæ ex eo sunt, referuntur, etiamsi tres personas credimus. Neque enim hoc magis, illud minus est Deus; nec hoc prius, illud posterius. Nec voluntate scinduntur, aut potentia dividuntur, aut denique quidquam eorum, quæ dividuis rebus contingunt, hic quoque reperitur. » Et quo veram et integram in deitate unitatem asserat, non simulatam aut imperfectam, ab hac unitate amovere satagit quidquid vel in cœlestibus, vel in humanis, male ipsi exæquare contenderent (i). « Quid autem, dixerint fortasse, nonne apud ethnicos quoque deitas una est, ut docent qui plenius apud illos perfectiusque philosophantur, atque apud nos genus universum, humanitas una? Et tamen plures sunt dii, et non unus, sicut etiam multi homines. At illic communitas unitatem habet, quæ

(a) Or. 31, n. 28.

(b) Ibid., n. 4.

(c) Or. 25, n. 1.

(d) Ὁς νῦν τῶ ἐν ἡμῖν, καὶ λόγῳ καὶ πνεύματι.

(e) Or. 31, n. 31.

(f) Ibid., n. 33.

(g) Or. 31, n. 13.

(h) N. 14.

(i) N. 15.

cogitatione sola considerari possit. » Contra vero perfectam unitatem tribus æque personis absque ullo discrimine congruere statuit sanctus doctor, aureis hisce verbis præsensu altitudine non satis perscrutandis (a) : « At nostræ doctrinæ non eadem est ratio; sed horum (nempe divinorum suppositorum) quodlibet unitatem habet, non minus ejus, cum quo conjungitur, quam sui ipsius respectu, propter essentiæ et potentiæ identitatem : » τῷ ταυτεῷ τῆς οὐσίας, καὶ τῆς δυνάμεως. Sed verbis quid opus est, ut Gregorium purgemus? cum Eunomium, qui divisionem in paternam substantiam inducere orthodoxos ut probaret, tanto studio laborabat, omnibus nervis propulsare intendat. Quæ sane animis bene affectis plus æquo sufficiant, ne quid vel levissimum de fide eximii doctoris suspicentur.

De Patre.

Deum Patrem divinitatis Filii et Spiritus sancti causam, quod idem valet ac principium apud Latinos, Gregorius edocet : « Parvorum certe, inquit (b), ipsoque indignorum principium fuerit Pater, nisi deitatis ejus, quæ in Filio et Spiritu sancto consideratur, causa sit. » Ut a Patre Filius et Spiritus sanctus emanant et perinde ad eum referuntur, sic unitatis in Trinitate origo et fons Pater est (c) : « Una his tribus natura Deus est : unio vero est Pater, ex quo, et ad quem ea, quæ deinceps sequuntur, referuntur, non ut confundantur ac permisceantur, sed ut cohæreant. » Si quandoque Pater solus Deus nominatur, et Christus ipsum sic alloquitur (d) : « Ut cognoscant te solum verum Deum ¹⁰; » Gregorius hoc « ad eorum, qui, quanquam falso, dii tamen appellantur, sublationem dici » existimat. Major utique Pater solus Filio dici potest ¹¹, non ob aliquam in natura disparitatem, sed quatenus Pater Filii causa et principium esse dignoscitur. Majorem etiam asserere possumus, si Filii humanitatem attendamus : sed hæc interpretatio sancto doctori non multum arridet, ut minus honorifica : « Nonne perspicuum est, inquit (e), majoris vocem ad causam referendam esse?... Quod ratione humanitatis Pater Filio major intelligendus sit, vere quidem dici potest, sed non perinde honorifice. »

De Filio.

Nullus unquam Filii divinitatem magis strenue propugnavit, sive argumentando, sive objecta adversariorum convellendo, sive difficiliora explanando. Singulis quibusque proferendis non immorabimur, pauca ex tam multis delibare contenti. Primum unde acceperit Filii divinitatem ostendit, plurima Scripturarum loca congerendo quæ ipsam aperte declarant. « Nos, inquit (f), ex magnis et excelsis vocibus Filii divinitatem percipimus, ac prædicamus. Quibus tandem? His nimirum, Deus, Verbum, quod in principio erat, et cum principio, et principium; ut in his locis : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* ¹⁰. Et, *Tecum principium* ¹¹ : et, *Qui vocat eam & generationibus principium* ¹². Ad hæc Filius unigenitus dicitur : *Unigenitus Filius*, inquit, *qui est in sinu Patris, ipse enarravit* ¹³; *Via, Veritas, Vita, Lux : Ego sum via, veritas et vita* ¹⁴; et, *Ego sum lux mundi* ¹⁵. *Sapientia, Potentia : Christus Dei potentia et Dei sapientia* ¹⁶. *Splendor, Character, Imago, Sigillum, ut in his verbis : Qui cum sit splendor gloriæ : et, Character substantiæ ipsius* ¹⁷ : et, *Imago bonitatis* ¹⁸... Et, *Qui erat, qui est, et qui venturus est, omnipotens ille* ¹⁹... Quæ perspicue de Filio dicuntur, sicut et alia plura, quæ eandem vim habent, quorum nihil ascititium est, nec Filio, aut Spiritui sancto posterius accessit, quemadmodum nec Patri. Neque enim ex accessione perfectio ipsis comparata est. Non enim Pater Verbi unquam expers fuit; nec unquam fuit quin Pater esset; nec denique unquam veritate, sapientia, viribus, vita, splendore, aut bonitate caruit. »

Sed quid? Nonne qui divinitatem Filio abrogant, et ipsi plurima Scripturæ loca in sui erroris patrociniū afferunt? His sanctus doctor obviam it, regulam constituendo, cujus

¹⁰ Joan. xvii, 3. ¹¹ Joan. iv, 28. ¹² Joan. i, 1. ¹³ Psal. cix, 3. ¹⁴ Eccli. xxiv, 14. ¹⁵ Joan. i, 18. ¹⁶ Joan. xiv, 6. ¹⁷ Joan. v, 10. ¹⁸ I Cor. i, 24. ¹⁹ Hebr. i, 3. ²⁰ Sap. vii, 26. ²¹ Apoc. i, 14; iv, 8.

(a) Or. 31, n. 16.
(b) Or. 20, n. 6.
(c) Or. 42 n. 15.

(d) Or. 30, n. 13.
(e) Ibid., n. 7.
(f) Or. 29, n. 17.

ope intricata emodantur, cujus lumine obscura dilucidantur, et umbræ quibus veritatem error oblegere nitebatur, evanescent. Ipsum audire juvat. « (a) Multa etiam alia congerere queas... Quamquam autem unumquodque horum sigillatim persequi, pioque sensu? explicare minime difficile est, atque offendiculum illud, quod in Litteris existit, repurgare et eximere, si modo vere offendis, ac non potius de industria peccas; ut tamen rem summam contraham, hoc tibi faciendum est, ut subliliores voces divinitati, ac præstantiori illi et incorporeæ naturæ, passionibusque superiori attribuas: humiliores autem, composito, et tua causa inanito, atque incarnato... ut tu videlicet intelligas quæ prioris illius naturæ sit ratio, et quæ assumptæ humanitatis. »

At ne errorem minus intolerandum aut peccatum non tam immane censeas, negare Filio divinitatem, ex Gregorii sensu offensæ atrocitas est statuenda. « (b) Deitati fidem abrogas? hoc ne dæmones quidem ipsi fecerunt. O dæmonibus incredulior, et Judæis insipientior! Isti enim Filii nomen æqualitatis vocem esse censebant: hi autem eum, a quo fugabantur, Deum norant.

De Spiritu sancto.

Nec minori ardore ac zelo Spiritus sancti divinitatem astruit contra Macedonianos. Spiritum sanctum Deum aperte confitetur, quo tempore etiam inter Catholicos non pauci erant, qui quamvis Spiritus sancti divinitatem agnoscerent, eum tamen Deum aperte non dicebant, nec dici volebant. Tam aperta prædicatione non tantum Arianorum et Macedonianorum, sed etiam nonnullorum Catholicorum offensam incurrit, adeo ut ipsius adversarios ad eum e sede Constantinopolitana deturbandum, hoc etiam nonnihil moverit et adjuverit (c). « Fortasse Spiritus impetitur: » Ἰσως τὸ Πνεῦμα βάλλεται hoc est, inquit Billius, fortasse hac de causa oppugnor et exagitor, quia Spiritus sancti, cui bellum isti indixerunt, divinitatem assero et prædico. Pergit Gregorius: τὸ Πνεῦμα (ἀκούσαθ') ὡς Θεός, πάλιν λέγω· ἐμοὶ Θεός σὺ· καὶ τρίτον βοῶ, Θεός· « Spiritus ut Deus, audite, iterum dicam: tu mihi Deus, et tertio clamabo, Deus est, » etc. Quod in defendenda Filii divinitate Athanasius præstitit, id Gregorius in defendenda Spiritus sancti divinitate. Si tot et tantas non est expertus persecutiones, quot et quantas perpessus est Athanasius, non nisi id accidit, quia occasio defuit, non autem animus et voluntas. Est tamen aliquid in ejus scriptis, quod mirationem facit. Sibi, nomine hæreticorum, objicit, (d) « Spiritus sancti divinitatem nullo Scripturæ loco proditam haberi; » quod quidem refellit duplici ratione; primo affirmans (e) « Scripturæ testimonio admodum confirmatam esse Spiritus divinitatem, iis quidem certe, qui non nimis stolidi et obtusi fuerint, atque a Spiritu aversi. » Deinde ipse innumera Scripturæ profert testimonia, quibus ostenditur Spiritus sancti divinitatem in Scripturis proditam haberi (f). « Spiritus Dei dicitur, Spiritus Christi, mens Christi, Spiritus Domini, ac Dominus ipse, Spiritus adoptionis... scientiæ, pietatis... omnia essentia sua implens, omnia continens, » etc.

Præterea, hoc etiam posito, quod Spiritus sancti divinitas nullo Scripturæ loco prodita haberetur, illud impedimento esse non deberet quominus Spiritum Deum esse confiteremur, siquidem alia plurima credimus quæ in Scripturis non apparent. « Undenam, » inquit (g), alloquens adversarium, « tu arces illas tuas, Ingenitum aut Anarchum accepisti, aut nos etiam immortalis vocem? Hoc nominatim et expresse ostende, vel ea rejiciemus, quia in Scriptura non exstant, vel expungemus... Nonne perspicuum est, hæc de iis sumpta esse, ex quibus colliguntur, tametsi minime dicantur? »

Hujus responsionis dilucidandæ causa, Gregorius comparisonem instituit. « Duæ, inquit (h), ex omni ævo illustres vitarum mutationes exstiterunt, quæ etiam duo Testamenta, atque ob rei celebritatem, terræ motus appellantur; altera a simulacrorum cultu ad legem, altera a lege ad Evangelium. Ac tertium etiam terræ motum Scriptura nobis annuntiat, nempe migrationem ab hac vita ad alteram illam motus omnis et jactationis

(a) Or. 20, n. 18.

(b) Or. 38, n. 15.

(c) Carm. al. 123, v. 33

(d) Or. 31, n. 21.

(e) Ibid., n. 29.

(f) Ibid.

(g) Ibid., n. 23.

(h) Ibid., n. 25.

expertem. Idem porro duobus Testamentis accidit. Quid illud? Non repente, nec ad primam aggressionis impulsione commutata sunt. Quamobrem? Id enim scire operæ pretium est: ut ne vi pertraheremur, sed persuasione adduceremur. Quod enim voluntarium non est, ne diuturnum quidem est. . . . Ergo prima lex sublatis simulacris sacrificia permisit. Secunda submotis sacrificiis, circumcisionem minime prohibuit. Ac postea, ut semel subtrahi sibi aliquid æquo animo tulerunt homines, rebus etiam sibi concessis, hoc est, illi sacrificiis, hi circumcisione abstinerunt; atque ut ex ethnicis Judæi, ita ex Judæis Christiani facti sunt, per mutationes quasi furtim ad Evangelium allecti (a). . . . Huic exemplo divinitatis doctrina comparari potest, nisi quod contrario modo res procedit. . . . Sic enim se res habet: Vetus Testamentum Patrem aperte prædicabat, Filium obscurius. Novum autem nobis Filium perspicue ostendit, et Spiritus divinitatem subobscurè quodammodo indicavit. Nunc vero Spiritus ipse nobiscum versatur, seseque nobis apertius declarat. Neque enim tutum erat, Patris divinitate nondum confessa, Filium aperte prædicari; nec, Filii divinitate nondum admissa, Spiritum sanctum, velut graviorem quamdam, si ita loqui fas est, sarcinam nobis ingeri. . . . Quin tacitis potius accessionibus, et, ut David loquitur, ascensionibus, atque ex gloria in gloriam progressionibus et incrementis, Trinitatis lumen splendidioribus illuceret. . . . Quin etiam ab ipso Jesu paulatim declaratur. . . . « Rogabo enim Patrem, inquit, et alium Paracletum mittet vobis, Spiritum veritatis ²⁰. » . . . Habebat quædam Salvator, quæ a discipulis, licet alioqui multiplici doctrina implerentur, tunc tamen portari posse negabat, ob eas forsitan, quas attuli, causas, atque idcirco ea ipsis occultabat. Ac rursus dicebat fore, ut ab adveniente Spiritu omnia edocerentur. Ergo unum ex eorum numero esse censeo, ipsam Spiritus sancti deitatem, in posterum apertius declarandam, tam videlicet, cum jam post Salvatoris in integrum restitutionem, matura et perceptibilis esset ipsius cognitio, utpote cui ob tam insigne miraculum fides non jam abrogaretur (b). »

Ex superioribus Gregorii verbis de Filii divinitate obscure in Veteri, perspicue in Novo Testamento cognita; item de Spiritu subobscurè tantum in Novo Testamento significato: ex his, inquam, verbis, id sequitur tantum et colligendum, præter Scripturam, traditionem non scriptam fuisse necessariam, cujus ope Filii ac Spiritus sancti divinitas in Scripturarum testimoniis subobscurè expressa, perspicue et aperte declararetur. Quod quidem alibi (c) Gregorius docet expressius: « Præclarum depositum, quod a patribus nostris accepimus, custodientes; Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum adorantes; in Filio Patrem, in Spiritu Filium cognoscentes, in quorum nomine baptismi aqua tincti sumus. » Et or. xxxi (n. 21): « Identidem sæpiusque inculcas Spiritus sancti divinitatem nullo Scripturæ loco proditam haberi. Enimvero quod nec novus ac peregrinus, nec introductitius ipse sit, verum et a priscis, et hujus ætatis hominibus agnitus et patefactus, quanquam a pluribus jam ostensum est, qui de hac re disseruerunt, atque in divinis Scripturis nec ignave, nec perfunctorie versati sunt, sed litteram penetrantes, atque intro prospicientes, reconditam pulchritudinem divino beneficio viderunt, scientiæque luce collustrati sunt, » etc. Quæ certe confirmant necessariam esse traditionem ut Scripturæ intelligantur, fideique dogmata definiantur ab Ecclesia, penes quam est depositum istud, quod acceptum ab apostolis servat et semper servabit.

Si quædam sunt, quæ mira videri possint, dicta a Gregorio ad defendendam Spiritus sancti divinitatem; mirum adhuc magis quod ait, tunc temporis nonnullos fuisse, etiam ex Catholicis, qui quamvis Spiritum sanctum æqualem Patri et Filio, consubstantialemque crederent, ipsum tamen Deum appellare nollent: quod quam absurdum sit, nemo non intelligit; nec tamen in dubium revocari potest, cum tam diserte asserat ac dicat, se libere prædicante Spiritum sanctum Deum esse, commotam fuisse terram.

²⁰ Joan. xiv, 16.

(a) Or. 31, n. 26.

(b) Ibid., n. 27.

(c) Or. 6, n. 22.

Οὐδὲν γὰρ οὕτως οὐποτε
 Ὀλὴν ἔσεισε γῆν
 Ὡς Πνεύματος παρῆρσία
 Θεοῦ βοωμένου.
 Ὁ καὶ προσάντη τοῖς φίλοις
 Τέθεικεν, οἶδαμεν.

(a) Nihil enim sic unquam
 Totam commovit terram,
 Ut libertas, qua Spiritus
 Palam Deus prædicatur :
 Quod et invisum me amicis
 Effecit, id scimus.

Quæ tamen verba sic accipienda esse arbitror, ut iis significare voluerit mirabilem Constantinopoli mutationem factam, cum in ea urbe, quæ metropolis et propugnaculum erat Macedonianorum, Soiritus sancti divinitas ipsius Gregorii opera singularique animi fortitudine prædicata est

Inanis autem ille scrupulus, de prædicatione Spiritus sancti divinitatis, non nisi in quibusdam Orientis partibus grassatus est, maxime Cæsareæ; ita ut etiam Basilius, cum firmissimis argumentis Spiritus sancti divinitatem demonstraret, eum esse Deum non aperte prædicaret, ne animos efferaret, ne novis dissidiis, novisque vexationibus ansam præberet, quod fuse prosequitur Gregorius oratione quam habuit in laudem Basilii (b) : in Occidente vero nunquam; nemo enim illic Spiritum sanctum Deum dicere et prædicare dubitavit.

Quamvis de processione Spiritus non agat Gregorius, pura tamen in ejus scriptis sunt loca, ex quibus conjicere licet, eum a Patre et a Filio Spiritum sanctum procedere arbitratum fuisse, ut ista (c) : Προσκυνοῦντες Πατέρα ἐν Υἱῷ, καὶ Υἱὸν ἐν ἁγίῳ Πνεύματι. « Adorantes Patrem in Filio, et Filium in sancto Spiritu. » Quibus verbis id supponitur quemadmodum Filius substantiam suam a Patre trahit, sic suam a Filio Spiritus sanctus.

De Incarnatione.

Incarnationis non minus accurate quam Trinitatis mysterium explicat Gregorius. Tam enim diligens et accuratus in eo exponendo, ut ex immensa illa hæresum circa Incarnationem cohorte, quæ terris incubuit, nulla sit quam calamo non confixerit, natas pariter et nascituras. Nestorianorum enim, Eutychianorum et Monothelitarum impia dogmata, quæ necdum eruperant, convellit, oppositas his dogmatibus veritates prædicans. Ac primo quidem non aliam agnoscit Incarnationis causam (d), quam humani generis restaurationem : Τίς δὲ τῆς ἀνθρωπότητος, ἦν δι' ἡμᾶς ὑπέστη Θεός, αἰτία; Τὸ σωθῆναι πάντως ἡμᾶς· τί γὰρ ἕτερον; Docet Verbum animæ proxime unitum fuisse (e), mediaque anima corpori : Διὰ τοῦτο Θεός σαρκὶ διὰ μέσης ψυχῆς ἀνεκράθη, καὶ συνεδέθη τὰ διεστῶτα τῇ πρὸς ἄμφω τοῦ μεσιτεύοντος οἰκειότητι. Divinitas et corpus, res discrepantes ita conjunctæ sunt, animæ interventu (f). Apollinaristæ Jesum Christum Dominicum hominem appellabant; quo nomine e sanctis Patribus usi sunt Athanasius, Epiphanius, Cassianus, etc.; verum longe alio sensu, hominem scilicet perfectum intelligentes. Apollinaristæ autem hominem in Christo admittebant, modo anima carentem, modo intelligentia, cujus scilicet vices divinitatem supplere volebant; quos sic refellit Gregorius (g) : « Neque hominem a divinitate separamus, inquit, sed unum et eundem profiteremur, » etc. Duæ exscribendæ essent ad Cleoniam epistolæ, quæ olim inter orationes numerabantur, quas inter LI et LII occupabant sedem, et orat. XXXVIII (n. 13). « Qui est, fit : qui creatus non est, creatur; qui nullo loco contineri potest, per interventum animæ intellectualis, inter divinitatem et carnis crassitiam, continetur. Qui locupletes alios ditat, paupertate afficitur : carnis enim meæ paupertatem subit, ut ego divinitatis ipsius opes consequar. Qui plenus est, exinanitur : sua enim gloria non nihil exinanitur, ut ego plenitudinis ipsius particeps efficiar... Christus humana omnia, excepto peccato suscipit, conceptus quidem ex Virgine, animo et corpore a Spiritu præpurgata; nam et generationem honore affici, et virginitatem præferri oportebat. » Virginem Mariam, quæ Dominum concepit et peperit, non semel θεοτόκον παρθένον appellans (h), anathema dixit Nestorio priusquam nasceretur, iisque omnibus qui hanc honorificam appellationem beatæ Virgini adimunt.

(a) Carm. al. 145, v. 13 et seq.

(b) Orat. 43, n. 68, 69.

(c) Or. 24, n. 19.

(d) Or. 30, n. 2.

(e) Or. 2, n. 23.

(f) Socrat., l. II, c. 46, p. 161.

(g) Epist. 1 ad Cleoniam, olim or. 51.

(h) Or. 35, n. 4.

De angelis.

Quod angelos spectat, hærere videtur Gregorius circa eorum creationem, naturam, statum, et varios eorum ordines : in ea tamen cum antiquis Patribus Græcis fuisse sententia videtur, ut crederet ante mundum creatos esse angelos. « (a) Quoniam autem bonitati » divinæ « nequaquam satis erat sua ipsius solum contemplatione moveri, sed bonum diffundi ac propagari oportebat, ut plura essent, quæ beneficio afficerentur, id enim summæ bonitatis erat, primum angelicas et cœlestes virtutes cogitavit : atque illa cogitatio opus erat, quod Verbo conficiebatur, ac Spiritu explebatur. Atque ita secundi splendoris procreati sunt, primi splendoris administri ; sive intelligentes spiritus, sive ignem velut materiæ expertem et incorporeum, sive aliam quamdam naturam eos existimare oportet. » Verumtamen angelos « (b) simplici quadam natura » præditos, et « puras naturas » sanxit. « Ignem » vero ipsos nuncupat (c), non quod corpoream substantiam vel tenuissimam eis affingat, sed ob munera quibus erga nos funguntur. Sic Deus « ignis » etiam in Scripturis vocatur, vel ob nimiam puritatem, vel ob flagrantissimum justitiæ studium quo peccata exurit, pravos mores sive immutando, sive plectendo. His annuit sanctus doctor, et interpretationi suffragatur. « Spiritus, inquit (d), atque ignis angelus appellatur ; illud, quia intellectili natura est præditus, hoc, quia purgandis animis nostris adhibetur ; quandoquidem primaria quoque illa essentia (Deus) iisdem nominibus in Scripturâ nuncupatur. » Videtur alicubi (e) angelos natura sua omni peccato prorsus immunes opinari. « Quoniam omni peccati labe carere, Dei est, primæque et incompositæ naturæ (simplicitas enim pacata est, atque ab omni dissidio remota) ; audacter etiam addam, et angelicæ, quæ aut prorsus extra peccandi aleam est, aut ad id certe ob eam propinquitatem, quam ad Deum habet, proxime accedit. » Verum sententiam aut temperare, aut saltem explanare sequentibus dicere nihil vetat « (f) Gestit quidem animus dicere ad malum immobiles » angelos, « atque ad bonum duntaxat agitationem habentes, utpote Deum circumstantes, ac primario Dei fulgore collucentes ; verum ut non omnino immobiles, sed ægre mobiles existimem ac dicam, mihi persuadet ille ob splendorem Lucifer, qui propter superbiam caligo, et effectus est, et nominatur, ac subjectæ ipsi rebelles potestates, quæ per boni fugam vitium effecerunt, illudque nobis contraxerunt. » Angelos hic attendit quales erant, dum de futura sorte adhuc inscii, et nondum in sanctitate constabiliti, libero poterant arbitrio a prima sententia in aliam deflectere, licet ad justitiam mentis affectu tunc troclives, promptiores ad bonum quam ad malum essent.

« (g) Angelicæ potestates divinæ voluntatis ministræ sunt, roboreque non modo naturali, sed etiam adventitio pollent, loca omnia peragrant, tum ob ministerii promptitudinem, tum ob naturæ levitatem. Aliæ aliam quamdam orbis partem complectuntur, aut certe aliis quædam pars commissa est, ut novit qui hæc ordinavit ac distinxit. Ad unum rerum omnium Conditoris nutum omnia in unum jungunt. Divinas laudes canunt, ac sempiternam illam gloriam sempiternæ intuentur, etc. (h) Nobis » etiam « ad optima quæque adjumento sunt. »

De anima ejusque immortalitate et origine.

Animam ex Deo et immortalem esse docet (i) : « Anima ex Deo est, atque divino, supernæque nobilitatis particeps, ad eamque properans ; tametsi viliori interim ac deteriori sit astricta.... (j) De animæ salute periclitamur, quæ beata et immortalis est, atque immortalibus, vel suppliciis, vel laudibus, ob vitium aut virtutem afficietur. » Patres, carnis tantum sunt patres :

Οὐχ ἔλου ἀνθρώποιιο πατήρ βροτῶς, ὡς ἐνέπουσιν,
 Ἄλλ' ὅσπον σαρκός τε καὶ αἵματος· ἀμφοτέρων μὲν
 Ὀλλυμένων, ψυχὴ δὲ Θεοῦ κρατέοντος ἄημα,
 Ἐκτοθεν εἰσπίπτουσα χόος πλάσει. Οἶδεν ὁ μίξας,
 Ἰῶς τὸ ποῦτον ἔπνευσε, καὶ εἰκόνα μίξατο γαίῃ.

(a) Or. 38, n. 9.
 (b) Or. 31, n. 15.
 (c) Or. 28, n. 31.
 (d) Ibid.
 (e) Or. 40, n. 7.

(f) Or. 58, n. 9.
 (g) Or. 28, n. 31.
 (h) Or. 40, n. 56.
 (i) Or. 2, n. 47.
 (j) Ibid., n. 28.

(a) Non totius hominis homo pater est, ut dici solet,
Sed tantum carnis et sanguinis, quorum utrumque
Peribit. Anima autem Dei omnipotentis spiraculum est,
Extrinsecus incidens in terrestre figmentum. Novit qui miscuit
Quomodo primum allavit, ac imaginem terræ miscuit.

Peccatum originale.

Originale peccatum apertissime confitetur: « Totus cecidi, inquit (b), atque ob primi hominis inobedientiam et diaboli fraudem condemnatus sum . . . (c) Quemadmodum in veteri Adamo mortui sumus, ita in Christo vivamus²¹; dum nimirum cum Christo et nascimur, et cruci affligimur, et sepelimur, et resurgimus. Pulchra enim in contrarium mutatio mihi subeunda est, ut quemadmodum ex secundis rebus molestæ venerunt, sic etiam ex molestiætæt et jucundæ redeant. « Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit et gratia²²: » et si gustus condemnavit, quanto magis Christi passio justificavit? » Locum hunc exscripsit Augustinus l. 1 *cont. Jul.* c. 5, p. 505, tom. X. Triplicem nativitatem Gregorius, Scripturarum auctoritate, numerat et decernit, quarum duæ priores vitium originis nostræ declarant; cum una quæ sit per corpus, servilis sit et libidinosa; altera quæ per baptismum nobis confertur, malum primæ nativitatis depellere, et damnum resarcire monstratur. « (d) Triplex nativitatis genus agnoscit Scriptura, primum ex corporibus, alterum ex baptismo, tertium ex resurrectione. Horum primum nocturnum et servum est, ac cum libidine conjunctum: alterum diurnum et liberum, ac depellendarum vitiosarum affectionum vim habens, omne id, quod a nativitate contractum est, velamen amputans, et ad supernam vitam nos revocans, » *πρὸς τὴν ἀνω ζωὴν ἐκανάγουσα*. Radix tamen peccati extincta penitus non est. « Utinam, inquit (e), funditus pereat vitium, et primum illius semen, ac pravus ille, qui dormientibus nobis zizania superseminavit²³ . . . Hæc nobis lignum illud invexit, et amarus esus, et invidus serpens, et lex violata, quæ nobis hanc pœnam irrogavit, ut in vultus sudore nobis victus sit parandus²⁴. . . E paradiso dejectus sum, atque ad terram, ex qua assumptus fueram, aversus sum, in unum deliciarum loco habens, quod calamitates meas cognitatas habeam: et pro exigua voluptate, perpetuo mœrore damnatus sum; eamque pœnam pendo, ut mihi cum eo qui male in meam amicitiam irrepsit, ac per arboris gustum in fraudem me induxit, bellum gerere sit necesse. Hinc factum est ut in labore et ærumna nascar, et vivam, ac moriar. Hinc indigentia nata est; ex indigentia cupiditas habendi, ex cupiditate bella, ex bellis porro tributa, quibus in divina condemnatione nihil gravius est et acerbius. » S. Augustinus, pluribus ad confirmandam fidem catholicam prolatis Gregorii testimoniis, sic Julianum alloquitur (f): « Sed non tibi deerit magni nominis et fama celeberrima illustris episcopus etiam de partibus Orientis, cujus eloquia ingentis merito gratiæ, etiam in linguam Latinam translata usquequaque claruerunt. Sedeat ergo cum istis patribus etiam sanctus Gregorius, et cum eis tuæ criminationis inanem patiatur invidiam: dum tamen cum eis contra novitiam pestem vestram, medicinalem proferat et ipse sententiam . . . An tibi parva in uno Gregorio episcoporum orientalium videtur auctoritas? Est quidem tanta persona, ut neque ille hoc nisi ex fide Christiana omnibus notissima diceret, nec illi eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi hæc ab illo dicta ex regula notissimæ veritatis agnoscerent. »

De baptismo et confirmatione.

Baptismum appellat « omnium Dei beneficiorum præclarissimum et præstantissimum (g): Donum, inquit (h), vocamus, gratiam, baptismum, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lavaerum, sigillum, ac denique excellentissimum quovis nomine appellamus. Donum dicitur, quia iis, qui prius nihil contulerunt, datur. Gratia, quia etiam debentibus. Baptismus, quia peccatum in aqua sepelitur.

²¹ I Cor. xv, 22. ²² Rom. v, 20. ²³ Matth. xiii, 25. ²⁴ Gen. iii, 19.

(a) Carm. in laud. Virg., v. 592 et seq.

(b) Or. 22, n. 15.

(c) Or. 38, n. 4.

(d) Or. 40, n. 2.

(e) Or. 19, n. 14.

(f) S. August., l. 1 *cont. Jul.*, pag. 504 et 505, l. X.

(g) Or. 40, n. 3.

(h) *Ibid.*, n. 3, 4.

Unctio, quia sacer et regius. . . . Illuminatio, quia splendor et claritas. Indumentum, quia ignominie nostrae velamen est, » etc. Tandem quodlibet peccatum purgat et abstergit. « (a) Hæc baptismi gratia et facultas est, non orbem terrarum ut olim obruens, sed uniuscujusque hominis peccatum purgans, easque obstructions vel maculas, quæ vitio contrahuntur, prorsus abstergens. »

Collatum a laicis baptismum irritum videtur existimasse Gregorius: saltem colligi ex eo potest quod narrat de se, cum Cæsarea navigaret Athenas. « Orta gravi tempestate, in periculum miser veneram, inquit (b), ne non initiatus e vita discederem, spiritualem aquam inter exitiosas et mortiferas undas desiderans; ac proinde clamabam, obsecrabam, breve quoddam temporis spatium expectabam: clamabant etiam in communi licet vitæ discrimine, qui simul navigabant. » Verebatur Gregorius, ne baptismi gratia privaretur: remedium tamen erat ipsi perfacile, si existimasset manu laici baptismum posse conferri. Non enim dubium quin plures tunc adfuerint, eadem fide informati: « (c) Quippe omnes ad unum fletibus genas rigabant; junctique Christum voce gemebunda vocabant. » Hæc tamen apud eum legere est, quæ primam sententiam infirmare viderentur: « (d) Quivis tibi initiator sit, qui modo eadem fide informatus est. »

Existimat sanctus doctor (e) eos qui, non quidem per contemptum, ad baptismi gratiam non pervenerint, sed moras producentes ante susceptum baptismum morte correpti fuerint, « leviores penas duros, utpote qui non tam animi pravitate, quam stultitia, a baptismo aberrarint. » De adultis et infantibus, propter inopinatum et violentum casum, non suscepta baptismi gratia, mortuis hæc habet: « (f) Postremi denique, nec cœlesti gloria, nec suppliciis a justo Judice afficientur, utpote qui licet signati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam passi potius fuerint, quam fecerint. » Hæc vero non sic accipienda, quasi censuerit Gregorius originalis peccati penas infantes non luere. Revera infantes suppliciis non afficientur quod baptismum caruerint, sicut nec adulti, si desidia vel contemptu ad baptismum non accesserint: siquidem defectus ille baptismatis non eis crimini verti posset. Interea licet adulti non puniantur ob omissum baptismum, penas tamen exsolvent de peccatis quæ in vita perpetrarunt; sic et infantes natura filii iræ et peccato originali obnoxii, merito plectentur, misere a Deo in æternum repulsi, ut Gregorius docet: « (g) Hominem invidia diaboli, atque acerbo peccati gustu, a Deo conditore misere separatim despiciere, a Deo alienum est. »

Hortatur parentes, ut infantibus suis baptismum conferri curent, et eos ab infantia sanctificari. « (h) Infans tibi est? Ne occasionem improbitas arripiat: ab infantia sanctificetur, ab ipsis unguiculis Spiritui consecratur. At propter naturæ imbecillitatem sigillum metuis? Quam imbecillis animi mater es, pusillæque fidei! Anna vero Samuelem, prius etiam quam procreatus esset, Deo vovit, atque in lucem editus statim consecravit²⁵. » Non vult pueros prima ætate baptizari, nisi quod urgeat periculum. « (i) De reliquis ita censeo, ut triennio expectato, aut aliquanto breviori vel longiori temporis spatio (nam tum, et mystici quiddam audire, et respondere possunt, ac si minus plene et exacte intelligunt, imbuuntur tamen et informantur), ita demum, magno perfectionis sacramento et animas et corpora sanctificent. . . . (j) Propter inopinosos et repentinos periculorum impetus, quique nulla ope atque auxilio propulsari queant, lavacro communiri omnino conducibilis est. » Objurgat eos qui baptismum differunt, subvertitque inanes, quas obtrudunt causas. « (k) Omne tibi tempus ad ablutionem idoneum est, quandoquidem nullum tempus mortis periculo vacat. » Verum solemne baptismum, in Cappadocia, non nisi diebus Paschæ, Pentecostes et Epiphaniæ conferebatur. Primus Gregorius dissi Epiphaniæ meminit: sed in Oriente mos iste vigeat. (l) Imperante Justiniano, rex Herulorum, Gethes nomine, Con-

²⁵ I Reg. 1, 41, 28.

(a) Or. 40, n. 7.

(b) Or. 18, n. 31.

(c) Carm. De vita sua.

(d) Or. 40, n. 26.

(e) Ibid., n. 25.

(f) Ibid.

(g) Or. 39, n. 13.

(h) Or. 40, n. 17

(i) Ibid., n. 28.

(j) Ibid., n. 16 et seqq.

(k) Ibid., n. 13.

(l) Paul. Diac., Hist., l. xvi, pag. 272, tom. XIII

Bibl. Patr.

stantinopolim venit, et die Épiphaniæ baptismum suscepit, ac pro sacro fonte sponsor illius ipse fuit imperator.

Fœdus cum Deo in baptismo contractum fideliter servandum docet Gregorius his verbis (a) : « Nihil aliud esse vim et facultatem baptismi existimare debemus, quam secundæ vitæ ac purioris vivendi rationis pactum cum Deo initum. Ac proinde vel maximo in metu omnes esse, atque omni custodia nostras animas servare debemus, ne mendacio fidem pactumque violasse comperiamur. Nam cum ad mutua hominum pacta firmanda Deus medius adhiberi soleat, quantum, quæso, periculum est, ne fœdera cum Deo ipso contracta perfregisse reperiamur; ac, præter alia peccata, ipsius quoque mendacii apud Veritatis tribunal rei peragamur? »

De confirmationis sacramento hoc unum in scriptis Gregorii reperimus : necessarium (b) esse, ut perfecti simus Christiani, ἐπιζητείται πρὸς τὴν τελείωσιν. (c) atque sacramentum istud in nomine Spiritus sancti conferri

De Eucharistia.

Quod Eucharistiæ sacramentum spectat, realem Christi in Eucharistia præsentiam tam multis et tam perspicuis testimoniis agnoscit Gregorius, ut nullum de ejus fide circa mysterium istud dubium esse possit. « O Dei cultor sanctissime, » inquit (d), Amphilochio scribens, « ne cuncteris orare et intercedere pro nobis, quando dicto allicis Verbum Dei; quando incruenta sectione corpus et sanguinem Dominicum secas, vocem adhibens pro gladio. » Et oratione XLV (n. 19) : « Lex, inquit, fulcientem baculum tibi præscribit, necubi animo titubes, dum sanguinem Dei, et passionem, ac mortem audis, ac dum Dei patronus ac defensor videri cupis, impie corruas. Quin potius sine pudore ac dubitatione corpus ede, sanguinem bibe, si modo vitæ desiderio teneris, nec sermonibus de carne fidem abrogans, nec ad eos, qui de passione habentur, impingens. Innixus sta, firmus et stabilis, atque ita comparatus, ut nulla in re quatiaris ab adversariis, nec verborum lepore atque illecebris abripiaris. »

In Eucharistiæ consecratione verum agnoscit sacrificium, cum ait episcopos et presbyteros incruentas hostias offerre, atque altaria nostra ita appellari, quod super ea incruenta sacrificia offerantur : « (e) O sacerdotes, qui hostias incruentas offertis... (f) O genua, o palmæ, purissimis Deum quæ placabatis hostiis, Carterii, quomodo cessastis? » Magnas virtutes in eo requirit, qui sacrificium istud ad altare supernum transmittit, qui externum sacrificium, illud magnorum mysteriorum antitypum, offert. « (g) Quo tandem modo externum illud sacrificium... Deo offerre auderem, aut quo modo sacerdotis habitum et nomen subire, priusquam sanctis operibus manus purificassem? » — « Per externum autem sacrificium, illud, quod per panem et vinum peragitur, intelligit Gregorius, quæ quidem in sacra mensa proposita, per ineffabilem quamdam omnipotentis Dei vim et facultatem, in Christi corpus et sanguinem vere commutantur... Nec vero, quin hoc verum sit, ullo pacto ambige, cum ipse aperte dicat, «Hoc est corpus meum,» et «Hic est sanguis meus²⁶.» Quin potius Salvatoris sermonem fide accipe. Nam cum verus sit, minime mentitur. » Hæc Elias Cret. in Orat. al. 1, nunc 2, tom. II, apud Bill. p. 200, 201.

Per incruentum hoc sacrificium, nos Christi participes effici docet Gregorius (h) : « Per quod (incruentum sacrificium) nos Christo ipsiusque passionibus et divinitati communicamus. » Sunt alia Gregorii verba, ex quibus, ut observat Muratorius (i), probari potest, apud veteres sacrificia et preces pro iis qui decesserunt in signo fidei, et dormiunt in somno pacis, viguisse; sic enim in epitaphio cxviii inducit mortuos Gregorium et Nonnam loquentes : « Nos pii parentes Gregorii, qui et senectutem reddidit suis laboribus levem nostram, et nunc prosequitur nos sacrificiis; » καὶ νῦν ἀμφιέπει θυσίας. Nec minus oblatione sacrificii ægros ex morbo recreatos asserit et repræsentat sanctus doctor. In exemplum profert patrem suum Gregorium, nec non Gorgoniam sororem suam, quorum alter : « (j) Illud

²⁶ Math. xxvi, 26, 28, et alibi

(a) Or. 40, n. 8.

(b) Or. 34, n. 14.

(c) Or. 53, n. 17.

(d) Epist. al. 240

(e) Carm. al. 11, v. 1.

(f) Apud Murat. epist. 40.

(g) Or. 2, n. 95.

(h) Or. 4, n. 52.

(i) *Anecd. Græc.*, p. 112.

(j) Or. 18, n. 35.

quidem cum aliis hominibus commune habuit, quod ægrotaret; hoc autem non item commune, sed admodum peculiare, aliisque miraculis consentaneum. Nam cum nunquam dolore non premeretur, et quidem persæpe singulis diebus, atque interdum etiam horis, ex sola liturgia robur concipiebat, ac morbus, tanquam ex edicto et imperio fugatus, se subducebat... (a) Illa vero (Gorgonia) cum caput suum pari cum clamore, lacrymisque, quibus abundabat, mulierculæ illius instar, quæ olim Christi pedes rigavit, altari admovisset, nec se prius illud dimissuram esse denuntiasset, quam sanitatem obtinisset; ac deinde hoc suo pharmaco corpus totum perfudisset, et si quid uspiam antityporum pretiosi corporis aut sanguinis manus recondiderat, id lacrymis admiscuisset (o rem admirandam), statim liberatam se morbo sentit, atque et corpore, et animo, et mente levis discedit. »

Nec vero quemquam movere debet, quod Gregorius, de Eucharistia loquens, figuras et antitypa appellat. Movit tamen id, aut certe movere visum est nonnullos. Neque enim, inquit ministri Claudius et Albertinus, his nominibus fuisset usus Gregorius si vere et realiter Christi corpus et sanguinem in Eucharistia contineri existimasset. Elias Cretensis (b) hæc nomina de Eucharistia interpretatur, ac de vero Christi corpore et sanguine exponit. Sed et inanes Claudii et Albertini objectiones refellit, ac funditus evertit auctor operis *De perpetuitate fidei*, lib. I, c. 5, p. 49, tom. III.

De pœnitentia.

Justitiam amitti posse et recuperari, satis tot lapsorum experientia didicerat sanctus doctor; attamen ne qui innocentia baptismi exciderent, nova contrahendo peccata, sibi de venia nimis blandirentur, aliud eis non superesse remedium præter lacrymas denuntiat Gregorius, « nunc aliud remedium extra lacrymas nullum prorsus scio. » Quin ut homines a peccato magis deterreat et in justitia stabilius confirmet, monet eos pœnitentiam laboriosum esse pharmacum, difficiliorem et molestiorem disciplinam : « (c) Grave est facilioris medicinæ loco difficiliorem et molestiorem adhibere, ac, projecta misericordiæ gratia, supplicii seipsum obnoxium reddere, atque ex delicti ratione emendationem æquare. Quantam enim lacrymarum vim impendemus, ut ea cum baptismi fonte exæquari possit? Quis autem sponsor erit, fore, ut vitæ finis curationem exspectet, ac non potius adhuc ære alieno pressos, atque illius ignis ardore opus habentes, tribunal illud suscipiat? Tu quidem fortasse, bone et humane agricola, dominum supplex rogabis, ut ficulnæ adhuc parcat, nec eam sterilitatis accusatam adhuc succidat, verum tibi permittat ut stercora undique in eam injicias », hoc est lacrymas, gemitus, preces, chameunias, vigiliis, animæ et corporis macerationem, ac denique correctionem eam, quæ ex peccati confessione, contemptiorique vitæ genere existit; at incertum est, an Dominus illi parcat, utpote quæ etiam locum otiose occupet, cum interim alius misericordia egeat, atque ob longanimitatem, quæ ipsi exhibetur, deterior fiat. »

Licet Gregorius (d) purgationem animæ ac instaurationem in pristinum statum rarissimam esse agnoscat, et ægre tandem post assiduos gemitus, longosque labores vulneribus cicatricem obduci, acriter tamen Novatianorum sævitiam coarguit. « Tu vero quid ais? inquit; quam legem statuis, o nove Pharisæe, ac nomine, non autem animi proposito, pure ac Novati dogmata cum eadem infirmitate nobis efflans? Pœnitentiam non admittis? luctibus locum negas? lacrymas lacrymis non prosequeris? Utinam talem tibi judicem experiri non contingat! Benignitate Jesu non moveris, qui infirmitates nostras suscepit, et morbos nostros portavit », qui non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam », qui misericordiam mavult quam sacrificium », qui septuagies septies peccata condonat »? Quam beata esset sublimitas tua, si puritas ea esset, non autem fastus, leges supra hominis captum instituens, ac morum correctionem per desperationem tollens! In eodem enim vitio sunt, indulgentia omnino animadversionis expers, et condemnatio omni venia carens; illa omnes habenas laxat, hæc ob vehementiam strangulat. »

^a Luc. XII, 6-9. ^b Isa. LIII, 4. ^c Marc. II, 17. ^d Matth. IX, 13; XII, 7. ^e Matth. XVIII, 22.

(a) Or. 8, n. 18.

(b) In or. al. 1, nunc 2 apud Bill., tom. II, pag. 201.

(c) Or. 40, n. 9.

(d) Or. 39, n. 18.

Prosequitur Gregorius (a) urgens Novatianos : « Quid ? ne pœnitentem quidem Davidem admittis , cui propheticam quoque gratiam pœnitentia conservavit ? Nec magnum illum Petrum , qui circa Salvatoris passionem humani aliquid perpessus est ? At Jesus eum suscepit , ac per triplicem interrogationem et confessionem ⁴² , triplicem abjuratorem ⁴³ sanavit. Quid... nec eum (admittis) qui scelere sese in Corintho devinxit ? At Paulus charitatem etiam erga eum firmavit , simul atque eum ad meliorem vitæ frugem rediisse perspexit , istamque causam affert : ne « abundantiori tristitia absorbeatur ⁴⁴ , » etc. Quod ait Gregorius de Novatianis (b) : « In altero ævo igni fortasse baptizabuntur , qui postremus est baptismus , nec solum acerbior , sed et diuturnior , qui crassam materiam instar feni depascitur , vitiique omnis levitatem absumit ; » forte sperabat Gregorius Novatianos errorem suum agnituros , quapropter verba de igne purgatorio , non de æterno igne , ut putat Nicetas (c) , videntur intelligenda.

De ordinis sacramento.

De ordinis sacramento non multa dogmatice tractata in Gregorii scriptis reperias , nisi quod episcopis in ordinatione Spiritum sanctum conferri testatur. « Num tu , inquit (d) , Spiritus sancti non es particeps ? atqui maxime te hoc ipso effers. » Jure divino pastores a populo secerni et præesse docet (e). « Quemadmodum in corpore aliud principatum tenet , ac veluti præsidet , aliud subest et regitur : ad eundem quoque modum Deus , vel æquitatis lege , quæ meritum cujusque perpendit , vel etiam providentiæ , per quam omnia inter se velut devinxit , hoc in Ecclesiis constituit , ut alii pascantur et parent , quibus videlicet id utilius est , ac tum sermone , tum opere , ad officium dirigantur : alii autem ad Ecclesiæ perfectionem pastores ac magistri sint , nimirum qui virtute , conjunctioneque et familiaritate apud Deum , vulgo sublimiores sunt , rationem animæ ad corpus , aut mentis ad animam obtinentes , ut hæc duo , hoc est et id quod deficit , et id quod redundat , inter se , velut in membris , composita et compacta , spiritusque compage connexa et colligata , unum corpus , omni ex parte perfectum , atque ipso Christo , qui caput nostrum est , omnino dignum existant. » Ritus tandem quibus inaugurabatur pontifex , sic describit , eum a quo consecratus fuerat alloquens (f). « Me pontificem ungis , ac podere cingis , capitique eidarum imponis , atque holocausti spiritualis altari admoves , et initiationis vitulum mactas , manusque spiritui consecras , et Sancta sanctorum spectatum introducis , verique illius tabernaculi , quod non homo , sed Deus finxit ⁴⁵ , ministrum efficis. »

Meminit lectoris officii Gregorius , ubi narrat (g) Gallum et Julianum , qui postea fuit apostata , in clerum seipso ascripsisse : « Adeo ut divinos quoque libros lectitarent plebi , non minus amplum id sibi et honorificum esse existimantes , quam aliud quidvis , imo omnium ornamentorum maximum præstantissimumque pietatem esse censes. »

Agnoscit disertissime primatum Petri , quem discipulorum omnium charissimum appellat (h). « Non modo suo Christus , sed etiam Petri , discipulorum omnium charissimi , nomine didrachmum pendit ⁴⁶. (i) Petrus apostolorum princeps , sed Ecclesiæ petra , non ut piscator , sed ut fervoris scatens. (j) Vides quemadmodum ex Christi discipulis , magnis utique omnibus et excelsis , atque electione dignis , hic petra vocetur , atque Ecclesiæ fundamenta in suam fidem accipiat ⁴⁷. » Hinc a Gregorio (k) , « Petrus Ecclesiæ columnen dicitur. »

Hunc primatum ad Petri successores manasse declarat sanctus doctor , Romanum pontificem orbis Christiani præsidem , et unitatis catholicæ vinculum designans :

Τούτων δὲ πίστις, ἣ μὲν ἦν ἐκ πλείονος
καὶ νῦν ἔσ' ἔστιν εὐδρομος, τὴν Ἑσπέραν

⁴² Joan. xxi, 15-17. ⁴³ Matth. xxvi, 69-75. ⁴⁴ II Cor. ii, 7. ⁴⁵ Hebr. viii, 2. ⁴⁶ Matth. xvii, 25.
⁴⁷ Matth. xvi, 18.

(a) Or. 39, n. 1

(b) Ibid., n. 19.

(c) Apud Bill., t. II, p. 1057.

(d) Carm. adv. episc., apud Toll., p. 27.

(e) Or. 2, n. 3.

(f) Or. 10, n. 4.

(g) Or. 4, n. 25.

(h) Or. 19, n. 13.

(i) Carm. adv. episc., apud Toll., p. 25.

(j) Or. 32, n. 18.

(k) Or. 9, n. 1.

Πᾶσαν δέουσα τῷ σωτηρίῳ λόγῳ,
Καθῶς δίκαιον τὴν πρόθερον τῶν ἔλων
*Ὀλὴν σέβουσαν τὴν Θεοῦ συμφωνίαν.

(a) Quod spectat ad illarum fidem; vetus quidem (Romæ) jamdudum
Atque etiam nunc recte currit. Occidentem
Totum devinciens salutari doctrina,
Quemadmodum par est, ut quæ universis præsidet,
Totam colat Dei concordiam.

De sacramento matrimonii.

Bonum esse matrimonium, sed tamen virginitati posthabendum censet Gregorius (b). « Bonum est matrimonium, inquit; sed quod virginitate præstantius sit, dicere non possum. Neque enim magnum aliquid esset virginitas, nisi re aliqua bona melior et præclarior esset. Nolite hoc moleste ferre, quæ matrimonii jugo subjectæ estis: « *Obedire Deo oportet magis quam hominibus* »⁴⁸. » Cæterum facite, ut inter vos quasi vinculo constringamini, et virgines et uxores, atque unum sitis in Domino, mutuumque aliæ aliarum ornamentum. Non esset cælebs, nisi matrimonium esset. Unde enim in hanc vitam virgo prodiisset? Nec esset honorificum et venerandum matrimonium, nisi virginem proferret, tum Deo, tum vitæ. »

Secundas nuptias non videtur probare. « Si enim duo Christi sunt, inquit (c), duo quoque viri sint, et duæ uxores. Si autem unus Christus, unum Ecclesiæ caput, una etiam caro sit, secunda autem respnatur. Quod si secundam prohibeat, de tertia quid dicendum est? Primum lex est, secundum venia et indulgentia, tertium iniquitas. Qui autem hunc numerum excedit, porcinus plane est, utpote ne multa quidem vitii exempla habens. » Ex his verbis critici nonnulli minus recte existimarunt Gregorium damnasse secundas nuptias: sed immerito, si quidem Novatum ita sentientem impugnat et refellit (d). « Anne juvenibus quidem viduis, propter ætatis lubricum, ineundi matrimonii potestatem facis? At Paulus hoc facere minime dubitavit ».... (e) At hæc minime post baptismum, inquis. Quo argumento id confirmas? Aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes. Quod si res dubia est, vincat humanitas et facilitas. »

Impudicam quidem mulierem expellendam censet Gregorius (f), cum id Christus permiserit; reliquis autem omnibus in rebus animi æquitate et patientia uti jubet. Si fucos illitos et cerussa colores et pigmenta perspexerit vir, hoc ornatu mulierem spoliaret, cæteraque inhonesta coerceat et reprimat.

Adulterii causa uxorem dimittere viro permittitur; mulieri autem virum dimittendi non eadem datur facultas: hanc legem non probat Gregorius, eamque impugnat: « Quid enim causæ fuit, inquit (g), cur mulierem coercerent, marito contra indulgerent?... Et mulier quidem, quæ improbum consilium adversus viri sui cubile susceperit, adulterii piaculo constringatur, acerbissimisque legum pœnis excrucietur; vir autem qui fidem uxori datam per adulterium violaverit, nulli supplicio obnoxius sit? Hanc legem haudquaquam proba.... Viri erant, qui hanc legem sanxerunt, ac propterea adversus mulieres lata est. »

Episcopos præcipuos matrimonii fuisse ministros, sæpiusque interfuisse dum celebraretur, sequentibus confirmari potest. Cum Gregorio non liceret adesse Olympiadis nuptiis, scribit Procopio (h): « Quantum ad voluntatem attinet, et adsum, et simul festum celebret; juvenilesque dextras inter se jungo, atque utrasque Dei manui. »

De invocatione sanctorum.

Invocationis sanctorum, atque imprimis beatæ Virginis, testis locupletissimus est Gregorius, ubi hæc narrat (i) de beata Justina martyre, quæ « desperatis omnibus aliis remediis ad Deum confugit, atque adversus detestabilem amorem sponsum suum patronum ac defensorem assumit.... Christum.... Virginemque Mariam supplex obsecrans, ut pericli-

⁴⁸ Act. v, 29. ⁴⁹ 1 Tim. v, 14.

(a) Carm. *De vita sua*, v. 571 et seqq.

(b) Or. 37, n. 10.

(c) Ibid., n. 8.

(d) Or. 39, n. 18.

(e) N. 19.

(f) Or. 37, n. 8.

(g) Ibid., n. 6.

(h) Epist. al. 57.

(i) Or. 24, n. 10, 11.

tanti virgini suppetias ferret, jejunii et chameuniæ pharmaco sese communit; partim ut formæ venustatem tanquam insidiosam obscuraret, sicque flammæ materiam subtraheret, ac libidinis fomitem absumeret; partim ut per fidem et humilitatem propitium sibi Deum et exorabilem redderet. Neque enim Deus ulla re perinde, atque voluntaria corporis afflictatione, conciliatur, lacrymisque misericordia vicissim rependi solet. » Dubium Gregorio non erat quin sanctis in cœlo nota essent et vota nostra, et plurima quæ hic agimus; sic enim de Athanasio jam vita functo loquitur (a): « Nos autem utinam ipse benignus desuper et placidus aspicias, atque hunc populum gubernes, perfectum perfectæ Trinitatis, quæ in Patre et Filio et Spiritu sancto intelligitur et colitur, adorantem; meque, siquidem res pacatæ futuræ sint, in vita teneas, gregemque mecum pascas: sin autem Ecclesia bellis flagrata est, reducas, aut assumes, tecumque et cum tui similibus colloces, tametsi magnum sit quod postulo. » Non tantum Athanasium, sed et Basilium invocat et Cyprianum (b); sanctique martyris cineribus morbos et dæmones depelli scribit (c). Sanctorum reliquiarum cultum, invocationem, intercessionem, tam sæpe tamque aperte proficitur Gregorius, ut id negare cum hæretici non possint, piam hanc consuetudinem cæcam in divos superstitionem appellare ausi sint. Ita Dallæus (d): « Cæca in divos superstio, quam hic ipse Gregorius non parum promovisse suis et verbis et exemplis videtur, »

De gratia.

Quam optime Augustino et Latinis Græci Patres in causa gratiæ assentiant, satis confirmatum est, maxime a doctissimo Meldensi episcopo; et vel unus Gregorius, in tanto apud Græcos habitus honore, hoc suo suffragio evinceret. Plura jam ab Augustino adversus Pelagianos nostri Theologi testimonia prolata sunt, quædam ex deperditis libris, et singula tam perspicua, tam ad controversiam expediendam apta, ut Augustinus ipse in Gregorio loqui, et Gregorius Pelagianos tot ante annos confutare voluisse crederetur. Hæc lectori mox constabunt, si ad doctrinæ capita quæ exhibentur paulisper animo attendat.

Nihil sane magis auxilii divini necessitatem arguit, quam ignorantæ quotidianæ difficultates, et libidinis, vel in ipsis justificatis, miserandæ commotiones, quas Gregorius et palam confessus est, et amare ingemuit. « Invidia diaboli, inquit (e), persecutio adversus Dei figmentum excitata est: idcirco Dei imago probro ac dedecore affecta, et quemadmodum mandato parere recusavimus, ita licentiæ erroris traditi sumus. » Bellum hoc intestinum, quod ex variis et militantibus invicem contrariis desideriis intra nos frequenter exurgit, tam vividis coloribus depinxit, tam nervose expressit, ut Augustinus, adversus Pelagianos de hac re agens (f), Gregorium testem adhibere non dubitaverit, cujus verba (g) sic Billius reddidit: « Nondum de interno bello, atque in nobismetipsis et in affectibus sito, verba facio, quo nocte ac die, partim occulte, partim aperte, ab humilitatis corpore divexamur; et ab ea quæ nos per sensus, atque alia hujus vitæ oblectamenta, sursum deorsumque versat, jactatione, atque a luto fæcis, cui infixi sumus, et a peccati lege spiritus legi repugnante, regiamque in nobis imaginem, et quidquid divinæ defluxionis nobis inspersum est, corrumpere conante. Vix porro quisquam, nec nisi diuturna philosophia seipsum domuerit, atque animæ nobilitatem et claritatem ab eo quod humile est et cum tenebris conjunctum, paulatim abriperit, vel Deum propitium nactus sit, aut etiam ambo hæc habuerit, atque ad oculos sursum erigendos quam maxime sese exercuerit, deprimentem materiam superare queat. » Si congerere omnia quæ sanctus doctor de hoc argumento disseruit susciperemus, volumen pene integrum exscribendum esset: siquidem, ad intimos pietatis sensus cordibus instillandos, nihil aptius in humanis judicavit quam frequentem, quæ nos undique premunt, miseriarum enumerationem; cum et superbiam retundere et ad humilitatem orationemque accendere tam salubriter valeant. Legendum maxime carmen flebile quod *De animæ suæ calamitatibus* inscriptum est, cujus hæc pauca promamus.

(a) Or. 21, n. 37.

(b) Or. 43, n. 81.

(c) Or. 24, n. 19 et 18.

(d) *Adv. Lat. trad. De rel. cultu*, p. 55

(e) Or. 39, n. 7.

(f) *Lib. II cont. Jul.*, n. 7.

(g) Or. 2, n. 91.

(a) Inest quippe mihi, inest lex duplex, quarum altera quidem bona Bonum sectatur; altera autem deterior sectatur quæ mala sunt.
 Ac ea quidem, quæ mentis est, parata est
 Ad obediendum Christo, gradiens ad lucem:
 Altera autem, quæ carnis est et sanguinis, prompta est
 Ad excipiendum Belial, dum ad tenebras trahitur...
 His autem pugnantibus inspector venit cœlitus.
 Spiritus magni Dei, et menti manum dedit;
 Corporis perniciosi solvens tumultum, atque atrorum
 Compescens vitiorum fluctum assurgentem.
 Sed tamen rabidum retinet furorem, nec bello
 Desistit caro, inclinaturque huc et illuc pugna.
 Interdum quidem mente caro domatur. Rursus alias
 Fortem carnem mens sequitur, non volens;
 Sed illud quidem concupiscit quod melius est. Quod autem odit,
 Id dum facit, perniciosam deplorat servitutem,
 Et patris primigenii deceptionem, et matris nefandam
 Transgressionem, nostræ matrem stultitiæ⁸⁰.

Tantas ærumnas vitæ humanæ mira varietate et intimis gemitibus lamentari non defatigatur, tot malis et fletibus et querelis solamen aliquantum ac medelam conferre satagens. At unde levamen speraret nisi a spiritu gratiæ, quem tam altis suspiriis, ac votis ferventibus sollicitat, et ad se allicere nititur? Sicut igitur innumeras animæ infirmitates non neglexit, sed satis deflevit; sic medicum bonitate et potentia solum morbis tam acutis et tenacibus curandis idoneum non desinit appellare: et quemadmodum voluntatis languorem et inertiam ad bonum ubique expertus et confessus est; ita quidquid boni fit in nobis et a nobis, ad Deum cordis humani motorem efficacem referre et ipsi ascribere non hæsit. Bonum omne a Deo initium sumere et ad finem perduci, paucis sed decretoriis testatur: «Deus, inquit (b), a quo bonum omne initium ducit, atque ad finem perducitur, orationi opitulator accedat.»

Principium boni operis, justitiæ et bonitatis in homine fons et origo, haud dubie sincera fides, cujus initium et profectum absque ulla cunctatione Gregorius Deo assignat: «Trinitatem, inquit (c), o viri, unius Deitatis esse fateamini, aut, si magis placet, unius naturæ; atque hanc vocem (Deus) a Spiritu vobis postulabimus. Dabit enim profecto secundum, qui primum dedit.» Jam enim Spiritum sanctum Patri et Filio consubstantialem crediderant, sed Deum profiteri inficiabantur. Hoc testimonio usus est Augustinus, lib. *De dono perseverantiæ*, sed interpretis oscitantia non nihil depravatam, ut bene notarunt ejus editores novissimi.

Quid mirum inde si sanctus doctor errantes a Deo illuminari et immutari postulet, cum fides, quam a Deo nobis donari declaravit, sola infidelitatis tenebras discutiat? «Qui autem, inquit (d), ligata exponit, et nexus dissolvit, ac nobis in mentem induxit, ut violentorum dogmatum obliquitates solveremus, maxime quidem optarim ut hos (Arianos) immutet, ac pro argutoribus pios, et pro iis, qui nunc appellantur, Christianos efficiat.»

Nec qui fidem acceperint, sibi jam satis esse arbitrentur ut deinceps quoslibet pietatis actus exerant; sed adhuc et semper ipsis auxilio divino opus esse, ut recte velint recteque agant, sanctus doctor, ne fallaci confidentia cæcutiant et cadant, eos potenter commonefacit, explanando hoc Salvatoris effatum: «Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est⁸¹.» Postquam (e) a voluntatibus humanis omnem fatalem necessitatem repulit, libertatem asserendo; jam ut eorum qui sibi de propriis viribus nimium blandiuntur frangat superbiam, verba Pauli magnis intonat vocibus: «Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei⁸²»; ex quibus sic infert: «Quoniam enim nonnulli sunt, qui ob recte facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi ipsis ascribant, nec quidquam Creatori, et sapientiæ eorum auctori, ac honorum omnium suppeditatori acceptum ferant, his verbis eos docet Paulus, quod ipsum etiam recte velle divino indigeat auxilio; imo, ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa, et electio eorum, quæ recta et cum officio conjuncta sunt, divinum

⁸⁰ Rom. vii, 15-25. ⁸¹ Matth. xix, 11. ⁸² Rom. ix, 16.

(a) Carm. 4, v. 71 et seqq.

(b) Or. 6, n. 1^o.

(c) Or. 41, n. 8.

(d) Or. 29, n. 21.

(e) Or. 37, n. 13.

quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans.... Idcirco ait: « non volentis, » id est, non solum volentis, « nec currentis » solum, « sed » etiam « miserentis Dei. » Ita quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo jure totum Deo assignavit. Quantumlibet curras, quantumlibet certes, opus habes eo qui dat coronam. « Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam⁵². » Scio, inquit, quod nec velocium cursus est, nec bellum fortium, nec pugnantium victoria, nec prospere navigantium portus; sed Dei est, et victoriam afferre, et incolumem scapham in portum perducere.»

Quid plura? et quid sibi arrogare humana voluntas præsumat, cum et ipsa bona voluntas, et electio ad recte agendum, et labor et cursus et victoria et incolumitas, et quidquid cogitari potest usque ad triumphum et plenam post pericula securitatem, totum Deo sit optimo juretribuendum? Hinc si Deo munera, grati animi obsequia, offerre studeamus, non a nobis tanquam ex nobis hæc promamus, sed tanquam dona ipsius munificentiae, prout sunt, dicemus ei et voveamus; quod et pietatis officium Deo gratissimum est nobisque saluberrimum. « Alius, inquit (a), minus quidem, alius majus, omnes tamen citra exceptionem offeramus, in opus perfectum, in habitaculum Christi, in templum sanctum, architectonica Spiritus arte constructi et coagmentati. Illud quidem minime dubium est, quin, etiamsi omnia contulerimus, minus tamen collaturi simus, quam accepimus. Quandoquidem divini beneficii est quod sumus, quod Deum cognoscimus, quodque etiam, quod offeramus, habemus. » Tandem quemlibet profectum in virtute fecerimus, quantumvis immutemur in melius, non nobis gratulemur, sed Deo gratias referamus, cujus dextera fit hæc quotidiana morum emendatio, ut Gregorius confirmat hæc verba Scripturæ interpretando: « *Non apparebis in conspectu meo vacuus*⁵³ »: « Verum si quid pulchri habes, tecum feres. At nunc, inquit (b), diverso modo novus appare, sic nempe, ut totus immuteris.... Huic festo, muneris loco, præclaram mutationem offer, ac ne sic quidem magnifice de te sentias, verum dic cum Davide: « Hæc mutatio dexteræ Excelsi⁵⁴, » a quo promanat quidquid ab hominibus recte et cum laude geritur. »

Quis autem inter tot pericula, tot tentationum prælia firmus et securus gradietur, si solus contra hostes tam formidandos pugnare cogatur? Nunc ergo sollicitationes mundi, impulsus diaboli, carnis titillationes, cupidinum æstus, et quidquid animum a virtute dejicere potest, superare, comprimere et extinguere, nullus sane potest nisi ope divina munitus et adjutus, ut Gregorius docet (c):

Si tremis, quia stipulam scintilla levis accendit:
Confide. Imber e caelo refrigerabit ingentem flammam.

Quibus addenda quæ Augustinus (d) ex deperdito opere Gregorii decerpit et protulit: « Anima namque, cum in laboribus fuerit et in angustiis, cum hostiliter urgetur a carne, tunc ad Deum refugit, et cognoscit unde debeat auxilium poscere. »

Jam vero ut sibi supernam virtutem conciliet, quid sapientius, quid salubrius languens et invalidus excogitaret, quam totum divinæ gratiæ se committere, suis conatibus nullo modo subnixum? Nec minus probandum si, quidquid potest, quidquid valet, Christo libenter omnia concedat.

(e) In te, Christe, plus habeo fiduciæ quam in conatibus meis...
(f) Ex te, in te, Beate, rursus intueor robur meum...
(g) Rex Christe, tu mihi patria, robur, divitiæ, omnia.

Et quanta sit gratiæ virtus, quanta ejus in corde movendo efficacitas, nobis graviter inculcat, dum toties profert miracula quæ Christus corporibus sanandis edidit, ut ejus potentiam illustrius demonstret. « Jesum videbis, inquit (h), angelorum ministerio uti, et morbos omnes ac languores curare, et mortuos ad vitam revocare, quemadmodum utinam te quoque fidei pravitate mortuum. » Tantam divinæ gratiæ fiduciam, tantam de sua effi-

⁵² Psal. cxxvi, 1. ⁵³ Exod. xxxiv, 20. ⁵⁴ Psal. lxxvi, 11.

(a) Or. 19, n. 8.

(b) Or. 44, n. 8.

(c) Carm. al. 3, v. 66, 67.

(d) Aug., l. xi cont. Jul., n. 7.

(e) Carm. 97.

(f) Carm. 8, v. penult.

(g) Carm. De reb. suis, circa finem.

(h) Or. 58, n. 16.

caecitate opinionem et existimationem in mente habuit, ut carmine *De rebus suis* ea virtute qua olim Christus morbos depulit, daemones exturbavit, mortuos ab inferis excitavit, simili operatione vim gratiæ in suam animam exerere ardentissime exoptet.

(a) Fortem tuam manum
Mitte, et dolorum fer remedium, ac in me omnia
Miracula, et prodigiorum virtutem, ut olim, ostende.
Dic, et celerrime fluxus sanguineus desinat.
Dic, et porcorum gregem in furorem agat legionis
Spiritus, et in mare cadat, et a me recedat.
Lepram tristem remove, lumen accedat
Oculis cæcis, et aures sonum audiant.
Aridam manum meam extende. Vincula linguæ
Rumpe, et pedum firma gressum debilem.
Ex modico pane satia. Sterne mare
Terribile. Splendidius sole corusca.
Fige membra ingravescentia, et ex mortuis
Rursus suscita foetentem; nec me infructuosum,
Postquam veluti ficum videris, arefacias.

Igitur miracula quæ Christus edidit corporibus sanitatem restituendo, nonnisi umbra e; figuræ miraculorum quæ quotidie operatur, dum homines ad salutem reducit; nec minori virtute ac potentia in animas agit quam in corpora, quinimo majori, cum et voluntatis repugnantiam compellere necesse sit, et ejus libertatem permulcere ac tractare, ut pravos cordis affectus non cogendo, sed mira suavitate immutando, animum ad se efficaciter convertat.

Si gratiæ necessitatem et vim tantis attollat studiis, æqualiter saluberrima quæ exinde oriantur pietatis monita prodere ipsi cura est, ut sic sincera grati animi reverentia ac cordis humilitate gratiam ad nos pelliciamus, et assidua oratione summaque vigilantia eam in nobis foveamus et adaugeamus.

(b) Gravior, non sine præmii spe, inter currendum membra protendens,
Christum habens pro afflatu, Christum pro robore, pro opibus amplissimis:
Qui mihi et perspicaces oculos, et prosperos cursus præstat.
Sine ipso omnes vana ludibria sunt mortales,
Et mortui viventes, foetidi peccatis
Neque enim sine aere vidisti volantem avem;
Neque sine aqua maris cursor natavit delphinus.
Sic nec sine Christo mortalis pedem attollit.
Quamobrem ne nimium glorieris, nec tuæ
Viribus mentis confidas, etsi magnopere sapiens fueris:
Neque aliquem videns abjectiorem, in altum attollaris,
Quasi omnibus superior sis, et ad metam propius accedas.

Hæc procul dubio satis evincunt Græcos Patres, et maxime Gregorium, de gratia tam docte et luculenter quam Latinos disserere, nec minus ipsam prædicare et commendare sollicitos fuisse.

De fide.

Per fidem via salutis capescitur, salusque comparatur. Doctorum pariter et indoctorum est fides; « (c) Nam si in eruditos tantum viros caderet fides, nihil Deo minus dives foret: » *Ἐὶ δ' εἰς σοφοὺς ἐπιπτεν ἡ πίστις μόνον, Θεοῦ παρ' ἡμῶν οὐδὲν ἦν πνεύστερον.* Sermonem simplicis fidei sufficere docet Gregorius: *Λόγος γὰρ ἀρκεῖ καὶ ψιλλῆς τῆς πίστεως, μεθ' ἧς ἀτέχνως τὸ πλεόν σώζει θεός;* « (d) Nam sermo simplicis fidei sufficit, cum qua pars hominum maxima salutem comparat. » *Mysteria autem, maxime vero Trinitatis, penitus cognoscere non præsumendum, et perscrutari nefas. « Ne Patris naturam inquiras, inquit (e), Unigeniti ortum, Spiritus sancti gloriam et potentiam; unam, inquam, et eandem in tribus personis deitatem et claritatem, individuum illam naturam, ac confessionem, et gloriam, spemque hominum fide præditorum. Verba illa, quibus simul cum lacte imbutus es, mordicus retine: sermonis autem et disputationis curam eruditioribus manda. Satis superque tibi est fundamentum habere: superstruat architectus. » Non cujusvis esse ait de Deo disserere; sed his duntaxat hoc muneris incumbit, qui exactissime sunt explorati. « Non cujusvis est, inquit (f) de Deo disserere, non, inquam, cujusvis.... Addam etiam non cujusvis*

(a) Carm. *De reb. suis*, circa finem.
(b) Carm. 59, v. 98 et seqq.
(c) Carm. *De vita sua*, v. 1250.

(d) Ib., v. 1228.
(e) Or. 32, n. 21.
(f) Or. 27, n. 3.

temporis, nec apud quosvis, nec de quibusvis, sed certo tempore et apud certos homines... Non cujuslibet quidem, quoniam his duntaxat hoc muneri incumbit, qui exactissime explorati sunt, ac contemplando longe processerunt, priusque etiam et corpus, et animam a vitiorum sordibus purgarunt; aut, ut parcissime loquar, jam hoc agunt, ut se a vitiorum labe purgent... Quando autem? tum videlicet, cum ab externo luto et tumultu quietem agimus, nec princeps nostri pars improbis vagisque simulacris confunditur... Apud quos porro? Nempe apud eos, qui rem hujusmodi studiose ac serio amplectuntur, quique non ut quidpiam aliud, sic hoc quoque ineptâ nugacitate prosequuntur, post circenses ludos et spectacula, post cantiones, post denique quam ventri et iis quæ sunt sub ventre indulserint. Qui quidem ita perditæ affecti sunt, ut hoc quoque in oblectamentorum parte numerent, nimirum de divinis rebus nugari, atque arguta disputatione concertare. Jam de quibus, et quousque disputandum? De his solum, quæ ingenii nostri modulum, atque auditoris captum non excedunt... (a) Neque vero hæc quisquam ita accipiat, quasi Deum perpetua memoria colendum esse negem... Nec enim tam sæpe spiritum ducere, quam Dei meminisse debemus; imo, si dici potest, aliud nihil quam hoc faciendum... Quocirca, ne quis perpetuo Deum memoria teneat, haud veto, sed ne de Deo disputet; imo nec hoc prohibeo, id enim pium est, sed ne intempestive. »

Quod autem maxime prohibet Gregorius illud est, ne de mysteriis nostris immoderate dicendi vel scribendi studio irreverenter disputemus. « (b) Illud saltem inter nos conveniat, ut mystica mystice, et sancta sancte proloquamur, nec in profanas aures, quæ in vulgus efferri nefas est, projiciamus; nec patiamur religiosiores quam nos videri eos, qui dæmones adorant et turpium fabularum ac rerum cultum profitentur. »

De lectione librorum ethnicorum.

Juveni ethnicorum librorum lectioni incumbenti hæc consilia dat Gregorius: « (c) Diligenter optimis disciplinis incumbe, et in libris poetarum, historicorum commentariis, fluente oratorum facundia, subtilibus philosophorum meditationibus temet exerce; sic tamen, ut prudenter in omnibus hisce verseris. Debes enim sapienter ex eis colligere quæcunque sunt utilia; contraque solerti judicio vitare quidquid in singulis est noxium, adeoque apertè arguere industriam imitari. Nam ea quibuslibet floribus insidere cum consueverit, de singulis utilia tantum decerpit, singulari quadam sapientia naturam ipsam magistram secuta. Tu vero rationem sequens alia quidem largiter decerpe, si quæ prodesse possunt: si autem aliquid ejusmodi sit ut detrimentum afferat, celeriter intellecta rei pravitate avola. Quippe mens hominibus data est ejus celeritatis, ut velociter admodum avolare possit. Quapropter quidquid ab iis perscriptum est, vel ad virtutis laudem atque prædicationem, vel e diverso ad vitiorum reprehensionem; ea tu velim singulari studio cognoscas, ac tum mentem et sensum eorum retineas, tum dictionis elegantiam. Quæ autem de diis scripserunt, insignes nugæ continentia, verbi gratia, fabulas inhonestas ac fædas, malorum geniorum doctrinas, fabulas, inquam, tum risu tum lacrymis dignas; hæc omnia tanquam laqueos et decipulas aversare. Cumque simul utraque legeris, deos ipsorum et orationes, deos ridiculos, et orationes amabiles; deos quidem illos voluptuarios respue, verum orationes maximi facito: quasi scilicet de eodem frutice spinas caveto, et rosas decerpito. Atque hæc quidem optima de doctrinis extraneis lex fuerit. » Eadem præscribit Basilius Magnus libros ethnicorum legentibus.

De potestate temporali et ecclesiastica.

Quid de potestate temporali cogitare debeamus, atque etiam quid cogitare debeant ipsi, qui ea insigniti sunt, his verbis significat Gregorius: « (d) Imperatores, purpuram revereamini... Cognoscite quantum id sit, quod vestræ fidei commissum est, quantumque circa vos mysterium. Orbis universus manui vestræ subjectus est, diademate parvo atque exiguo panno retentus. Supera quidem solius Dei sunt; infæra autem vestra etiam sunt. Subditis vestris deos vos præbete; liceat enim audacius aliquid dicere: « Cor regis in manu Dei est », ut ex Scriptura audimus ac credimus. Hic imperium vestrum sit, non autem

⁹⁹ Prov. xxi, 1.

(a) Or. 27, n. 4.

(b) Ibid., n. 5.

(c) Carm. ad Seleucum, v. 35 et seqq.

(d) Or. 36, n. 11.

in auro et in exercitiis. Aulici, proceres, ac sublimibus thronis et dignitatibus insignes, ne ob potentiam magnopere animos efferatis, nec de mortalibus rebus tanquam immortalibus cogitetis. Fidem imperatoribus servate, sed prius Deo, propter quem his etiam quibus commissi et traditi estis. »

Ecclesiasticam potestatem agnoscit, hisque verbis coram præfecto provinciæ prædicat et tuetur : « (a) Vos quoque imperio meo ac throno lex Christi subjicit. Imperium enim nos quoque gerimus; addo etiam præstantius ac perfectius: nisi vero æquum sit spiritum carni, et cœlestia terrenis cedere. » Nec minus tamen principibus parendum esse docet (b) : « Submittamus nos, tum Deo, tum alii aliis, tum iis qui in terris imperium gerunt: Deo quidem omnibus de causis, alii autem aliis propter charitatis fœdus: principibus denique, propter ordinem publicæque disciplinæ rationem; idque tanto etiam magis, quanto facillioribus illis ac benignioribus utimur. »

De hierarchia et cœlibatu presbyterorum.

Quod attinet hierarchiam, ubi Gregorius de clero Constantinopolitano verba facit, episcoporum, presbyterorum, diaconorum et lectorum tantum meminit (c). « Vide presbyterorum concilium, civitatis et prudentia ornatorum, diaconorum modestiam..... lectorum concinnitatem. » Primos in hierarchia ecclesiastica gradus episcopi, secundos occupant sacerdotes: ad episcopatum non nisi per inferiores gradus ascendebatur. Quoad Ecclesia floruit, et vigor disciplinæ stetit incolumis, quisquis ad supremum sacerdotii honorem promovendus erat, ob sanctitatis meritum assumebatur, ac diligenter de ejus vita, moribus et doctrina exquirebatur. Verum quo tempore nefanda Arianorum hæresis omnia miscuit, hic ordo perturbatus, conculcatæ leges. Hinc illæ Gregorii querelæ (d) : « Nos vero cunctos, facile collocamus in antistitem solia, modo ipsi velint: nequaquam recentium, aut priscorum, vel actiones considerantes, vel doctrinam, vel conversationem..... Non eos antistites facimus, qui aliquo temporis spatio fuerint examinati; sed qui suomet judicio digni videntur. » Hinc tam tristes, tam luctuosæ hujus temporis episcoporum imagines, tam nigris coloribus ab ipso in carminibus efformatæ. Sic in oratione de hoc argumento (e) : « Aliorum me puduit, qui cum plerisque nihilo meliores sint, atque utinam non etiam multo pejores, illotis, ut dici solet, manibus, profanisque animis in sanctissima mysteria sese inferunt, ac priusquam digni sint, qui ad res sacras accedant, sacrarium ipsum ambiunt, et circum sacrosanctam mensam sese invicem premunt ac protrudunt, tanquam non virtutis exemplum, sed victus parandi occasionem et subsidium hunc ordinem esse judicantes, ac non munus referendis rationibus obnoxium, sed imperium ab omni censura immune. »

In Oriente presbyteri non tam stricte cœlibis vitæ legem observasse videntur, quin ab ea aliqui recederent, quod ipse significat Gregorius, ubi scribit esse quosdam qui baptismum ab eo presbytero velint suscipere, (f) « qui cœlebs sit, qui continentia laude atque angelica vivendi ratione floreat. »

De causis ecclesiasticis.

Causarum ecclesiasticarum iudices erant episcopi; et si quando res ecclesiasticæ publicis prætoriis traducebantur, id ægre ferebant, et exinde querimonias apud iudices habebant, ut epistola Gregorii de episcopo Bosphorio argumento est. « Hanc tibi, » inquit scribens Nectario (g), « precepcionem ausus sum offerre pro reverendissimo episcopo Bosphorio..... Controversiam certe de circumstantibus exortam ipse nimirum dissolves juxta Spiritus gratiam, quæ in te est, et canonum tenorem. Illud autem minime ferendum tuæ reverentiæ videatur, quod nostra publicis prætoriis traducantur. Nam tametsi sint Christiani, ut certe Dei benignitate sunt, ejusmodi negotiorum iudices; quid commune gladio et spiritui? Quod si etiam concesserimus, quomodo aut ubinam justum, disputationem de fide cum aliis controversiis implicari? » Quod hac epistola postulabat Gregorius, conse-

(a) Or. 17, n. 8.

(b) Ibid., n. 6.

(c) Or. 42, n. 41.

(d) Carm. adv. episc., apud Toll., p. 39.

(e) Or. 2, n. 8.

(f) Or. 40, n. 26.

(g) Ep. al. 227.

cutus videtur, occasionemque dedisse rescripto Theodosii, dato 4 Febr. an. 384 vel 385, ad Optatum Ægypti præfectum, quo sancitur, « (a) ne nomen episcoporum, vel eorum qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ad judicia sive ordinariorum sive extraordinariorum pertrahatur. Habent illi iudices suos, nec quidquam his publicis commune cum legibus : quantum ad causas tamen ecclesiasticas pertinet, quas decet episcopali auctoritate decidi. Quibuscunque igitur mota fuerit quæstio quæ ad Christianam pertineat sanctitatem, eos decebit sub eo iudice litigare, qui præsul est in suis partibus omnium sacerdotum, » etc.

De virginibus et monachis.

Notatione dignum maxime quod ait Gregorius de virginibus Deo consecratis, deque iis omnibus, qui post nuncupata Deo vota, promissa non curant persolvere, aut graviter officium deserant :

(b) Qui virginitatem Christo regi obtulit, :
 Rationale sacrificium, victimam incruentam,
 Nuptias si deinceps quæsierit, non jactura tantum illi, verum gravissimus
 Est casus, morti proximus, ac præterea opprobrium indelebile...
 Quis vero audiens Sapphiram infelicem et Ananiam
 Lucro qui suo malam mortem commutarunt ⁸⁷,
 Non vereatur vel leviter promissa violare?
 Regulam etiam quis auream cum furtim subripuisset
 E populi primoribus, inscio duce,
 Vestem et pecuniæ modicum; toti nocuit populo.
 Talis est, qui virginitatem amplexus, retro graditur; aut etiam deterior.

Nazianzi monachorum exercitia sic describit Gregorius (c) : « Vigiliæ, jejunia, preces, lacrymæ, callosa genua, pectoris converberationes, suspirium ex imo manans, pernoxio statio, mentis ad Deum peregrinatio, tenuis inter orandum fletus, audientium animos ad compunctionem incitans, psallentes, Dei gloriam celebrantes, legem Domini diu noctuque meditantes, exaltationes Dei in gutturibus ⁸⁸ ferentes; atque hæc etiam vitæ Deo gratæ pulchra indicia et argumenta, tacitique præcones, sordida nimirum et squalida coma, pedes nudi, et apostolicos imitantes, nihil mortuum ferentes, apta et moderata tonsura, amictus fastium coercens, zona ob ornatus neglectum culta et ornata.... oculus minime vagus, subrisus blandus.... silentium sermone præstantius, laudatio sale condita, non ad blanditias comparata, sed ad meliora dirigens, objurgatio laudatione optabilior.... modus tum in commune prodeundi, tum secedendi, hoc ut ipsi Spiritus mysteriis imbuantur; atque ita utrumque, ut et in communi solitudinem servent, et in solitudine fraternam benevolentiam et charitatem; et, quæ his adhuc majora et sublimiora sunt, opes in paupertate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fecunditas in cælibatu, siquidem præstantiores fetus illi sunt, qui secundum Deum existunt, quam qui a carne ortum ducunt : qui deliciis minime studere pro deliciis habent; qui regni cælestis causa humiles sunt, qui nihil in mundo habent et supra mundum existunt, qui etiam in carne extra carnem vivunt, qui pro portione Deum habent, qui propter regnum inopia laborant, et propter inopiam regnant. »

De monachis et virginibus Deo sacris sic iterum in carmine iambico (d) :

Sed quod semper ac omnibus notissimum est,
 Cernis insomnes virginum psalmodias,
 Virorum ac mulierum naturæ obliorum,
 Quot et qualium! quam ad Divinitatem accedentium
 Continentem et angelis respondentem chorum
 Duplicem, in cælo et in terra ordinatum,
 Divinæ laudatorem majestatis et naturæ.

Non una omnium virginum vita, eademque vivendi instituta :

(e) Αἱ μὲν ὁμηγερέες ξυὸν πόθον ἀμφιπέπουσαι
 Οὐρανοῦ ζωῆς, ἴσα τε μέτρα βίου.

Aliæ quidem simul congregatæ, sub uno conclavi commune vivendi institutum servabant commune desiderium foventes cælestis vitæ, similesque vivendi modos secutæ.

Αἱ δ' ἄρ' ἑοῖς ταχέεσσι παρήμηναι ἀδρανέουσιν,
 Ἦὲ κασιγνήτοις μάρτυσι σωφροσύνης.

⁸⁷ Act. v, 4-11. ⁸⁸ Psal. cxxix, 6.

(a) Lege 3, apud Sirmundum, in appendice *Codicis Theod.*, tom. I oper. variorum, p. 720.

(b) Carm. 4, *De præc. ad virgines.*

(c) Or. 6, n. 2.

(d) Carm. *De virtute.*

(e) Carm. 48, ad Hellenium.

Aliæ vero intra paternas domos infirmis assidebant parentibus, quorum curam suscipiebant, atque etiam affinium, quos suæ continentiæ testes habebant. Sic Marcellina, sancti Ambrosii soror, sacra Deo fuit virgo in paternis domibus; sic Eustochium, sic Principia, aliæque non paucae, Hieronymiano calamo celebratæ, quæ nullis se monasteriis addixerant, et sub una parentum cura degebant. Progrediente tempore, abusus irrepserunt: nonnullæ ex his virginibus interdum, aut parentibus fratribusque orbatæ, aut infirmitate, aut paupertate, aut aliis incitatæ rationibus, clericos vagosque monachos in contubernium asciverunt; atque ita factum est ut parentum ac fratrum loco succederent clerici sive monachi, *συνετακτοι*, introducti, qui etiam honestis nominibus talem et tam noxiam consuetudinem obtinebant. Hinc agapetorum et agapetarum origo, quibus nominibus tam periculosam vivendi normam decorabant. Hinc sanctorum Patrum, maxime Hieronymi querelæ deplorantis indictum virginitati vulnus; in epist. *De custodia virginitatis* ad Eustochium: « Pudet dicere, inquit, pro nefas! triste, sed verum est. Unde in Ecclesiis agapetarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? Imo unde novum concubinarum genus? » etc. Tantis malis sancti Patres querelis suis, admonitionibus et scriptis, nec non concilia severis edictis obviam ire non cessarunt; quæ quidem si singula commemorare animus esset, longa nobis texenda esset historia. Hæc dixisse sat est; qui plura volet, legat Antonii Muratorii *Disquisitionem de Synisactis et Agapetis* in *Anecdotis Græcis*, etc., Patavii in-4°, an. 1709, p. 218.

Observationes circa Ecclesiæ disciplinam ex Gregorii scriptis.

Plurima in Gregorii scriptis observatione digna occurrunt, tam circa Ecclesiæ disciplinam, quam circa morum regulas. Ecclesiæ asylum iis erant, qui ad eas confugiebant; unde nemini eos extrahere licebat. Insigne profert exemplum Gregorius in oratione de Basilio (a). « Mulieri cuidam amplissimo loco natæ, cujus maritus haud pridem extremo vitæ die functus erat, iudicis assessor vim afferebat, invitamque ad nuptias pertrahebat. Ista autem, cum nulla ratione hanc vim effugere posset... ad sacram mensam confugit, Deumque adversus hanc injuriam propugnatorem sibi adoptat. Quid igitur... faciendum fuit, non dico Magno Basilio, qui de his rebus leges quoque omnibus statuerat, sed alii cuiquam longe illo inferiori, dum tamen sacerdoti? Quid aliud, nisi ut eam assereret, retineret, omni cura tueretur, Dei clementiæ et legi, quæ altaribus honorem haberi jubet, manum porrigeret, omnia denique prius faceret et pateretur, quam ut inhumanius ullum adversus eam consilium iniret; sicque et mensam sacrosanctam, et fidem etiam illam cum qua supplex erat, contumelia afficeret? » Non passus est Basilius ullam piæ viduæ injuriam inferri, sed eam adversus ejus persecutorem, quamvis Dominicæ Augustæ præsidio fretum, omni ope et opera tutatus est.

Præcis Ecclesiæ temporibus Christianorum mos erat, ut quilibet propriis manibus Eucharistiæ materiam efficeret, hique panes omnes in divina mensa offerrentur. Ne imperator quidem ab hoc usu liber erat, ut exemplo Valentis discimus: « Cum dona, quæ ipsemet, ut scribit Gregorius (b), effecerat, divinæ mensæ offerenda essent, » etc.

Omnes simul fideles, viri ac mulieres, psalmos in Ecclesia decantantes sedebant: « Nos cum vetulis sedemus et psallimus (c). » Signum crucis in quovis casu efficax remedium habebatur. Quanta sit hujus signi vis, manifestum est ex eo quod Juliano de rebus suis dæmones consulenti contigisse narrat his verbis Gregorius (d): « Ut autem egregium virum progredientem terrores adoriri cœperunt, ac subinde plures ac formidabiliores sonos quosdam insuetos, aiunt, tetrosque odores atque ignea spectra, et nescio quas nugæ et deliramenta, rei novitate percussus... ad crucem vetusque remedium confugit, hocque se adversus terrores consignat, eumque, quem persequebatur, opitulatorem asciscit... Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. Quid deinde? Respirat malum; rursus audaciam concipit, rursus aggreditur, rursus iidem terrores urgent, rursus signaculum adhibetur, ac dæmones conquiescunt. Hæret consilii inops discipulus. » Sacros jejunii dies fideles observabant, quidam etiam ultra vires. « Christus, inquit Gre-

(a) Or. 43, n. 56.

(b) Ibid., n. 52.

(c) Or. 5, n. 25.

(d) Or. 4, n. 55, 56.

gorius (a), paulo ante tentationem jejunavit; nos ante Pascha... Ille totos quadraginta dies a cibo abstinuit, utpote Deus; nos autem ad virium nostrarum modulum jejunium attemperavimus, etiamsi quidam, zelo impulsus, ultra virium facultatem in jejunando prosiliant. » Qui sacra jejunia non celebrabant, arguebantur. Sic Gregorius acriter præfectum, ob violatam jejunii legem, increpat (b) : « Inique agis, o iudex, qui non jejunas. Et quomodo leges humanas servabis, qui divinas contemnis, et pro nihilo ducis? »

Mortuorum corpora magno apparatu fideles tumulo componebant, ut, exemplo est Constantius imperator. « Ille igitur, ut narrat Gregorius (c), publicis præconis faustisque omnibus, ac celebri pompa deducitur, religiosisque etiam his nostris officiis, hoc est, nocturnis cantionibus, ac cereorum ignibus, quibus nos Christiani pium e vita discessum ornandum existimamus. » Sic etiam exsequias describit Gregorius (d). « Nobis magnus ille Cæsarius servatus est, cinis pretiosus, mortuus laudatus, hymnis sibi succedentibus deductus, ad martyrum sacraria cum pompa ductus, sanctis parentum manibus honoratus, matre candida veste induta pietatem incærori subrogante, lacrymis a philosophia superatis, psalmodiis luctum sedantibus... (e) Atque alia quidem persolvimus, alia vero dabimus, anniversarios honores et commemorationes offerentes, ii quidem certe, qui superstites erunt. » Hinc patet consuetudinem fuisse etiam, ut honores anniversarii et commemorationes ab iis, qui superstites erant, offerrentur.

Præter festa præcipua, nempe Natalis Domini, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes, festa etiam apostolorum Constantinopoli celebrabantur, nec non martyrum, quos inter numerabantur Machabæi. Apostolorum namque festa ibi se celebrasse, etsi non sæpe, inter valedicendum testatur Gregorius (f). « Valete, apostoli, præclara colonia, certaminis mei magistri, etsi minus sæpe festa vestra celebravi. » In festum sancti Cypriani martyris orationem ad populum habuit Gregorius, nec non aliam in festum Machabæorum, quorum dies festus Constantinopoli agebatur : « Qui quamvis (g), apud multos non honorentur, quia non post Christum decertarunt, digni sunt tamen qui ab omnibus honore afficiantur, quoniam pro legibus institutisque patriis fortem animum præstiterunt. Qui porro ante Christi passionem martyrium subierunt, quid tandem facturi erant, si post Christum persecutionem passi fuissent, ejusque mortem salutis nostræ causa susceptam ad imitandum propositam habuissent? » Quibus virtutibus pietatisque operibus festa sanctorum, præcipue martyrum, cohonestentur, digno caractere exprimit, et exinde in hæc verba prosequitur (h) : « Si ita convenimus, aut concurrimus, revera festum hunc diem, ut Christo gratum est, celebramus, revera martyres honore affecimus, aut afficiemus, revera triumphalem choream agimus. Sin autem eo convenimus, ut ventris voluptatibus indulgeamus, et fluxis ac brevi perituris deliciis fruamur, eaque, quæ mox evacuatur, inferamus; atque hæc loca, non temperantiæ, sed crapulæ, et hæc tempora, non spiritualis ascensus, ac (nisi hoc a me audacius dictum videatur) divinitatis consequendæ, cujus mediatores sunt martyres, sed rerum gerendarum et negotiationum tempora esse arbitremur : primum quidem quod hoc tempori conveniat, haud agnosco. Quid enim valeat cum tritico? quid carnis voluptati cum martyrum certaminibus? »

Hospitales erant Christianis excipiendis domus, quæ ut perfugium adversus humanam infirmitatem atque adversus miseras paupertatis habebantur. Unam Basilus extra urbem Cæsaream ædificavit, cujus descriptionem a Gregorio factam huc referre juvabit, nec legere pigebit (i) : « Paululum extra civitatem pedem effer, ac novam civitatem conspice, illud pietatis promptuarium, commune locupletum ærarium, in quo, non modo redundantes ac superflue opes, sed jam necessariæ quoque facultates per illius cohortationes reconducuntur... in quo morbus æquo animo toleratur, et calamitas beata censetur, et misericordia exploratur... Mihi vero nulla res perinde admirabilis videtur, atque compendiaria hæc ad salutem via, facilis in cælum ascensus. »

(a) Or. 40, n. 30.

(b) Epist. al. 74.

(c) Or. 5, n. 16.]

(d) Or. 7, n. 15.

(e) Ibid., n. 17.

(f) Or. 42, n. 26.

(g) Or. 15, n. 1.

(h) Or. 11, n. 5.

(i) Or. 43, n. 63.

Julianus nem nullam Christianæ religioni, quæ ipsi erat invisissima, tam honorificam esse, quam hospitales domos et pauperum curam animadvertens, nec ulla re tam crevisse, statuit hujusmodi domus construere, datisque litteris ad quemdam gentilem sacerdotem, Arsacium nomine, jussit crebra in singulis civitatibus xenodochia constitui. Apostatam audire juvat. «(a) Religio gentilium nondum ex animi nostri sententia viget, culpa eorum qui illam profitentur. Nam ea quidem quæ ad deos pertinent, præclara sunt atque magnifica, omnique voto ac spe majora.... Quid ergo? putamusne nos ista sufficere? Nec attendimus quid Christianorum religionem auxerit, humanitas scilicet in peregrinos, et in sepeliendis mortuis sollicita diligentia, et simulata morum gravitas. Quorum singula a nobis exercenda esse existimo. Nec sufficit quod tu hujusmodi sis, sed quotquot in Galatia sunt flamines tales esse decet... Singulos flamines hortare, ut nec ad theatrum accedant, nec in tabernis bibant, nec artem ullam, aut opificium turpe ac probrosum exercent.... Crebra in singulis civitatibus xenodochia constitue, ut peregrini non ex nostris solum, sed ex aliis etiam, si pecunia forte opus habuerint, humanitate nostra perfruantur. Porro unde sumptus tibi suppetant, a me jam provisum est...! Turpe enim ex Judæis neminem mendicare, impios vero Galilæos, præter suos pauperes, etiam nostros alere: nostros autem mendicos nostra ope ac subsidio destitutos videri. »

Circa morum regulas.

Bibliothecæ ecclesiasticorum scriptorum auctor scribit, Gregorium morum disciplinam docere ratione, quæ philosopho magis quam populo conveniat: quod quidem, si verum foret, non laudi sed vitio vertendum esset episcopo, qui, cum artem callere debeat docendi omnes, sic orationem suam auribus auditorum accommodet; necesse est, ut tam rudes quam doctos cœlestibus imbuat disciplinis. Quisquis tamen legerit Gregorii sermones, si diligenter attendat quomodo varia circa mores doctrinæ capita proponat et explicet coram frequenti populo, facile noscet Gregorium, fidelem in domo Dei dispensatorem, provida manu frumenta patrisfamilias singulis ita erogasse, ut nullus, ne pauperculus quidem, fame laboraret; et sapientiæ fontes tanta reserasset prudentia, ut omnes, sive parvi, sive magni, sitim possent restinguere. Paucis juvat exemplis rem demonstrare.

1° Si quæras a Gregorio, quomodo quis sermonem, vel rem aliquam auspicari debeat? « Optimus hic ordo est, inquit (b), ut qui vel sermonem, vel rem aliquam auspicatur, a Deo initium ducat, et in Deo conquiescat. » Hæc omnium actionum nostrarum norma.

2° Quid Deo offerendum? « (c) Unusquisque Deo, quod poterit, offerat, quovis tempore, quovis genere vitæ et fortunæ, pro præsentis facultatis modulo, pro gratia sibi concessa, ut per omnes virtutis modos, omnes cœlestis regni mansiones impleamus. »

3° Tam benignus, tam clemens est Deus, ut vel minima lubens accipiat, si voluntatem cupiditas non comprimat, et angustiis pectoris munera non coarctentur: « (d) Nihil eorum quæ Deo offeruntur, tam parvum est, quamvis etiam minimi momenti sit, quamvis longe infra illius dignitatem, quod non omnino accipiat, gratumque habeat.... Illud quidem minime dubium est, quin, etiamsi omnia contulerimus, minus tamen collaturi simus, quam accepimus. Quandoquidem divini beneficii est, quod sumus, quod Deum cognoscimus, quodque etiam, quod offeramus, habemus. Atque illud pulcherrimum humanissimumque censendum est, quod Deus largitionem, non oblatæ rei pretio et dignitate, sed offerentis affectu et facultate metitur. »

4° Quid maxime postulet a nobis, totum gravi sententia et memoratu digna inculcat. « (e) Dixit abbas Gregorius Theologus: Tria hæc exigit Deus ab omni homine baptizato, fidem rectam ex animo; veritatem in lingua et temperantiam de corpore. »

5° Quibus ex causis, quo fine præclara facinora quisquis aggrediatur optime constituit, omnem aditum vanæ gloriæ obstruendo. « (f) Si gloriæ cupiditate, ac non veritatis studio et amore nos pericula adire existimabat (Julianus), hæc sane apud illos ludant Empedocles, et Aristæi,

(a) Sozom. l. 5, c. 16, p. 619.

(b) Or. 2, n. 1.

(c) Or. 19, n. 7.

(d) Ibid., n. 8.

(e) Apoph. Pat. apud Cotel., p. 410, t. II Mon. Ec. Græc.

(f) Or. 4, n. 50.

et Empedotimi quidam, ac Trophonii, atque hujusmodi miserorum hominum chorus... (a) At Christianis jucundius est pietatis causa pati, etiamsi nemo id resciturus sit, quam aliis cum impietate ~~serere~~, atque in gloria versari. Hominibus quippe placere, parum admodum curamus; id ~~unum~~ expetentes, ut honorem a Deo consequamur; imo sublimius etiam assurgimus. (De iis loquor, qui vere philosophi, veroque Dei amore præditi sunt). Quippe qui bono conjungi propter ipsum bonum exoptamus, non autem propter honores in altero ævo reconditos. Secundus enim hic honestorum et laudabilium virorum gradus est, pretio ac mercede aliquid facere; quemadmodum in tertia classe collocandi sunt, qui pœnæ metu a scelere et maleficio deterrentur. »

6° Leges amicitiae ita describit, ut ad perpetuam hominum concordiam et societatis incolumitatem nihil amplius desiderandum, si mores ad illud exemplar informarentur: « (b) Apud Christianos lex et norma amicitiae quisque ipse est, atque eadem proximis velle quæ et sibi ipsi. Crimen autem, non modo malum extitisse, sed etiam a malo parum abfuisse, cum cupiditas ipsa pene ut actio plectatur; apud quos tantum pudicitiae studium est, ut oculus quoque frenetur ac reprimatur; et manus sanguinaria et mortifera ita longe arcetur, ut ira etiam ipsa coerceatur; perjurium autem adeo atrox et nefarium censetur, ut jusjurandum quoque ipsum nobis solis interdictum sit. »

7° Benignitatem erga pauperes non tantum suadet, sed maximis urget momentis. (c) « An tu benignitatem, non necessariam, sed tibi liberam esse putas? Ac non legem, sed consilium? Hoc quoque ipse magnopere vellem et existimarem. Sed me sinistra illa manus terret, et hædi, et probra, quæ ab eo, a quo illic collocati sunt, conjiciuntur; non quia manus alienis bonis attulerunt, nec quia templa diripuerunt, aut abulterium perpetrarunt, aut aliud quiddam ex aliis quæ interdicta sunt, admisserunt, hoc ordine mulcati, sed quia Christum per pauperes minime curarunt. »

8° Tandem Christianum beneficiis divinis aut cumulatum, aut multum egentem seipsum intueri cogendo, egregie ad charitatis officia accendit. « (d) Habes beneficium, quod te multorum mandatorum submoneat: ne contemptim prætereas. Pauper accessit? In mentem tibi veniat, ex quam gravi paupertate ad quantas divitias proventus es. Pane carens, aut potu, atque etiam fortasse Lazarus quispiam ad domus tuæ fores provolutus? Moveat te mystica mensa, ad quam accessisti; moveat te panis ille cujus particeps factus es, calix ille, quem accepisti, cum Christi passionibus initiareris. Peregrinus ad genua tua procubuit, domo carens, advema? Per hunc eum excipe, qui propter te peregrinatus est, idque in propriis, quique per gratiam ad te immigravit, teque ad cœleste domicilium pertraxit. Zachæum imitare⁹⁹, illum, inquam, heri publicanum, hodie animi magnitudine et liberalitate præditum. Facultates omnes tuas ingredienti Christo offer, ut, licet corporali statura pusillus, animo tamen eveharis, Christum egregie conspicatus. Ægrotus prostat, ac saucius? Moveat te sanitas tua, et vulnera quibus te Christus liberavit. Si videris nudum, operi eum, tuum incorruptionis indumentum, hoc est, Christum honore prosequens: quotquot enim in Christum baptizati sumus, Christum induimus¹⁰⁰. Si debitorem nactus sis ad pedes tuos sese abjicientem, syngrapham omnem, tam justam, quam injustam rescinde. Decem illa talentorum millia, quæ tibi Christus remisit, in memoriam revoca. Noli te acerbum minoris debiti exactorem præbere, et quidem conservis, cum tibi a Domino major summa condonata sit; ne humanitatis quoque illius, quam tibi in exemplum propositam haudquaquam imitatus es, pœnæ a te expetantur¹⁰¹. »

Plurima sunt in operibus Gregorii historiam spectantia, quæ singula referre longum foret. Pauca e multis seligam. In oratione xxxiii (n° 11) scribit Petrum in Judæa Evangelium prædicasse, Lucam in Achaia, Andræam in Epiro, Joannem Ephesi, Thomam in India, Marcum in Italia.

⁹⁹ Luc. xix, 2-9. ¹⁰⁰ Gal. iii, 27. ¹⁰¹ Matth. xviii, 24-35.

(a) Or. 4, n. 60.
(b) Or. 4, n. 123

(c) Or. 14, n. 39.
(d) Or. 40, n. 31.

Videtur inter victimas pro Christo cæsas recensere SS. Lucam et Joannem. « (a) Non victimas pro Christo cæsas veritus es? nec magnos pugiles extimasti, Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, Andræam, Theclam, eos qui et post illos, pro veritate periculis se objecerunt. Qui cum igni, et ferro, et belluis, et tyrannis, et præsentibus malis, » etc. Joannes tamen et Lucas, quamvis crucis mortificationem jugiter in suis corporibus pertulerint, et permultas propter Christum et ejus Evangelium calamitates passi sint: « Haudquaquam, ut scribit Elias Cretensis (b), Comment. in orat. ¹II, nunc ¹IV, interempti sunt, verum in pace ad eum, qui pacis Deus est ², reversi sunt. »

Scribit Gregorius Petrum lupinis unico asse emptis vitam tolerasse: « Pulchra res victus tenuitas, inquit (c): documento mihi est. . . Petrus qui lupinis unico asse emptis alebatur. » — « Hoc autem, ait Nicetas, Comm. in orat. al. XVI, p. 659, ex quodam libro desumptum est in ecclesiasticum canonem minime recepto. » Gregorius hæc verba Petro ascribit in epistola al. XVI, p. 778: « Ægra anima vicina est Deo, ut eximie alicubi loquitur Petrus. » Annotat Elias hunc locum sumptum esse ex eo libello, qui *Doctrina Petri* inscribitur: Commentario in orat. al. XVII, p. 684. Hæc autem verba: « (d) Petrum dicentem audiamus: Erubescite qui aliena detinetis, Deique æquitatem vobis imitandam proponite, et nemo erit pauper: » ex libro *Apostolicarum questionum*, quem postea sexta synodus improbavit, tanquam ab hæreticis depravatum et adumbratum, sumpta esse scribit Nicetas, Comment. in orat. al. XVI, p. 672.

Scribit Gregorius (e) Theclam virginem necis flammæque periculo primum ereptam, dein morsibus unguibusque leonum, qui generosos virginis artus dente premere et discerpere minime ausi sunt, e tyranno ipsius proco ope Christi servatam. (f) Quamvis eam pro Christo sanguinem suum fudisse non asserat, hanc tamen numerat inter cæsas et illustres pro Christo victimas: hanc alii martyrem appellant. Sacrum egregiæ huic virgini templum erat Seleuciæ, quo, abdicata sede Constantinopolitana, Gregorius sese recepit.

De Judæis hæc, digna quæ observentur, habet Gregorius (g): « Una utique illis calamitatis columna totus terrarum orbis est, per quem varie fusi sparsique sunt, divinusque cultus compressus et extinctus, ipsumque adeo Jerosolymitanæ urbis solum, quod vix jam agnoscitur, atque hactenus duntaxat illis patet, idque duntaxat fructus ex veteri sua gloria et amplitudine capiunt, ut per diem conspicui facti solitudinem lugeant. » Eadem et plura etiam de Judæis plurimi narrant scriptores, maxime Hieronymus qui ait (h), usque ad sua tempora Judæos prohiberi Jerusalem ingredi; eosque, qui Christi sanguinem emerant, emere lacrymas suas, id est pecunia facultatem obtinuisse ut quo die a Românis capta dirutaque et eversa fuit Jerusalem, illi campos ubi Jerusalem fuerat, veniant, et eis ruinam civitatis flere liceat. Eusebius testatur lib. IV *Hist.*, cap. 6, universam gentem Judæorum in regionem circa Hierosolyma sitam pedem inferre prohibitam fuisse constitutione Adriani imperatoris; adeo ut ne prospicere quidem e longinquo patrium solum ipsis liceret. Quod tamen postea concessum, vel potius pecunia emptum, ut notat Gregorius.

Ex ipso discimus Maximinum crudeliori adversus Christianos persecutione grassatum, quam Diocletianum, et ejus successorem Maximianum. (i) « Persecutio erat, et quidem persecutionum omnium atrocissima, maximeque horrenda. His loquor, quibus Maximini persecutio nota est; qui, cum post multos, qui paulo ante exstiterant, ingruisset, hoc effecit, ut omnes humani ac faciles fuisse viderentur. » Præclaram hanc vocem dictam refert a Constantini Magni patre Constantio, principe optimo, qui cum

² Philipp. IV, 9.

(a) Or. 4, n. 49.

(b) In edit. Bill., t. II, pag. 222, 223.

(c) Or. 14, n. 4.

(d) Or. 14, n. 24.

(e) Carm. De præc. ad virgines.

(f) Or. 24, n. 10.

(g) Or. 6, n. 18.

(h) In cap. 1 *Sophon.*, t. III, p. 1655.

(i) Or. 43, n. 5.

ad persecutionem Christianis movendam his verbis inter alia a malevolo impellere-
tur (a) :

Τί τῆς μελίσης ἐστὶν ἡμερώτερον ;
'Ἄλλ' οὐδ' ἐκείνη τῶν τρυγῶντων φείδεται :

Estne animal ape mitius ?
Sed nec illa favos auferentibus parcit ;

Constantius respondit :

Πῶς οὐκ οἶδας, ὦ βέλτεστε σὺ,
'Ὡς οὐδ' ἐκείνη κέντρον ἐστὶν ἀσφαλές ;
Παίει μὲν, αὐτῇ δ' εὐθέως ἀπόλλυται.

An te fugit, vir optime,
Quod ipsius aculeus periculo non vacat ?
Ipse quidem pungit, sed illa statim moritur.

Plurima de Constantio honorifice prædicat; imperatorem piissimum, Christi amantissi-
mum, qui Deo adjunctus sit, qui cœlestis gloriæ hæreditatem acceperit, qui moriens
imperium cum meliore commutarit. Non hæc Hilarius, non hæc Athanasius, non Theo-
doretus, alique scriptores ecclesiastici. Sed jam in Præloquio ad orationem quartam
hæc diligenter excussa sunt. Monitum, si velit, adeat lector; nobis semel dicta retra-
ctandi otium non est; quin etiam cum voluminis tunc temporis angustiae nos cogunt ut
præfandi terminum hic tandem habeamus.

(a) Carm. adv. iram.

VITA

SANCTI GREGORII THEOLOGI

EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

EX IPSIUS POTISSIMUM SCRIPTIS ADORNATA.

Gregorius Nazianzenus, qui ab eximia rerum A divinarum scientia *Theologi* nomen solus post apo-
stolum Joannem invenit, quis, qualis et quantum fuerit, omnes uno ore Græci et Latini melioris notæ
scriptores ecclesiastici honorificentissime testati sunt; pauciora tamen de ejus vita rebusque gestis
litteris mandarunt. Verum ipse Gregorius proprio calamo supplevit, tum in prolixo et egregio carmine
quod de suis rebus ipse scripsit, tum variis in locis, seu carminum cæterorum, seu orationum et episto-
liarum, in quibus plurima de seipso commemorat. Quare scripta Gregorii, Vitæ ipsius, ac eorum quæ
de ipso scribimus, basis sunt ac fundamentum.

I. *Gregorii patria : an Nazianzum, an Arianzum pagus.*

Nazianzum Cappadociæ civitatem, haud procul a B Cæsarea, in cujus diœcesi erat, Gregorii esse pa-
triam, indeque Nazianzenum eum dictum fuisse plerique existimant. Sunt tamen qui eum, non
Nazianzi, sed Arianzi natum arbitratur. Arianzum autem pagus erat in regione Tiberina situs, quem
doctissimi Tillemontius et Gothofredus Hermantius

suburbanum Nazianzo censi putant : idque inde colligunt, quod, cum ea regio grandine vastata
fuisset, Nazianzenos ad pœnitentiam hortatus sit Gregorius, ut quos ea calamitas propius spectaret.
Id haustum est ex collatione 5 Synodi v, ubi Euphrantas episcopus Thyansensis ait : « Arianzum
quidem prædium est, unde ortus fuit Gregorius, sub Nazianzo constitutus (b). » Bollandistæ aiunt se non
intelligere « cur hæc debeant ad nativitatem referri, cum sufficiat, si ex illo suæ possessionis prædio
Gregorii pater, aut avus, in ipsam Nazianzenam civitatem migravit, ibique Gregorium filium peperit
mater. » Præterea inquirunt : « Arianzum non prædium fuisse videtur, sed pagus, in quo prædium
habuit Gregorius a quodam Rhegino emptum. » Leviora hæc sunt quam ut iis immoremur diutius; ac
parum interest, natusne sit Gregorius Nazianzi, an Arianzi; maxime cum constet Arianzum vicinum
fuisse Nazianzo.

II. *Mala veterum de Cappadociæ incolis opinio.*

Patriam igitur, ut ait Gregorius presbyter in ejus *Vita*, secundam Cappadocum provinciam habuit.

(b) 9 Maii, p. 376.

urbem Nazianzum. Juvat observare Nazianzum, ut ex Hieronymo, libro *De scriptoribus ecclesiasticis*, et ex Gregorio discimus (a), appellatam olim fuisse Diocæsaream. Parva quidem urbs et obscura, Nazianzum, nullo in honore, imo communi cum cæteris Cappadocibus infamia laborans. Ubique enim terrarum pessime audiebant Cappadoces: nec ullus est scriptor, sive e nostris, sive ex profanis, qui eos conviciis non lacescat; quæ etiam proverbio, melius dixerim, veteri *σρχάστω, τρία ΚΚΚ χάκιστα*, increbuerunt. Unum inter multos audiamus Isidorum de Cappadocibus loquentem (b): « Subdola atque improba magna ex parte hæc natio est. Pace offenditur, contentionibus ac dissidiis alitur, eundemque dulcis et amari fontem habet. In congressu blande ac benigne loquitur, in absentia obtretrat. Fallax est, impudens, temeraria, meticulosa, cavillatrix, illiberalis, versuta, inhumana, superba et contumax, in secundis amicorum rebus mœsta, in adversis læta et insatiabilis. Sub pietatis larva mulierculus in captivitatem redigit, atque insanæ auri amore Babylonium superat. Ad mentium proclivis est, ad pejerandum celer. Ac denique qualem habes improbissimum ac prorsus exosum gigantium, tales omnes Cappadoces esse existima, ac pro certo habe (c)... Quid tibi cum genere belluinis moribus prædito? Quid tibi cum barbara natione? Quid te cum ignobilibus commisceas? Quid cum Cappadocibus collideris?... Quid tuam ipsius existimationem commaculas, cum illis te conferens, quibus nec ut mancipiis quisquam mente præditus uti velit? » Hæc erat antiquorum de Cappadociæ incolis opinio, adeoque de Nazianzi civibus, quippe quæ pars ejus erat, secundæ nimirum Cappadociæ obscura civitas. Verum a Gregorio nostro « adeo nobilitata... est, verba sunt ejus biographi, ut apud extremos etiam orbis terrarum fines propter eum clara atque illustris exstiterit. Neque enim Pella ob Alexandrum celebrior est, inquit, aut Persæ propter Cyrum ad tantam gloriæ splendorisque magnitudinem evecti sunt; quantum hæc propter magnum Gregorium assecuta est. Quocirca ipsi quoque ob educatum Gregorium abunde persolutam esse mercedem existimo, quippe quæ et Indis et Britannis ex diametro inter se oppositis æque inclaruerit. »

Quamvis autem Isidorus tam male de Cappadocibus senserit et scripserit, in altera tamen epistola (d), postquam Priscum Cappadocem sic allocutus est: « Vereor ne tu illius Cappadocum partis sis, quæ omni vitiorum genere injusta est; » hæc addit: « Altera enim rursus Cappadocum pars est quam optima, *πανάριστος*, ex qua illi exstiterunt, qui vitæ suæ ac præceptorum luce orbis terrarum

finibus præluxerunt, *δαδουχῆσαντες*. » Quibus verbis non alios certe quam Gregorium magnumque Basilium significare voluit Isidorus, ut et istis in epistola cccLii (e): « Ego vero sanctos illos e Cappadocia exstitisse assentior. Atque hoc potissimum istorum improbitatis argumentum est; » nempe Cappadocum, quorum mores indigni veterum sanctorum Patrum virtute tunc decantabantur.

Gregorius tamen Cappadociæ non illibenter meminuit, eamque, ut sese dat occasio, laudibus effert. De Georgio Cappadoce, qui Athanasio infensissimum se præbuerat, verba faciens, sic ait (f): « Atque hic mihi charissimum solum, patriam, inquam, meam, omni crimine solutam velim: improbitas enim, non patriæ, sed iis, qui animi inductione ipsam elegerunt, assignanda est. Illa enim sacra, et apud omnes pietatis laude clara et illustris est. » Alibi (g) Cappadociam venerationem patriam suam vocat, nec minus juvenem, quam equorum bonam nutricem. Et in fine carminis ad Nemesium (h), « Cappadoces suos » dicit, et hoc nomine se gloriari profitetur.

III. Parentes Gregorii.

Parentibus ortum esse nobilibus Gregorium asserit ejus Vitæ scriptor; quod quidem incertum est de patre ipsius Gregorio; nisi quis inde illud colligere velit, quod Gregorius noster in oratione, qua defuncti patris laudes prosequitur, his verbis incipiat (i): « Ille igitur, ut patriam, genus, corporis dotes, externum splendorem, et alia, ob quæ homines magnifice de se sentiunt, ad encomiorum leges remittam, » etc. Dum enim ait Gregorius se genus patris, corporis dotes, externum splendorem ad encomiorum leges remittere, nonne indicare videtur sibi ista in laudibus parentis ponere licuisse; adeoque eum et genere, et corporis dotibus, et externo splendore, et aliis, ob quæ homines magnifice de se sentiunt, præstitisse? Nisi enim iis præstitisset, orator certe tali exordio risum movisset.

IV. Hæresis Hypsistariorum.

Hypsistariorum sectam profitebatur Gregorius pater; quæ secta « Ex gentili errore, inquit noster Gregorius (j), et legali vanitate conflata erat; quarum utriusque partes quædam fugiens, ex quibusdam partibus conflata et constituta est. Etenim illius quidem simulacra et sacrificia rejicientes, ignem et lucernam colunt: hujus autem Sabbatum et jejunam quædam a nonnullis cibis abstinentiam venerantes, circumcisionem aspernantur. » Ex his patet Gregorium non fuisse omnino idololatram, quamvis Gregorius, carmine *De rebus suis*, hunc « sub idolis » vixisse scripserit. Qua quidem voce non deorum aut animalium simulacra, ut Joanni

(a) Hier., *De scrip. eccl. Greg.*, Ep. ad Hellen. ad Olymp.

(b) Isid. Pelus., lib. 1, epist. 281, p. 101.

(c) Ibid., p. 125, ep. 351.

(d) Lib. 1, ep. 158, p. 64.

(e) Ibid., p. 124.

(f) Or. 21, n. 14.

(g) Or. 43, n. 5.

(h) Carm. 62.

(i) Or. 18, n. 5.

(j) Or. 18, n. 5.

Clerico visum est, sed ignis aut lucernarum elementa Gregorium intellexisse, in monito ad orationem XVIII ostendimus (P. 329); idque ex relatis Gregorii verbis aperte declaratur. Quod autem Hypsistariorum nomen spectat, Græco fonte cadit, nempe voce ὕψιστος, quæ altissimum sonat; sibi que Hypsistariorum nomen vindicant, quod solum Altissimum adorent. De hac hæresi nihil legitur apud Epiphanium, Augustinum, cæterosque qui de hæresibus scripsere. Consimilia tamen fere de Euphemitis, seu Massalianis, narrat Epiphanius, hæresi LXXX; ait enim illos ex gentilibus, nec Judaismo, nec Christianismo attendentes, deos quidem dicere; nullum autem adorare, sed unum solum venerari, quem omnipotentem vocant. Quamdã etiam similitudinem habent Hypsistarii cum subortis postea Cœlicolis Africæ, de quibus Augustinus, epistola CLXIII; *Codex Theodosianus*, lib. XLIII, *De hæreticis*, et lib. XIX, *De Judæis Cœlicolis et Samaritanis*.

V. Mores Gregorii patris.

Longo Gregorius pater tempore in Hypsistarium errore, nimirum ad quadragesimum quintum ferme ætatis suæ annum, versatus est. Verumtamen priusquam religionem Christianam profiteretur, moribus erat Christianus. « Ille enim, inquit Gregorius noster (a), ante etiam quam ad nostram causam se contulisset, noster erat. Mores quippe ipsum nobis asciscabant. Ut enim multi ex nostris nobiscum non sunt, quos scilicet a communi corpore vita remouet; sic contra multi exterorum ad nos spectant, quicumque nimirum fidem moribus anteverunt, ac solo nomine carent, cum rem ipsam teneant. Quo in numero meus quoque pater erat; ramus quidem ille alienus, cæterum vita et moribus ad nos propendens. » Pudicitæ laude excellabat Gregorius; idem simul amabilissimus et castissimus, quæ duo haud facile in unum concurrunt. Justitiæ tam tenax fuit, ut in magnis reipublicæ muneribus versatus, ne teruncio quidem facultates suas auxerit. Sed his omissis, ad annum, quo Christo nomen dedit, ac Christianam religionem professus verasque virtutes est assecutus, veniamus. Is fuit annus, quo habita est synodus Nicæna, post Virginis partum 325. Etenim ab episcopis, qui illuc contendebant ut Arii furoribus obsisterent, præcipue vero a Leontio, qui tum metropolim gubernabat, cum sponte sua desiderium suum confessus fuisset, communisque salutis auxilium poposcisset, catechesis sermonibus imbutus, baptismum suscepit.

VI, VII. *Gregorius pater baptismum suscipit ab episcopo Nazianzeno. — Patrium fugere cogitur ab irata matre.*

Anno igitur 325 baptizatus est Gregorius, aut aliquanto post tempore; siquidem, teste Gregorio nostro (b), « Ad lavacrum accessit, cum se pro viribus suis prius purgasset; atque tum animo, tum

⁶⁰ I Cor. vii, 14.

(a) Or. 18, n. 6.
(b) Ibid., n. 15.

A corpore, multo magis, quam qui olim a Moyse tabulas accepturi erant, purificasset. » Ex his patet Gregorium tempus aliquod impendisse, ut sordes elueret priusquam aquis baptismi purgaretur, quo purgatio prævia purgationis dono firmitatem assereret, seu gratiam in tuto poneret. Egressum ex aqua lumen circumfulsit: quo miraculo percussus episcopus, Gregorium sibi in episcopatu successurum palam ac publice clamavit. Id argumento est eum Nazianzi ab ejus Ecclesiæ episcopo baptismum suscepisse, non vero a Leontio Cæsariensi, ut putat Baronius, quem sequitur Papebrochius. Quod cum mater ejus, fictorum numinum cultui addicta, indigne ferret, patriam fugere coactus est (c), « Patriis cœlestis ac veræ hæreditatis causa, et matre, et facultatibus aliquandiu carere sustinens, atque hanc ignominiam æquius et facilius quam alii summos honores tulit. »

VIII. *Episcopus creatur.*

Quod de Gregorio e lavacro ascendente prænuntiatum fuerat, contigit. Creatus est episcopus anno 329, vel 328, ut placet Gothofrido Hermant, annus natus ferme quinquaginta; cumque Nazianzenam Ecclesiam per quadraginta quinque annos sapientissime administrasset, exactis pene centum annis, plenus dierum, sanctissime obiit anno 373 exeunte, vel ineunte 374.

IX. *Nonna, mater Gregorii, e radice sancta prodiit,*

Ipsi non diu superstes fuit piissima conjux Nonna: tali digna sponso erat, ut ipse tali dignus sponsa; atque, ut pii filii verbis utar (d), « Si quis ab ultimis terrarum finibus, atque ex universo hominum genere, præstantissimum conjugium conciliare studuisset, nullum usquam hoc præstantius aptiusque reperiri potuisset. Ita enim virorum ac mulierum optima et præclarissima quæque in unum confluxerant, ut hoc matrimonium, non minus virtutis, quam corporum nexu esset. » Habuit Nonna, quod ex editis a doctissimo Muratorio epigrammatibus discimus, patrem nomine Philtatium; matri nomen fuit Gorgonia, fratri Amphilocheus, ex quo ortus magnus ille Amphilocheus Iconii episcopus. Nonna ex radice sancta prodiit; acceptamque a parentibus virtutis hæreditatem ita pietate sua præclaris actionibus auxit, ut si singula percurrere animus esset, de illis volumen impleretur. Sed ea suavius leget, et ex ipso fonte hauriet lector, versans Gregorii nostri scripta, in quibus sæpius Nonnæ sit mentio. Legenda imprimis oratio XVIII, quæ tota de Gregorio patre, et de Nonna; carmina I et II, etc. Unum duntaxat referam, quod prætermittere nefas esset. Nonnæ ascribenda est sui ab Hypsistariorum secta sponsi ad Christianam religionem transitio, quam assiduis ad Deum precibus, dies ac noctes cum lacrymis et jejuniis obsecrando, impetravit: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem* ⁶¹. Non-

(c) Or. 18, n. 5.
(d) Ibid., n. 7.

næ ascribendi sunt abundantes ipsius in episcopatu fructus; Nonnæ ascribenda est natorum pietas, quos enixa non minus spiritu quam carne, Deum unum timere et amare docuit; quos tam egregiis moribus ac præceptis informavit atque imbuit, ut singulos, aspirante gratia, ardens ad sidera virtus erexerit, atque inter sanctos ipsi numerentur cum sanctis parentibus; nimirum Gorgonia, quæ forsitan natu maxima fuit; Gregorius, de cuius vita, rebus gestis, et scriptis dicturi sumus, et Cæsarius.

X. Quo anno natus sit Gregorius.

Risce ergo parentibus natus est Gregorius (a), et atque ad Deum a vulva ipsa projectus, et ex materna pollicitatione ipsi donatus. Etenim Nonna, cupiens masculam prolem, cum eam crebris precibus a Deo impetrasset, ut olim Anna Samuelem, voti compos facta pia mater, filium sibi dono Dei concessum illi a quo acceperat, Annam æmulata, consecravat¹. Quo anno id contigerit gravis est difficultas, et certant inter se scriptores. Quamvis nostrum non sit tantas lites componere, quid tamen sentimus dissimulare lex operis non sinit: sed prius diversarum opinionum expendenda sunt momenta. Doctissimus ac piissimus Tillemontius, cum aliis pluribus, Gregorium nec citius nec serius anno ter centesimo vicesimo nono natum esse statuit ex pluribus Gregorii ipsius verbis, quo certe non est alius ætatis suæ testis locupletior. Palmaria imprimis videntur hæc Gregorii patris verba filium ad suscipiendum munus pastoritium impellentis (b):

Ὅπως τοσοῦτον ἐκμεμέτηρχας βίον,
Ὅσος διήλθε θυσίων ἐμοὶ χρόνος.

*Nondum tot annos vita percurrit tua,
Quot mi in sacris jam sunt peracti victimis.*

His duobus versiculis manifestum est Gregorium Nazianzenum natum esse, cum jam Deo ejus pater victimas offerret; sive victimas eas intellexeris quas quilibet Christianus ex corde puro offert, sive quas solius est sacerdotis aut episcopi, ut ministri, offerre. Cum autem Gregorius non ante annum 328 creatus sit sacerdos et episcopus, necesse est ut Gregorius filius ex patre episcopo sit procreatus, si victimas quas obtulit, priusquam nasceretur filius, eas esse credideris, quas soli sacerdoti offerre competit, adeoque non ante annum 328 aut 329, quo creatus est episcopus.

XI-XIII. Bollandi sententia de anno, quo natus est Gregorius. Quot annis Gregorius Athenis eloquentiæ operam dedit. Refellitur opinio Bollandi.

Reclamant Bollandistæ (c), interpretes accusant, verba Græca ab ipsis male reddita Latine queruntur, et absurdissimum esse clamant, si Gregorius Nazianzenus dicatur patre sacerdote vel episcopo editus. Id quidem mirum et prorsus insolitum. nec

A cum legibus ecclesiasticis valde consonum. Sed verba Græca aliter intelligere, ne vel ipsimet Papebrochio possibile est (d); quippe qui aliter ea interpretari nequit, nisi mutando Gregorii verba Græca arbitrio suo, nullius scriptoris, nullius codicis manu exarati auctoritate. Quod mirum videri possit in viro, qui de versionibus expostulat, atque interpretes nimium curiosos fuisse, ubi eos maxime scrupulosos esse oportuisset, clamitat?

Legendum igitur ἐτησιων προθυσίων conjicit:

Ὅσος διήλθε ἐτησιων ἐμοὶ χρόνος.

Quod etesiarum transitit tempus mihi.

Quæ lectio nullo nititur fundamento, nec ulla ei subest notio. Quis enim credat Gregorium patrem significare voluisse, nondum tot annos vixisse Gregorium filium, quot ipse vixerit? Nam sic ipse interpretatur Papebrochius (e):

Ἡ ἄετις περακτὰ τὰμ λὸνγὰ νὸνδὸμ ἐστὶ τὸ βί, Ἡ Quot, etc.

Sed correctionis suæ et licentiam, sic enim ipse appellat, agnovit postea; confessus est etiam vir candidus eam nullius manuscripti auctoritate fulciri, ac demum pollicitus hanc se libenter dimissurum, cum vel aliam magis fundatam certamque invenerit quispiam, vel explicandæ phraseos istius rationem aptiorem. Aliam ipse Papebrochius lectionem invenit (f), seu potius finxit; cujus non major quam prioris auctoritas esse potest, cum nullius ipsa codicis auctoritate fulciatur; et quæ suo, si admitteretur, plus noceret, quam faveret fabricatori: sic igitur legendum suggerit:

Ὅσος διήλθε εἰς τὸν ἐμοὶ χρόνος.

Bis quantum eundo labitur tempus mihi.

Satius est, ut ait noster Prudentius Maran in *Vita sancti Basilii* (p. 38), et cum Tillemontio fieri, legem ecclesiasticam de continentia episcoporum nondum in omnibus omnino Ecclesiis viguisse, quam apertissimum locum ejusmodi conjecturis attemptare. Recte, si prius demonstrari posset legem illam in Cappadocia non viguisse, quod quidem probare non facile fuerit.

Est alius Gregorii textus, qui ad confirmandam sententiam Tillemontii de anno quo vir sanctus natus est, non minus idoneus videtur: ait namque Gregorius, cum Athenis in patriam reditum parabat anno 355, se longum tempus studio eloquentiæ impendisse, ac se jam circiter triointa annos natum. Hæc sunt ejus verba:

Καὶ γὰρ πολλὸς τέτριπτο τοῖς λόγοις χρόνος.

Ἢδη τριακοστὸν μοι σχεδὸν τοῦτ' ἦν ἔτος (g).

Verum ex adverso occurrunt Bollandistæ (h), atque in eo disputant. Gratis, inquit, præsumitur signari annus ætatis, ubi annus studii, acquirendæ eloquentiæ Athenis impensi, multo congruentius potest intelligi.... Alias enim quomodo tempus au-

¹ I Reg. i, 11, 28.

(a) Or. 2, n. 77.

(b) Carm. De vita sua, v. 512.

(c) 9 Maii, p. 370, 371.

(d) 9 Maii, p. 371.

(e) Tom. II Maii, p. 845.

(f) Tom. VII Maii, p. 657.

(g) Carm. De vita sua, v. 256.

(h) 9 Maii, p. 371.

norum octo vel decem (nec enim plures tunc numerare posses, si solum erat tricenarius), longum dixisset ad eam exercitationem, cui plurimi totam dicabant vitam, neque vel extrema ætate oratoricæ artis perfectionem se assecutos credebant? Ergo ne decem vel octo anni eloquentiæ studio Athenis impensi, viro Christiano, qui jam antea per plures annos, tum Nazianzi a parentibus, tum Cæsareæ, aliisque in locis a doctissimis magistris in omni litterarum et scientiarum genere fuerat institutus, satis superque erant, ut ipsi dicere liceret se longum tempus in eo curriculo trivisse? An vero necesse est, ut vitam quis totam dicaverit studio eloquentiæ, quo vere possit dicere se longum tempus huic exercitationi impendisse? Potuit ergo dicere Gregorius, quod eum dixisse manifestum est. Imo miror Gregorium tot annos Athenis versatum; Gregorium, inquam, quem mater a Deo precibus impetrarat, pollicita se ei dicaturam, si votis annueret; quem a vulva ipsa ad Deum projecerat; qui se a matre Deo dicatum norat; cui, cum jam pueritiæ ætatem transisset, divinæ Scripturæ exempla instillarant, quibus significarat parentum vota, Abrahæ historiam et Isaac, Annæ et Samuelis; quem, cum eum Deo puerulum obtulit, sic affata erat (a) :

Nate, ego te vivum Christo, charissime, munus Offero, quo matris votum promissaque firmes; Quæ te concepi precibus. quæque optimus ut sis Et vita eximius, flagrantibus expeto votis. Hoc genitricis erat votum: cui protinus ipse Cedendum, in tenera quamvis ætate, putavi.

Ecquis, hæc serio perpendens, in animum induxerit Gregorium, qui pietatem a parentibus cum lacte hauserat, ad annum usque ætatis LV acquirendæ eloquentiæ operam delisse: nec ipsi, post impensos huic studio Athenis octo vel decem annos dicere licuisse se longum tempus impendisse?

XIV. Imberbis Gregorius rediit Athenis.

Adeo autem annum LV non attigerat, cum Athenis rediit Gregorius, ut se tunc et Basilium et ex Imberbibus viros factos se fuisse dicat. Ὡς δ' οὖν ἐπανήκαμεν, μικρὰ τῷ κόσμῳ καὶ τῇ σκητῇ χαρισάμενοι, καὶ ὅσον τὸν τῶν πολλῶν πόθον ἀφοσιώσασθαι (οὐ γὰρ αὐτοὶ γε εἶχόμεν θεατρικῶς, οὐδ' ἐπιδεικτικῶς), τάχιστα ἐγενόμεθα ἡμῶν αὐτῶν, καὶ τελοῦμεν εἰς ἄνδρας ἐξ ἀγενεῶν, ἀνδρικώτερον τῇ φιλοσοφίᾳ προσβαίνοντες. An vero imberbem se esse dicere potest vir LV annos natus? Et igitur, inquit Gregorius (b), domum reversi sumus, cum aliquantulum mundo ac scenæ serviissemus, quantum scilicet satis erat, ut plurimorum obsequeremur cupiditati (neque enim ipsimet ad theatrum et ostentationem propendebamus), continuo facti sumus juris nostri, et ex imberbibus facti viri ad philosophandum nos contulimus generosius. Quid ad hæc Bollandistæ? Solertes sibi videntur, verba Gregorii in metaphoricum sensum detorquentes,

(a) Carm. De rebus suis, v. 445, et seqq.
(b) Or. 47, n. 25.
(c) 9 Maii, p. 371.

A quod etiam signant addita particula et tanquam ex imberbibus. Sic, inquit (c), nec quod et ex imberbibus, dicat (Gregorius), factos viros, debet cum respectu ad ætatem accipi, sed referri ad animum; qui tunc primum viriliter erigi cœpit ac roborari, cum seposito aliis placendi studio, quod imperfectorum est, ad veram solidamque virtutem, quæ est virorum perfectorum, conatum suum intenderunt. Hæc profecto a Bollandistis inconsiderate dicta, fas sit dicere; nec injuriam se Basilio et Gregorio facere cogitarunt, cum aiunt, et tunc primum, scilicet cum annum ætatis quinquagesimum quintum attigissent, eorum animos et viriliter erigi cœpisse ac roborari, et seposito aliis placendi studio, ad veram solidamque virtutem conatum intendisse. Egregia vero laus Basilio et Gregorii! Imo maxima contumelia. Tantorum virorum animus, non nisi exactis LV annis, et viriliter erigi cœpit et ad veram solidamque virtutem conatum intendere? Considerent Bollandistæ quid scripserint.

XV Objecta Bollandi.

Plurima objicit Papebrochius: 1° Qui fieri possit ut Gregorius, qui vix quadragenario major erat secundum Tillemontii calculum, cum paulo post fratris Cæsarii et Gorgoniæ sororis mortem carmen de rebus suis scripsit, queratur (d) et jam caput canis albescere, rugosaque membra ad tristici vite occasum prona ferri? 2° Quomodo Nonna quinquagenaria filium peperit? Eam enim Gregorius, non solum ἐμόζυγον, et conjugem, et verum etiam ὁμόχρονον, et cœtaneam se fuisse asserit, τὴν πολιτὴν τε καὶ ἡθεσι, et moribus et canitie æqualem. 3° Quomodo id tacitum prætermisisset filius in oratione, qua parentum laudes prosequitur, multa longe minutiora expendens? Suis quidem non caret difficultatibus Tillemontii opinio, sed quæ tamen solvi possint. Age ergo, 4° mirum esse non debet senectutis incommoda circumvenisse Gregorium priusquam ad eam ætatem, quæ senectus appellatur, pervenisset. Id enim non tam illius annis, quam infirmitatibus, studiorum ac poenitentiae laboribus, quibus jam fractum ipsius erat corpus, et senectutis incommoda supervenerant, tribuendum. Quod autem aiunt, Gregorium silentio non fuisse prætermisurum, si ex matre tam provecæ ætatis esset natus; ut id concedamus, certe silentio non prætermisit, si minus in oratione, qua parentes laudavit, saltem in carmine De Vita sua. Ibi enim narrans, quomodo sua eum mater statim ab utero obtulerit Deo; ac deinde iterum offerens, cum jam rationis esset particeps, consecratis sacrorum librorum tactu ipsius manibus, quibus verbis eum allocuta fuerit, sic prosequitur (e) :

Jam carum filium aliquis divinitus datum bonum, [optimus,

(d) V. 507 et 308
(e) Carm. De rebus suis, v. 442 et seqq.

Properantem ut sacra victima feret, ad aram ad-
Saræ tardiparæ prolem. . . .
Nunc ego te vivum Deo munus, ut promisi,
Offero.

Suam namque matrem conferens Gregorius cum tardipara Sara, eam quoque, ut ipsius verbis utar, *ὀψιτροζον*, tardiparam fuisse satis indicat.

XVI. *In sententia Tillemontii gravissima est difficultas.*

Verum ana longe gravior est in opinione Tillemontii difficultas, quæ maxime scrupulum movet Papebrochio, nec immerito, atque etiam nobis ipsis. Vix enim adduci possumus, ut patre episcopo, qui quinquagenario major erat cum episcopale munus suscepit, natum esse credamus Gregorium. Nihil tale apud omnes hujus sæculi scriptores, qui de Gregorio verba fecere, reperitur. Nihil apud Hieronymum, qui hujus doctoris consuetudine usus est, quo etiam magistro se Scripturas sacras didicisse gloriatur. Si patre episcopo natus esset Gregorius, quomodo Hieronymus, qui id profecto non ignorasset, his verbis Pammachio scripsisset: « Episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici? » Quomodo idem sanctus doctor Jovinianum sic alloqui ausus fuisset (a): « Certe confiteris non posse esse episcopum, qui in episcopatu filios faciat; alioquin, si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur? » Nec vero Hieronymum de consuetudine tantum Occidentalis Ecclesiæ loqui respondere licet, si quidem contra Vigilantium disputans: « Quid faciunt, inquit, Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, et sedis apostolicæ, quæ aut virgines clericis accipiunt, aut continentes; aut si uxores habuerunt, mariti esse desierunt? » Innumeros conciliorum canones, veterumque Patrum testimonia fas hic esset subijcere, quibus sacerdotes quarto sæculo ab uxoribus abstinuisse manifestum est, quique non sinunt credere Gregorium patre episcopo natum esse. E medio si abesset is, qui est in Tillemontii opinione, scrupulus, hanc per obstantes difficultates sequeremur, quæ quidem leviores sunt quam quæ in aliorum opinionibus occurrunt.

XVII. *Contrariæ opinionis incommoda.*

Suidas scribit Gregorium nonagenario majorem obiisse, adeoque natum anno 299; ex quo sequeretur Gregorium octogenarium fuisse, cum Constantinopoli ad defendendam catholicam fidem profectus est. Sed quis credat virum octogenarium illic ea præstitisse, quæ præstitit; paresque tantis laboribus subeundis hac ætate vires habuisse, tanta vi dicendi valuisse et efficacia, ut auditores omnes, non modo catholicæ fidei addictos, sed ipsos etiam hæreticos sibi devinceret? Ex ipso enim Gregorio discimus,

nullum fuisse, quamcunque religionem profiteretur, qui ejus sermonibus, ad quos concursu magno accedebant, non delectaretur. Quid si addiderimus Gregorium, postquam relicta Constantinopoli in otia tuta recessit, longum *De Vita sua* carmen, hujusque carminis veluti quamdam appendicem (sic enim nobis appellare licet conditum in episcopos eorum temporum), carmen acri ac vehementi stylo, imo immensam aliorum carminum, quæ « Carmina cygnæa » vocant, copiam condidisse? Deinde, ut cætera omittam, Gregorius, qui anno 562 ad sacerdotalem dignitatem evectus est una cum Basilio, annos sexaginta tres habuisset ex Suidæ calculo, videlicet natus anno 299. Queritur tamen maturius se factum sacerdotem, in oratione secunda. « Ne extrema quidem senectus, inquit (b), huic rei præstituta, longum tempus censi debet. » Quibus verbis manifeste satis indicat se juniorem fuisse quam oportuisset; posteaque hæc, ad confirmandum quod dixerat, affert verba Salomonis: « Væ tibi civitas, cujus rex junior est ⁶⁴. » Vir certe sexagenario major queri non potest, nec debet, se citius sacerdotale munus suscepisse.

Quod spectat Bollandistas, in sua *Chronologia Vitæ S. Gregorii expensa et innovata*, Suidæ opinionem amplectuntur; quam ut tueantur, omnibus nervis contendunt in vertendis explicandisque quibusdam Gregorii testimoniis, quæ ipsis incommo-
 C
 dant; nec tamen feliciter, si quidem vela dare retrorsum, novasque subinde interpretationes afferre coguntur, quæ vel ipsis non admodum placent. Quapropter sibi non constant, nisi in eo, quod Gregorium patre episcopo natum constanter negent. Candidè fateatur Papebrochius (cujus animi candoris alia laude digna habemus testimonia), cum eruditioribus quibusdam amicis nonnulla eorum, quæ proposuit innovandæ chronologiæ fundamenta, communicasset; se non omnes æque assentientes habuisse. « Erant, inquit (c), quibus videbatur superstitiosa sollicitudo cavendi, ne ex patre jam episcopo natus crederetur Nazianzenus; metuebantque ne ex nostræ ac paulo superioris ætatis præjudicio procederet illa, hæreticis nupturientibus risum motura, » etc. Demum postquam diu disputa vit, modo huc, modo illuc inclians, ipsi alternanti fere potior videtur Baronii sententia « Interim, inquit (d), qui nihil mutatum volet, eo, quod Ἐχθραὶ ipsi non videantur pro « anni curriculo » posse per metaphoram accipi, sequatur « Baronii sententiam. »

XVIII. *Baronii sententia.*

Ea autem est Annalium parentis sententia; per hyperbolen locutum fuisse Gregorium patrem, cum his verbis, « nondum tot annos, etc., » suadere filio conaretur, ut pastoritiam curam susciperet;

⁶⁴ Eccli., x, 3.

(a) Lib. 1 *adv. Jovin.*
 (b) N. 72.

(c) App. ad t. VII Maii, p. 844.
 (d) *lucil.*, 845, col. 1.

quomodo sæpe non multum grandiores natu tantillo se junioribus dicunt, se id de quo agitur scivisse priusquam nascerentur alii. Hac ratione scrupulum iis ex animo evellit, qui ut credant Gregorium patre episcopo natum esse adduci non possunt. Censet (a) namque eum etiam « patre nondum Christiano natum. » Verum Baronius scrupulum simul sua interpretatione donat et aufert. Illis quidem aufert, qui censent Gregorium patre episcopo natum non esse; donat autem aliis, atque imprimis Tillemontio, qui Gregorium absque mendacio sic loqui non potuisse, et tali hyperbole graviter offendi veritatem affirmat.

XIX. Quælibet opinio suis laborat difficultatibus. Minoribus urgetur quæ statuit Gregorium patre christiano, sed nondum episcopo natum.

Nulla ex his omnibus est opinionibus, quæ non multis gravibusque difficultatibus laboret. Illa porro, nobis omnia meditantibus incommoda, minoribus urgeri visa est, quæ Gregorium patre nondum episcopo, sed jam Christiano natum anno 325 aut ineunte 326 statuit ex ipsius Gregorii verbis. « Annus mihi, » inquit (b) « jam pene tricesimus erat, » cum Athenis, anno 355 vel 356, discedere cogitabat. Nasci ergo debuit anno 325 exeunte, aut ineunte 326, ut trigesimus illi annus esset is quo Athenas reliquit. Ejus pater nondum erat episcopus; sed eum Christianum tunc fuisse, quamvis contra sentiat Baronius, colligimus ex carmine quinto ubi ait Gregorius se natum statim a Nonna Deo oblatus: deinde addit, « et a parentibus susceptus donum: » καὶ ἐκ τοῦτων ὑπέβητο δῶρον. Igitur ipse quoque Gregorius pater filium vero Deo obtulerat, proindeque eum tunc colebat. Carmine etiam alio (c), postquam narravit quomodo vix natus Deo dicatus fuerit et oblatus, instar vituli vel agni; « non enim dicere audeo, ut novus quidam Samuel, nisi ad eorum qui dederunt desiderium respiciam. »

XX. Alia verborum Gregorii patris interpretatio ex Memor. Trev. Apr. 1707, art. L, p. 711.

Jam vero si roges qua ratione Gregorii textum interpretemur, ex quo alii eum patre episcopo natum colligunt, accipe. Verba ipsa huc revocanda et oculis subjicienda.

Ὅσῳ τοσοῦτον ἐκμετρήσας βίον,
Ὅσος παρῆλθε θυσιῶν ἐμοὶ χρόνος.

*Nondum tot annos vita percurrit tua,
Quot mi in sacris jam sunt peracti victimis.*

Gregorii verba sic reddunt qui eum patre episcopo natum esse contendunt: verum hi addunt in sua interpretatione, quod in Græco textu non apparet, nempe « peracti. » Porro textui nihil addatur nec detrahatur, sed ad verbum reddatur. Sic optime reddidit auctor epistolæ, in commentariis Trevoltianis, ex qua hæc hausimus:

(a) 9 Maii, p. 375, col. 1, n. 9.

(b) Carm. *De anim. suæ calam.*, v. 199.

(c) Carm. *De vita sua*, v. 88.

**A Nondum tantam emensus es vitam,
Quantum præterit mihi sacrificiorum tempus.**

Non ait Gregorius facta a se, sive ut sacerdotem, sive ut episcopo, sacrificia; sed filium suum tantam nondum vitam esse emensum, quantum sibi ipsi sacrificiorum tempus « præterisset. » Quid porro vetat quominus dicamus sacrificia ea esse sacra mysteria, quibus post susceptum baptismum interfuerat, quorum particeps fuerat, imo quæ etiam, si minus ut sacerdos, saltem ut Christianus suo modo per aliquot annos obtulerat, quemadmodum fideles offerre solent, juxta hæc Missæ canonis verba: *Memento etiam, Domine... et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis?* etc. Ex quo ergo suscepit baptismum Gregorius, sacris mysteriis interfuerat, horum particeps fuerat, exinde « sacrificiorum » tempus ipsi fluere cœperat, ut ipsi dicere licuerit filium alloquendo: « Nondum tantam emensus es vitam, quantum præterit mihi sacrificiorum tempus. » Quod quidem longe verissimum erat.

Quin, Theologus ipse, carmine *De Vita sua* (d), sic Deum affatur: « Precor, si quando te pater et veneranda mater aut victimis puris et sanctis munerati sunt; » victimarum nomine pia opera ex charitatis affectu Deo oblata haud dubie intelligens; et carm. xi (e), « animæ victimas incruentas » memorat: quid igitur obstat, quominus eodem sensu Gregorius pater sacras victimas intellexerit; idque solum versibus illis declaraverit; videlicet non tot vitæ annos decurrisset filium, quod ipse in offerendis Deo Christianis operibus impenderat?

XXI. Gregorii verbis mendacii nota non debet inuri.

Præterea, cum Baronio licet dicere, per hyperbolen sic locutum fuisse Gregorium; quod illæsa veritate potuit poeta. Certe Gregorius pater his verbis nec sefellit filium, nec fallere intendit, aut potuit, nec aliud demum significare voluit quam quod filio notissimum erat. Mirum profecto est his Gregorii verbis mendacii notam inuri ab iis, qui fatentur cum Bollandistis Gregorio licuisse dicere absque mendacio, matrem suam coætaneam fuisse patri, ἴσον πολὴν τε καὶ ἥθεον, quamvis annis decem atque etiam amplius eam juniorem fuisse concedant.

XXII. Patre nondum episcopo natus est Gregorius.

His omnibus expensis, arbitramur Gregorium patre nondum episcopo natum, et Gregorium patrem per hyperbolen locutum fuisse, nec ejus verbis ulla tenus veritatem attentari. An vero Gregorius Gorgonia sorore junior, seniorve fuerit, dubitant nonnulli, nec facile est definire, ut Papebrochio placet. « Potuit certe, » inquit, primo partu nata femina, « in matre acuisse desiderium proli masculæ. » Sed levissimam, imo nullam hanc esse difficultatem quis

(d) V. 416, 419.

(e) Carm. *De div. vitæ generib.*, v. 40.

non intelligat? An vero in Anna, quam cum matre sua conferre solet Gregorius, et illic quidem potissimum, « primo partu nata semina acuit desiderium prolis masculæ? » Ut ergo stet comparatio Nonnæ cum Anna, rectius Gorgoniam juniorem fratre Gregorio fuisse inferretur; quod plures Scholiastæ (a) confirmant.

XXIII. Gregorius nascitur. Prima educatio in domo paterna.

Itaque natus videtur Gregorius (sive senior, sive junior Gorgonia fuerit) anno 325 vel 326, patre nondum episcopo, sed Christiano, ut jam diximus. Ab ipsis incunabulis pie a piis parentibus educatus est, qui regendæ ipsius pueritiæ curam ipsi suscipere. Cum eam ætatem, quam dicunt rationis expertem, pertransisset, eum mater, quem jam statim ab ortu Deo obtulerat, atque etiam priusquam nasceretur dicaverat, iterum obtulit et dicavit; sacris litteris pueri manus lustravit, libros divinos teneris manibus tractandos exhibendo; quibus eum votis obstrinxisset significavit, atque hortata est ut matris promissa factis expleret. Ipse protinus annuit, quamvis in tenera ætate, rataque omnia habuit, ac perficere semper studuit (b). Optimis in domo paterna, ubi præclara virtutum exempla præ oculis habebat, præceptis informatus, gravitatis senum aliquid præferbat, ætate simul et ratione crescens. Crescebat et boni cupiditas, quemadmodum ex nubibus nubes coire solent. Librorum, qui de rebus divinis tractant, lectione oblectabatur. Cum viris probis frequens erat. Sic tenera mens optimis imbuebatur moribus, formamque pietatis inducibat, donec tempus adesset, quod eum sacro fonte abluendum esse Christus notum faceret; qui singulari beneficio servum suum affectit, eumque verbis compellere dignatus est (c). Castitati alligavit, carnem frenavit, flagrantem sapientiæ divini amoris inspiravit, ac vitæ monasticæ, *μοναχου βιωτου*, quæ vitæ futuræ præludium est.

XXIV. Ardor servandæ pudicitie.

Divinus quidam incessit juvenis animum ardor servandæ pudicitie, quem visum cæleste ipsi in somnis ostensum magis magisque firmavit. Hæc sunt, ut ego quidem opinor, miracula, quæ Deus, qui sic piis mentes ad salutem trahit, ejus desiderio calcare addidit, ut ipse scribit Gregorius (d), dubitans an ea tegere debeat, quod animi parum grati est, an prædicare, quod fastum videtur sapere. Rem tamen ipse totam aperit in carmine *De animæ suæ calamitatibus* (e), nocturnumque visum narrat, quo Deus ipsi castioris vitæ amorem inmisit, « cum adhuc puer parvulus esset, nec tamen omnino parvulus, » sed ea ætate qua boni et mali imagines in animo inscribuntur, mensque nondum

A certis cogitationibus formam accipit. His Gregorii verbis manifestum est, id contigisse cum adhuc in domo paterna, non autem cum jam Athenis versaretur, ut Rufinus perperam scripsit.

XXV. Visum nocturnum quo castitatis amore accenditur.

Virgines duas videre sibi videbatur propius stantes, candidisque vestibus collucentes, ambas formosas, ejusdemque ætatis, quibus ornamento erat inornata forma. Quærenti Gregorio quænam essent, et unde venissent, altera se castitatem esse dixit, altera temperantiam: cumque ipsum hortatæ essent, ut mentibus mentem et faciem facibus jungeret, quo eum miro fulgore splendentem in cælum ferrent, protinus in cælum evolarunt. Cum igitur viso nocturno incensus esset Gregorius, amor castitatis, cujus fulgor intimis animi recessibus contineri non poterat, in eo splenduit.

XXVI. Piorum virorum consuetudinem expetit.

Primum igitur congressum piorum virorum appetivit, qui matrimonii vincula fugerant, seque a terrenis hominibus sejunxerant, ut Christum regem animi penitus sequerentur (f). Hos unice amans et toto corde complectens, spei cælestis duces habuit (g). Postea grave matrimonii jugum excussit, præclaram eorum, qui perpetua virginitate florent sortem exoptans. Non convivia, et quæcunque juvenibus curæ esse solent, ipsi placebant; non mollis vestis, non petulans risus, non scopuli et montes, non equi et canes venatici. Ea omnia missa fecit; projectaque omni vitæ hujus felicitate, austeræ temperantiæ collum submisit. Ex singulari illo, quem tunc hausit animo, castitatis amore, condita postmodum ab eo fuisse illa insignia poemata, quibus laudes virginitatis et præcepta ad virgines continentur, recte cum Papebrochio colligas.

XXVII. Gregorii studia extra limen proferuntur.

Postquam intra domum paternam sic primum instituta fuit Gregorii pueritia, sacrarumque litterarum studiis et omni virtutum genere informata, extra limen prolata sunt ejus studia (h). Quamvis enim nihil unquam antiquius sacris litteris habuerit, externas tamen investigare et comparare non est dedignatus, eo nimirum consilio, ut veris litteris per nothas ferret open; ne superbe jactitarent se, qui nihil præter inanem eloquentiam in gutture et suavibus vocum sonis sitam norunt; neve sophismatum nexibus implicaretur. Itaque, « Cum ætate jam adolevisset, inquit ejus Vitæ scriptor (i), Cæsaream profectus, illicque cum præstantibus quibusdam magistris consuetudine habita, doctrinaque non exigua collecta, in Palæstinam navigavit. »

(a) Elias Cret., in edit. Bill., t. II, p. 761.

(b) Carm. *De vita sua*, v. 95 et seq.

(c) Carm. *De rebus*, v. 455.

(d) Carm. 4 *De vita sua*, v. 105 et seq.

(e) Carm. 5, v. 205.

(f) Ib., v. 281.

(g) Ib., v. 505.

(h) Carm. *De vita sua*, v. 112 et seq.

(i) *Vita Greg.*, p. 4.

XXVIII. *Cæsaream Cappadociæ proficietur.*

Nullus certe ambigendi locus, utram Cæsaream petierit Gregorius. Etenim Cæsaream, quæ in Cappadocia sita est, non Palæstinam ubi altera est Cæsarea, tunc navigavit: Viri tamen docti plures Cæsaream Palæstinæ intelligunt, imprimis Billius, Baronius, atque etiam ipse Tillemontius; quorum opinionem auctor *Vitæ Basilii* (p. 40, 41). novæ editioni operum sancti doctoris præviæ, validissimis momentis impugnat et refellit.

XXIX. *In Cappadocia primum amicitiam cum Basilio junxit Gregorius.*

Narrat Gregorius Nazianzenus (a) se et Basilium, e Ve uti fluxum quemdam fluminis, ex eodem patriæ fonte in diversas regiones doctrinæ cupiditate dissectos, rursus, velut ex composito, Deo videlicet ita impellente, Athenis coivisse. » Uterque ergo in Cappadocia conjunctus fuerat, quod perperam negat Papebrochius (b), qui etiam asserit Gregorium et Basilium primum Athenis mutuo se novisse: uterque inde in varias regiones profectus non alter e Ponto, alter e Cappadocia. Id confirmatur verbis Gregorii in eadem oratione (c), ubi Athenas sibi e vere aureas, dicit, ac si cuiquam alii, honorum parentes. Nam illæ mihi hominem, non illum quidem ante ignotum, sed tamen plenius noscendum præbuerunt. » Ἐκεῖναι γὰρ μοι τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐγνώρισαν τελεώτερον, οὐδὲ πρὶν ἀγνωστούμενον.

Idem efficitur vel ex ipsis Gregorii verbis, quibus post Billium et Baronium Tillemontius Cæsaream in Palæstina indicari arbitratur. Hæc sunt Gregorii verba in *Oratione De Basilii laudibus* (d), habita Cæsareæ: Ἐπὶ τὴν Καισαρέων πόλιν ἐπειγεται, τῶν τῆδε μεθέξων παιδευτηρίων· ταύτην δὲ λέγω τὴν περιφανῆ τε καὶ ἡμετέραν, ἐπεὶ καὶ τῶν ἐμῶν λόγων αὐτῆ καθηγεμῶν καὶ εἰδασκαλός, τὴν οὐχ ἤττον λόγων μητρόπολιν ἢ τῶν πόλεων, ὧν ὑπέρχεται, καὶ καθ' ὧν ἔχει τὴν δυναστείαν· ἦν εἰ τις τοῦ ἐν λόγοις κράτους ἀποστερήσειεν, ἀφρηκῶς ἔσται αὐτὸ τὸ κάλλιστόν τε καὶ ἰδικώτατον. Ἄλλαι μὲν γὰρ τῶν πόλεων ἄλλοις ἀγάλλονται καλλωπίσμασιν, ἢ παλαιαῖς ἢ νέαις, ὅπως ἂν, οἶμαι, τῶν διηγημάτων ἔχωσιν, ἢ τῶν ὀρωμένων· τῆ δὲ λόγοι, τὸ γνῶρισμα, ὡσπερ ἐν τοῖς ὄπλοις ἢ τοῖς δράμασι τὰ ἐπίσημα. e Cæsaream, ut scholarum illius civitatis princeps esset, contendit; hanc, inquam, illustrem civitatem, et nostram: nam meorum quoque studiorum dux et magistra exstitit; quæ non minus litterarum atque doctrinæ, quam urbium, quibus præcellit et domiuatur, metropolis; quam si quis doctrinæ palma spoliaverit, rein omnium pulcherrimam ipsique maxime propriam eriperit. Nam, cum aliæ civitates aliis ornamentis, vel antiquis, vel novis glorientur, prout, opinor, vel historiis, vel

A rebus quibusdam visendis ornatæ sunt; hanc contra, ut arma vel tragœdias notæ quædam atque insignia, sic litterarum gloria nobilitat illustremque reddit. »

XXX. *Cæsaream Cappadociæ litteris fuit insignis.*

Nihil est in his verbis, ut observat noster Prudentius Maran (e), quod non optime conveniat Cæsareæ Cappadocum. Aptè quidem Gregorius urbem, in qua loquebatur, et voce et manu designans, dicebat: « Hanc, inquam, illustrem civitatem, et nostram; » Ταύτην δὲ λέγω τὴν περιφανῆ τε καὶ ἡμετέραν. Non putat Tillemontius hanc Cæsaream a studiis litterarum, ut a præcipuo urbis ornamento, laudari potuisse. Sed, ut omittam Eusebium, qui Cappadociæ præsules doctrinæ inter alios enituisse testatur (f), ipse Basilius Gregorii testimonio suum adjungit, et litteris inter patriæ ornamenta dat palmam. Sic enim loquitur (g) de eo statu in quæm divisione Cappadociæ redacta erat: « Spectaculum foedissimum facta est, quæ prius tum de literatis viris... gloriabatur. » Similiter in alia epistola (h), litterarum studia inter ea quæ civitati nomen et famam pepererant, præcipue commemorat. An vero Gregorius, pronuntiato nomine Cæsareæ, admonere poterat auditores, Cæsaream, de qua loquebatur, non eam esse in qua orationem habebat, sed illustrem illam in Palæstina Cæsaream designari? Certe si de Cæsarea Palæstinæ locutus fuisset Gregorius, auditorum animos offensusset, nedum benevolentiam captasset, meritoque expositulandi ansam præbuisset Cappadocibus, qui litterarum et eloquentiæ laudem nec Cæsariensibus Palæstinæ, nec aliis civitatibus concedebant. Quomodo etiam Cæsaream Palæstinæ e civitatem nostram » dicere licuisset, imo e patriam » appellare, ubi ait (i), e ex eodem patriæ fonte....dissectos....Athenis coivisse? »

Addit (j) hæc verba Gregorius, quæ lient dirimunt: e Jam quæ sequuntur, ii exponant, qui et eum apud se erudierunt, et fructum ex ipsius eruditione ceperunt; quantus videlicet magistris, quantus æqualibus esset. » Quis ambigendi locus, utris Cæsariensibus narranda Gregorius relinquat? Isne, qui longe remoti erant, nec majorem ex Basilii eruditione utilitatem quam aliæ civitates perceperant; an iis quos alloquebatur, quique et Basilii studiorum meminisse poterant, et qui ejus doctrina per tot annos imbuti fuerant? Cum igitur his verbis manifeste Cæsarea Cappadocum dignoscatur, immerito quærit Tillemontius, quod pace tanti viri dixerim, cur Gregorius, qui Cæsareæ perorabat, Basilium in hanc urbem venisse conceptis verbis non dicat; cur non eam designet, nisi ejusmodi notis, quæ saltem ei cum altera Cæsarea communes sint. Quod autem objicit Tillemontius ex eo quod Gre-

(a) Or. 43, n. 15.

(b) 9 Mail, p. 379, col. 2, not

(c) Or. 43, n. 14.

(d) Ibid., n. 13.

(e) Vita Basil., ibid.

(f) Vita Const. c. 43, p. 548.

(g) Epist. 76.

(h) Epist. 74.

(i) Or. 43, n. 13.

(j) Ibid., n. 13.

gorius Cæsaream, de qua loquitur, « civitatem nostram » appellet, quia « ipsius studiorum dux et magistra exstitit; » quod, inquam, objicit vir doctus, ut probet hæc verba non esse accipienda de Cæsarea Cappadociæ, quam Gregorio « suam » aliis de causis, atque imprimis quod suæ provinciæ metropolis esset, appellare licebat, in ipsum regeritur. Etenim, cum Cæsaream Gregorius ob disciplinas, quas ibi hauserat, non solum ob metropolitica jura, « suam » diceret; rationem addere debuit, cur eam singulari modo suam appellaret, alioqui nemo non existimasset eum ad jura metropolis respicere (a).

XXXI. Litterarum amore in Palæstinam se confert.

Idem litterarum amor, qui Basilium et Gregorium Cæsareæ Cappadocum conjunxerat, alterum ab altero distraxit. Basilium namque inde profectus est Constantinopolim, Gregorius vero in Palæstinam navigabit; « Ob artis oratoriæ amorem in Palæstinæ scholis, tum florentibus, moratus. (b) » Illustres enim erant scholæ illæ ac florentissimæ, in quibus ex Christianis olim, Pamphilus martyr, Eusebius, alique doctissimi viri professi fuerant; his autem temporibus, Thesperiū Gregorius, ut scribit Hieronymus, rhetorem, eloquentiæ præceptorem habuit; et inter socios Euzoium, qui postea, imperante Valente, patrocinio Arianorum creatus episcopus, Cæsariensem sedem occupavit.

XXXII. Alexandriam petit.

Aliquandiu commoratus in Palestina Gregorius Alexandriam se contulit, cujus urbis scholas olim illustrant Clemens, Origenes, alique viri pietate et scientia commendandi, et quas demum Didymus celebriores reddidit. Adhuc noster Gregorius, licet ex voto Deo oblati, erat catechumenus, ex usu, seu potius abusu illorum temporum, antiquis Ecclesiæ moribus traditionibusque apostolicis adversante, quem ipse postmodum Gregorius, Basilium, Gregorius Nysenus graviter insectati sunt.

XXXIII-XXXIV. Athenas navigat et gravi tempestate jactatur. — Validitas baptismi per laicos collati non satis nota Græcis.

Demum haustus utriusque Cæsareæ et Alexandriæ scientiarum fontibus, majori animi ardore Athenarum flumina sitiens, moræque impatiens, conscensa navis Ægina circa medium Novembrem, quo tempore periculosissimæ tempestates exoriri solent, in Græciam per mare Pæthenicum navigat. Itaque vix jam paululum navis processerat, cum gravis exorta

(a) Scrupulum aliquem mihi injiciunt verba Gregorii orat. in laudem Cæsarii (or. 7, n. 6), ubi postquam de prima educatione Cæsarii, suaque ipsius mentionem fecit, sic prosequitur: « Cum jam peregrinationis tempus esse videretur, ac tum primum alter ab altero distracti sumus; ego nimirum ob artis oratoriæ amorem, in Palæstinæ scholis, tum florentibus, moratus, ille autem Alexandriam profectus. » Si cum primum Gregorius et Cæsarius alter ab altero distracti sunt, Gregorius Palæstinam petit, et in scholis est moratus, Cæsarea Palæstinæ,

A est tempestas, quam egregio metro recinit (c). Omnia præsentem omnibus mortem intentabant: Gregorio autem mors animæ longe majorem formidinem afferebat. « In periculum enim miser veneram, inquit (d), ne non initiatus e vita discederem, spirituales aquas inter exitiosas et mortiferas undas desiderans. » Clamabat, obsecrabat, breve quoddam temporis spatium expetebat; tantos demum gemitus eiebat, ut ceteri, quod vix credibile est, omissis quisque propriis calamitatibus, suas Gregorii ejulatibus preces jungerent, ejus infortunio condolentes. Omnes, etiam qui Deum ante non norant, Deum invocabant, ut scribit Gregorius (e); quod certe argumento est plures in ea navi fuisse fideles Christianos, baptismo initiatos, a quibus et ipse Gregorius necessitate compulsus eum petere et suscipere poterat (f): quod quidem licere docent Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, alique doctores, atque etiam approbat Ecclesia. Quomodo ergo ipsi in mentem non venit, ut a vectorum quopiam baptismum peteret? Validitas baptismi per laicos collati non satis nota fuisse Græcis videtur. Sic Basilium, post Cyprianum et Firmilianum, in epistola canonica, canone 1º: « Quare eos, inquit (g), qui ab ipsorum partibus stabunt, tanquam a laicis baptizatos, jusserunt verè Ecclesiæ baptismate ad Ecclesiam venientes expurgari. » Quibus verbis liquet collatum a laicis baptismum irritum apud Græcos habitum fuisse.

XXXV-XXXVI. Promittit Gregorius se Deo victurum si sospes evadat. — Parentum se precibus servatum agnoscit.

Per viginti dies sævit tempestas, totidemque diebus gehennæ supra puppim jacuit Gregorius, Deum supplex exorans, pollicitus si maris periculo liberaretur, atque expetito baptismo frueretur, ei, a quo salutem accepisset, sese consecraturum. « Tuus sum, inquam (h): antea jam eram, et nunc iterum. Tu me bis accipies, pretiosam tibi possessionem, terræ marisque munus, tibi consecratum voto parentis et metu gravissimo. Tibi vivam, si duplex periculum effugerō. Si me perire siveris, cultor tibi peribit. Expergiscere mihi, aut gradere, et metum compesce. » Vix hæc dixerat, cum statim sedata est et commutata in auram procella. Servatum se agnoscit Gregorius (i) precibus parentum, qui in somnis admoniti quem in casum adductus esset filius, orationibus ac lacrymis Deum obsecraverant ut periclitanti opem ferret. Quin et in ipsa periculi flamma, juveni cuidam ex vectori-

non Cappadocum est intelligenda, nisi dixerimus utrumque tunc versatum Cæsareæ Cappadocum, unde alter Palæstinam, alter Alexandriam petit.

(b) Or. 10, p. 163, A.

(c) Carm. De Vita sua, v. 151 et seq.

(d) Or. 18, n. 131.

(e) Boll., 9 Maii, p. 379.

(f) Tillem., t. IX, p. 326.

(g) T. III novæ edit., p. 270.

(h) Carm. De Vita sua, v. 194 et seq.

(i) Or. 18, n. 31.

bus, qui Gregorio charissimus erat, visa est in somnis mater ejus Nonna mare conscendere, arreptaque navim ad terram protrahere : qua visione perspecta et narrata, statim consecuta est tranquillitas (a). Tum vectores omnes, quotquot infideles erant, se Dei, quem colebat Gregorius, benignitate servatos agnoscentes et confitentes, Christianam religionem ex animo amplexati, duplicem nacti sunt salutem. « Hujus ipsi periculi, inquit Gregorius (b), donum exstitimus : ut enim nos Deo voveramus, si discrimen effugeremus ; ita periculo liberati, nos etiam ipsos obtulimus. » Quibus verbis Gregorius, si Baronio fides (c), se et vectores sacro baptismate tum fuisse initiatos significat.

XXXVII. *Athenas advenit circa annum 350.*

Interim navis tranquillum per æquor Rhodum appulit, Rhodo Æginam, indeque solvens secundis fluctibus tandem expetitas Athenas pervenit. Quo autem anno pervenerit, certo definire difficile fuerit. Tantummodo ex ipso discimus, eum imberbem adhuc fuisse, cum litterarum amore incensus Athenas petiit. His enim verbis narrare incipit tempestatem, quæ in hanc urbem nave tendenti supervenit :

(d) *Lanugo nondum genas texerat, tamen
Me litterarum ceperat servens amor, etc.*

In oratione quoque XLIII, n. 25, ait se et Basilium Athenis in patriam reduces « ex imberbibus viros factos, » καὶ τελοῦμεν εἰς ἀνδρας ἐξ ἀγε-
velων. Quod certe funditus evertit eorum opinionem, qui enim triginta annos Athenis studio eloquentiæ impendisse sentiunt. Verba tamen Gregorii, ut verum fatear, sic accipi et quidem recte possunt, ut imberbem fuisse existimemus, cum primum paternam donum reliquit ut plurimas urbes peragraret studiorum causa, Cæsaream utramque, Alexandriam, et tandem Athenas, quas potissimum adire cupiebat, tanquam litterarum sedem et domicilium. Has igitur, ut verisimile est, adiit circa annum 350 ; si quidem Athenis jam versabatur, cum eo venit, anno 351, Basilium, cujus adventum jam fama nuntiabat, magnamque omnibus expectationem moverat, præcipue autem Gregorio, qui Athenas Basilii adventu « aureas » sibi factas singulari amoris declaratione significabat : « Athenas mihi vere aureas, inquit, (e), ac, si cuiquam alii, bonorum parentes. Nam illæ mihi hominem, non illum quidem ante ignotum, sed tamen plenius noscendum præbuerunt. Ac doctrinam exquirens, beatitudinem reperi ; mihique dispari modo idem quod Sauli accidit, qui patris asinas querens, regnum invenit.... Habebant nos Athenæ, velut fluxum quemdam fluminis, ex eodem patriæ fonte in diversas regiones doctrinæ cupiditate dissectos, rursusque velut ex composito, Deo videlicet ita impellente, coeuntes. »

A XXXVIII-XL. *Stolido ritui subducit Basilium Gregorius. — Opem fert contra Armenios. — Arcetissima Basilium inter et Gregorium necessitudo.*

Omnibus humanitatis officiis Basilium suscepti Gregorius ; gratamque imprimis ei operam adveniienti præbuit, virum gravem et modestum subducendo stolidæ ludificationi Athenis usitatæ erga novos discipulos, qui in hanc urbem se conferebant. Insanum hunc ritum, in oratione *De Basilii laudibus*, eleganter describit Gregorius ; qui mox adversus Armenios quosdam non minorem amico opem tulit. Hi nimirum Armenii Basilii olim sub ipsius patre condiscipuli, invidis oculis ejus laudes conspicientes, tanquam Athenis diutius commorati, temere lacescebant Basilium, a quo facile refellebantur. Gregorius quidem, Athenarum amans, ipsarum æstimationem in Armeniis a Basilio superatis periclitari ægre ferens ; veritus ne civitas aliquid dedecoris acciperet, si novus accola antiquiores superaret, primo Armeniis opem ferebat ; at ubi perfidum eorum esse consilium perspexit, totum se ad Basilium vertit, eoque juvante Armenii penitus profligati. « (f) Hæc altera, Basilio et Gregorio, amicitia non jam scintilla, sed fax clara et sublimis accenditur. » His namque amicitia officiis Gregorius adeo sibi Basilium conciliavit, Basilium autem morum gravitate adeo Gregorium devinxit, ut unanimes simul effecti, sibi quisque felicissimus videretur quod talem tantumque nactus esset amicum. Hæc sunt arcetissimæ Basilium inter et Gregorium amicitia fundamenta. Perfectissimum istud est amicitia Christianæ exemplar, quo noti ac celebres fuere, tum hominibus suæ ætatis, tum omnibus retro sæculis.

XL. XLII. *Crescit amicitia inter Gregorium et Basilium. Una utrique anima esse videbatur. Unum utrique studium erat virtus.*

Crevit adhuc progressu temporis tam sancta amicitia voluntatum ac studiorum consentione. Cum enim mutuum inter se confessi fuissent desiderium sectandæ philosophiæ, tum uterque alteri quidvis erat, contubernalis, convictor, concors, unum spectans, iisdem rebus gaudens. Quis digne scripserit præclaros tam eximia necessitudinis fructus ? Ecce tanta dicendi copia, ut utriusque tum in litteris, tum in pietate progressus enarrare queat ? Unus id posset exsequi Gregorius. « Par spes doctrinæ, inquit (g), hoc est, rei omnium invidiosissimæ, nos ducebat : et tamen aberat invidia, æmulatio autem in pretio habebatur. Hoc utrique certamen, non uter primas ferret, sed uter alteri eas concederet, uterque enim alterius gloriam pro sua ducebat. Una utrique anima videbatur, duo corpora ferens.... Unum utrique opus et studium virtus erat, et ad futuras spes vivere, nosque ita comparare, ut,

(a) *Vit. Greg.*, p. 5.

(b) *Or.* 48, n. 31.

(c) 9 *Maii*, p. 378.

(d) *Carum. De Vita sua*, v. 112.

(e) *Or.* 43, n. 14 et 15.

(f) *Ibid.*, n. 15, 17.

(g) *Ibid.*, n. 20.

ante discessum ex hac vita, hinc migraremus. Quod quidem nobis ob oculos ponentes, vitam actionesque omnes nostras dirigebamur, tum divini præcepti ductum sequentes, tum alter alteri virtutis studium exacuentes; atque, nisi hoc arrogantius dicere videar, uterque alteri norma et amussis eramus, qua rectum a pravo discernitur. Non enim cum sodalium nostrorum petulantissimis et impudicissimis, sed cum castissimis consuetudinem habebamus; nec cum pugnacissimis, sed cum pacatissimis, iisque, quorum consuetudo maximos fructus afferebat: illud nimirum exploratum habentes, facilius esse vitium contrahere, quam virtutem impertiri; quemadmodum etiam facilius esse morbo alieno infici, quam sanitatem largiri. Disciplinis porro, non tam jucundissimis, quam optimis oblectabamur: nam hinc quoque, vel ad virtutem, vel ad vitium, juvenes informantur. »

XLIII-XLV. *In sacris domibus assidui. Christiani et esse et nominari volunt. Pestiferæ aliis Athenæ, nihil illis nocent, sed ad fidem confirmant.*

« Duæ nobis viæ notæ erant: altera prima et præstantior, altera secunda et inferioris pretii: illa nempe, quæ ad sacras nostras domos, eosque qui illic erant doctores, ferebat; hæc autem, quæ ad externos præceptores. Cæteras omnes, quæ ad festa, spectacula, celebres conventus, epulas ducebant, æquo ac libenti animo aliis reliqueramus... Jam cum aliis alia quædam cognomenta sint, vel a parentibus accepta, vel ex seipsis, hoc est ex propriis vitæ studiis institutisque comparata: nobis contra magna res et magnum nomen erat, Christianos et esse et nominari... Atque, ut rem in pauca contraham, pestiferæ quidem aliis, quod ad animæ salutem attinet, Athenæ sunt... nobis autem nihil detrimenti ab iis allatum est, utpote qui animo communiti et obsepti eramus. Quin potius hinc ad fidem confirmati sumus. » hinc contigit, ut egregium illud par amicorum, non in universa Græcia solum, sed extra Græciam celebraretur; et cum eorum magistri famam Athenarum adæquarent, ipsi quoque, ubicunque noti erant magistri, in hominum ore versarentur, et Oresti ac Piladi longe ab omnibus præferrentur.

Quidquid præterea de Basilio privatim Gregorius honorifice prædicat, de ipso quoque Gregorio intelligendum esse nemini dubitare licet, quamvis id silentio prætermittat vir tam modestus, ut (a) « laudes suas ne ab alio quidem unquam prædicari pateretur. » Dicere ergo liceat, cum Vitæ ipsius scriptore, de Gregorio, quod ipse Gregorius noster de Basilio scripsit; nempe Gregorium his præditum fuisse moribus, qui etiam sine doctrina laudem habuissent; sed ad hos mores et egregiam indolem tantam accessisse doctrinæ copiam, ut nemo cum eo comparandus esset, sive in rhetorica, quæ linguam ad Græcismum format, historiam colligit, metris præ-

est, et carminibus leges præscribit; sive in omnibus philosophiæ partibus: ne geometriam quidem ab eo neglectam fuisse, nec astronomiam, nec arithmeti- cam; sed iis relictis, quæ ad pietatem prodesse non poterant, tantum ex iis disciplinis sibi sumpsisse, quantum satis erat, ut ab iis, qui sese in hoc genere venditabant, exagitari non posset.

XLVI. *Præceptores quibus usus est Athenis.*

Præceptores, quibus usus est Athenis Gregorius, apud tot homines celebres erant, apud quot Athenæ ipsæ. Hi fuere Himerius et Proæresius: primus gentilis erat, alter vero Christianus. Is, ob dicendi copiam, primum in Gallias, inde Romam a Constantio missus, illic ex senatusconsulto donatus est statua ejusmodi inscriptione nobilitata: **REGINA RE- RUM ROMA REGI ELOQUENTIÆ.** Christianum hunc diximus, quidquid scripserit Eunapius, qui hunc ut gentilem sibi vindicat. Proæresius enim Christianæ religioni sic addictus fuit, ut cum Julianus, lege data ne Christiani liberalium artium doctores essent, ipsi Christianos docere permisisset, scholam sponte deseruerit: quod ex Hieronymo discimus. Quin ipse Eunapius scribit, Proæresium sententia Juliani a lectione remotum fuisse. An vero Julianus, ethnicorum philosophorum studiosissimus, sententia sua a lectione removisset Proæresium, nisi Christianam religionem fuisset professus?

XLVII. *De Juliano Gregorii augurium.*

Habuit Athenis Gregorius, inter studiorum socios, Julianum exæquatorem, quem in oratione decima nona (n. 12 et 16) alloquitur; alterum item Julianum longe famosio- rem. Is erat Julianus, Constantii Augusti successor, sua a religione Christiana defectione notissimus, omnibusque retro sæculis execrandus. Cum Athenas venisset circa annum 355 medium, ubi primum cum eo congressus est Gregorius, hominem novit; et quidquid postea infelix comprobavit eventus, perspexit et prænu- tiare non dubitavit his verbis (b): « Quale Romanorum regio malum alit! » Οἷον κακὸν ἢ Ῥωμαίων τρέφει πόλις.

XLVIII. *Reditum in patriam meditatur.*

Non diu post Juliani adventum, Gregorius et Basilus, plena doctrinæ mercibus nave, reditum in patriam, ut initum sanctioris instituti consilium perficiant, meditantur (c). « Aderat discessus dies, et quidquid ad discessum pertinebat, extremæ allocutiones, prosecutiones, revocationes, genitus, complexus, lacrymæ. » Tum eos circumstat sodalium (d), æqualium, ac magistrorum etiam nonnullorum chorus: negant se eis abeundi potestatem facturos; obsecrant, vim faciunt, hortantur, spondent se calculis suis daturus eloquentiæ principatum Gregorio: nihil non efficiunt ut reditum intercludant. Omnia perrumpit Basilus; sed Gregorius, partim amicorum precibus emollitus, partim ab ipso Basilio proditus, sic enim ipse Basilium inco-

(a) Or. 45, n. 22.

(b) Or. 5, n. 24.

(c) Or. 43, n. 24.

(d) Carm. De vita sua, v. 243 et seq.

sat, victus est, et invitus Athenis remansit. Verum cum diu ab animæ suæ dimidio separari ægre ferret, et præterea patriæ parentumque desiderio teneretur, paulo post furtim se subduxit et ad suos reversus est. « Nec tamen in longum, inquit (a), mihi producta est hæc calamitas... Sed non ita multo tempore Athenis postea commoratus, velut præ animi desiderio equum illum Homericum imitor, perfractisque eorum, a quibus retinebar, vinculis, campos pedibus pulso, atque ad sodalem meum impetu feror. » Id contigit anno 356, aut forsane ineunte 357.

XLIX. Ad parentes cum fratre Cæsario simul redit.

Digressus Athenis Gregorius Constantinopolim terra petiit; quam in urbem Cæsarius ejus frater Alexandria profectus, eodem tempore appulit. Quod quidem Gregorius non temere ac fortuito, sed singulari Dei providentia, parentum votis favente, contigisse observat (b). « Pia namque mater, materno quodam voto, atque amoris erga filios pleno, hoc optabat, quemadmodum ambos eodem tempore emiserat, sic ambos quoque simul redeuntes cerneret. » Itaque Cæsarius, spreto honoribus quibus princeps civitas ipseque imperator eum retinere nitentur, proposito nobili matrimonio oblataque senatoria dignitate, itineris socium ac comitem fratri se adjunxit, atque ita ad paternam domum, unde simul emissi fuerant, simul rediere.

L. Rogatus a parentibus et civibus, mundo aliquantulum temporis impendit. Pietas erga parentes domi retinet Gregorium, ibique monasticam vitam agit.

Redux in patriam Gregorius, ut Basilium in suam, mundo et scenæ aliquantulum temporis impendit, quamvis ab ambitione et theatra ingenii ostentatione quam maxime abhorretet; sed civibus et amicis rogantibus, ut comportatas ab exteris regionibus opes promeret, ingenii sui specimina denegare non licuit; et, ut ipsius verbis utar (c), *amicis saltavit, τοῖς φίλοις ὀρχησάμην*. Propositum namque ipsi erat ab initio, projectis omnibus, etiam facundiae laboribus, uni philosophiæ operam dare, seu vitam monasticam amplecti. Si Rufino (d) credendum, Gregorius vero magnificentius contempsit. Basilio etiam, cum Athenis versarentur, promiserat, se cum eo in eandem solitudinem recessurum. Verum in ædes paternas reversum ætas senilis parentum domi manere compulit, ut eorum curam haberet, datamque amico fidem debitæ parentibus pietati posthabere coegit. « Promissis non steti, fateor, » inquit querelis Basilli respondens (e): « quippe jam inde ab Athenis illiusque loci amicitia et animorum connexionone (nec enim aptius verbum occurrit) fa-

Acturum me receperam ut tecum vitæ consuetudinem haberem, simulque philosopharer. Fidem autem fefelli, haud sponte ac libenter: verum quod lex legem superarit, ea nimirum, quæ parentes colere jubet, legem sodalitatæ ac familiaritatæ. » Interea tamen Gregorius, quantum ipsi licuit, quod Deo promiserat, vitæ genus est secutus; cumque ipsi in solitudinem sese recipiendi facultas non daretur, ab amici consortio abstractus sic vitam in paternis ædibus instituit, ut media quadam via incedens, cum actioni tum contemplationi vacaret. Quippe media hæc via, tametsi illud vitæ genus non esset, quod se in solitudine cum Basilio acturum promiserat, minime tamen a propositæ philosophiæ scopo aliena erat. Imo vita ipsa monastica erat, si minus corpore in deserto et solitudine acta, saltem mente et moribus. « Morum enim est vita monastica, non corporum, » ut ipse Gregorius his verbis testatur (f), ubi viam illam mediam describit: *Τρόπος γὰρ εἶναι τὴν μονήν, οὐ σωματίων*. Sic etiam Sozomenus, *φιλοσοφούντας*, monachos appellat non tantum eos « qui in solitudine delituerunt, » verum etiam eos, « qui, licet in media civitatum turba, vixerint viles et abjecti, nec a vulgo ullatenus discrepantes (g). » Veram igitur monachi vitam in domo paterna, nondum in eremo, agebat Gregorius; vereque monachus, non corpore, sed vita et moribus fuit.

LII. Vitam monasticam se amplexturum, etiam voto se astrinxerat.

Quis enim vero piura, quam quæ præstitit Gregorius, requirat ut quis vitam monasticam egisse credatur, et monachus existimandus sit, eo maxime tempore quo nondum erat in usu solemnium votorum Deo nuncupatio? Sua enim mater Deo dicavit, a quo acceperat; quæcunque mater fuerat pollicita, Gregorius rata habuit. Ipse non semel se Deo obtulit et addixit; vitam monasticam amplexturum etiam voto se astrinxit, cum tempestate jactatus in periculo, quod precibus et voto propulsavit, versaretur. Promissa fideliter perfecit (h). Omnia, etiam facundiae labores, contempsit non secus ac illi duo philosophi, quorum alter prædia sua dereliquit, alter collectum ex venditis agris argentum in mare projecit (i). Missum fuit matrimonium, castitatem vovit, quam amplecti fixum ipsi immotumque semper fuit: *Πάλαι δεδογμένον τ' ἦν*; omnibus se penitus exiit: « Cætera quidem, inquit (j), mandato et Spiritui reliqui; ac pretiosam margaritam cum omnibus iis, quæ quondam habebam, commutavi; factusque sum, aut, ut rectius loquar, fieri opto magnus ille negotiator, qui exiguis rebus atque omnino perituris magua et æterna emit. »

(a) Or. 43, n. 24.

(b) Or. 7, n. 8.

(c) Carm. De vita sua, v. 274.

(d) Hist., lib. 11, c. 9.

(e) Epist. ad 5.

(f) Carm. De vita sua, v. 329.

(g) Sozom., l. III, c. 17, p. 528.

(h) Carm. De vita sua, v. 273.

(i) Ibid., v. 283.

(j) Or. 6, n. 5.

LIII. *Baptisma suscipit. Quo tempore non constat.*

Tam perfectum vitæ genus haud dubie aggressus est Gregorius post susceptum baptisma; quod quo tempore susceperit, inter scriptores non convenit. Arbitratur Baronius (a) id contigisse cum Athenas navi peteret, postquam e periculo liberatus fuit. « Quod autem ait (Gregorius) e periculo liberatum ex voto statim se Deo obtulisse, haud aliud putamus id esse, quam quod baptismum tantopere expectatum sit assecutus. » Gregorii Vitæ scriptor censet, eum distulisse baptisma usque ad tricesimum ætatis annum, cum Athenis est reversus in patriam. « Nos, inquit Papebrochius (b), neque ad linem commorationis Atheniensis baptismum dilatum fuisse putamus, neque statim susceptum post naufragii periculum, sed post alterum vitæ discrimen a terræ motu. » Idem Papebrochius (c), in appendice ad diem nonam Maii, fingit Gregorium Athenis excurrisse Antiochiam, ut Libanium audiret, eaque occasione Nazianzo iter habuisse ut susceptum patriæ episcopatum patri gratularetur, ejusque manibus baptismum suscepisse, atque iterum Athenas se contulisse. Sed figmenta hæc sunt, quæ nullo penitus nituntur fundamento. Præterea Libanius Antiochiæ non nisi post annum 351 docuit. Itaque standum est, ut nobis videtur, Gregorii presbyteri sententiæ, qui scribit (d) Gregorium nostrum patriæ restitutum, primum divino baptismo tinctum, vi et facultate jam ante collustratum.

LIV. *Nunquam jurandi legem sibi indicit et servat.*

Tum sibi legem nunquam jurandi, quandiu in hac vita versaretur, quam etiam usque ad extremum diem servavit, indixit. Tum sibi consulens, Deo se obtulit, ut a mundo sejunctus, cum eo qui solus purissimus est vitæ consuetudine jungeretur, atque ex sacrorum librorum familiari lectione veritatis splendorem hauriret. Quod etiam per omnem vitam facere non destitit. « monachus esse potius habens, » inquit ejus Vitæ scriptor, « quam mundanus, et pauper quam quæstuaris. » Tunc ei, qui eum in sortem accepit et servavit, omnia dono dedit, opes, splendorem, etc. « Nam cæteris in rebus, inquit (e), me quovis homine segnior ac languidiorem esse non inficior, omnem enim cupiditatem abjeci, ex quo Christo nomen dedi, » ἅπ' οὗ Χριστοῦ συνεταξάμην; « neque ex omnibus rebus, quæ aliis jucundæ et expetendæ videri solent, ulla teneor, non opibus, » etc. Plurima alia fas hic esset referre de vita gestisque Gregorii post susceptum baptisma, cujus gratia eo uberior fuit (f), quod simul se asceticæ vitæ consecravit et

A omnibus se exuerit, quod dudum statuerat, προθέμην βίψαι, ut Christum totus indueret.

LV. *Non affectu tantum, sed reipsa se exiit Gregorius.*

Nec vero affectu tantum, ut quibusdam visum est, sed reipsa omnibus se bonis exiit Gregorius. Nihil contra ex ipsius testamento objici potest; siquidem, pro temporum illorum consuetudine, parentum hæreditatem ipsi adire licebat (g). Præterea non idcirco hæreditatem adiit, ut eam sibi servaret; sed ut piorum parentum, qui facultates suas pauperibus erogandas reliquerant, extremas voluntates exsequeretur. Quinimo, ne in episcopatu quidem minus pauper exstitit. Factus Sasimorum episcopus, nec panem quidem habere se ait (h), quem hospiti offerat, μηδ' ἄρτον ἕξων τῷ ξένῳ διακλάσαι. Neque ditior fuit Constantinopoli. « Pecunias, » inquit (i), « eripient? Si meas quidem, ipsi eadem opera penas etiam, quibus minime indutus sum, abscondant. » In carne, quo Julianum exæquatorem rogat, ut rem familiarem vectigilibus eximat, ait (j) suas se opes pauperibus, studio ferendæ crucis, erogasse, easque communem navigantibus portum esse, commune indigentibus auxilium. Alio in carmine (k) se ipse interrogans ubi sint opes, respondet: « Partem Deus habet, partem alteram sceleratus livor rapacibus manibus tradidit. » Scribens amico qui nonnullos ab eo libros poposcerat, his eum verbis alloquitur (l): « Quod si tibi videtur minime philosophicum esse librorum pretium postulare, tu mihi pecuniam solve, objectionem autem tuam solvent pauperes. » Quæ quidem omnia Gregorium omnibus se facultatibus exuisse liquido demonstrant.

LVI, LVII. *Omnia, litteras quoque, Christo dimisit. Alia vana, alia est utilis eloquentia, famula verbi. Hanc sibi et amicis exoptat Gregorius. Hanc solam complectitur: hac quam maxime delectatur.*

Nihil enim sibi ex omnibus servavit præter eloquentiam, quam tanto labore, peragratis pluribus Orientis atque Occidentis regionibus comparaverat; « Unum mihi in amoribus fuit, inquit (m), litterarum decus, quas mihi compararunt Oriens et Occidens, et Græciæ ornamentum, Athenæ. In his diu multumque laboravi; sed et illas pronas coram Christo demisi, humique affixi, cedentes magno Dei Verbo, quod omnem humanæ mentis varium et mutabilem sermonem longe superat. » Cætera quidem omnia volentibus reliquit, opes, generis nobilitatem, gloriam, etc.; at eloquentiam solam complexus est, nec suscepti, ut eam sibi compararet, laboris eum unquam pœnituit. Ut enim vana et

(a) Boll., 9 Maii, p. 378, col. 1.

(b) 9 Maii, p. 379.

(c) Tom. VII Maii, p. 659, col. 1 et 2.

(d) Vit. p. 8.

(e) Or. 24, n. 3.

(f) Carm. De vita sua, v. 270.

(g) Till., t. IX, p. 337.

(h) Carm. De Vita sua, v. 470.

(i) Or. 26, n. 16.

(j) Carm. al. 49, ad Julianum.

(k) Carm. al. 8, ad seipsum.

(l) Ep. al. 199.

(m) Carm. De reb. suis, v. 98 et seq.

inutilis est eloquentia, quæ in verbis duntaxat sita est, quam aspernatur et damnat Gregorius; sic alia est cujus utilitatem agnoscit, et patrocinium adversus Julianum suscipit, quem in nulla re magis iniquum et sceleratum se præbuisse existimat, quam cum sermones eripere Christianis tentavit. « Unde igitur, » inquit Julianum alloquens (a), « homo omnium levissime, hoc tibi in mentem venit, ut sermones Christianis eriperes? » Sic Christianam eloquentiam tuetur contra Apostatam; hanc sibi et amicis exoptat: « (b) Atque utinam mihi, amicisque meis sermonum robur adsit! » Hanc solam se complecti, utpote verbi famulam, nec unquam libenter neglecturum hanc possessionem fatetur; quin potius eam et colere et exosculari, majoremque ex ea voluptatem capere, quam ex omnibus aliis rebus in unum collectis, quibus plerique delectantur: hanc sibi totius vitæ sociam, ut probum consiliarium, atque congerronem, et ducem viæ in cælum ferentis, ac promptum commilitonem adsciscere. Et quia jucunditatem omnem huius sitam aspernabatur, omnis illius amor post Deum in eloquentiam Christianam effusus est, vel potius in Deum quoque, quandoquidem ad Deum cum prudentia rapit, per quam etiam Deus sincere percipitur, et conservatur, atque in nobis adolescit.

LVIII. *Fidem datam Deo non fefellit Gregorius: quo modo datam Basilio fefellerit.*

Sed quo nos rapit oratio, de Gregorii effuso in eloquentiam amore disserentes? Ad ipsum Gregorium revertamur, quem Athenis reducem in domo paterna reliquimus, media incedentem via quam inierat, ut simul voti sponsonem, qua Deo obligatus erat, impleret, et debitæ parentibus pietati faceret satis, sic agendo, vitamque instituendo ut alterum alteri non postponeret, sed utrumque expleret. Basilii quidem querelis respondens Gregorius, fatetur se promissis non stetisse, et fidem fefelisse. Verum promissa hæc et fidem datam Basilio intelligit, cui Athenis se cum ipso in solitudinem, ut vitam ageret solitariam, recessurum promiserat. His promissis, ut jam memoratum est, non stetit, hanc fidem fefellit: « (c) Haud sponte ac libenter; sed quod lex legem superarit, ea nimirum, quæ parentes colere jubet, legem sodalitatis ac familiaritatis. » Sed fidem datam Deo nullatenus fefellerit, promissisque stetit, eam primum in ædibus paternis vitam agendo, quam in solitudine acturum se fuerat pollicitus; ac deinde in eremo, in quam ubi primum licuit se recepit.

LIX. *Vitam quoque solitariam egisse Gregorium in Tiberina, in qua situm erat Arianzum, credibile est.*

Quin etiam credibile est Gregorium, cum Athenis in ædes paternas rediisset, hinc in Tiberinam regionem se contulisse, ubi Arianzum rus, ejus natale solum, situm erat non longe a Nazianzo; ut simul

(a) Or. 4, n. 101.

(b) Ibid., n. 100.

(c) Ep. al. 5.

(d) *Vita Basil.*, p. 46.

A et vitam solitariam ageret, et parentibus debitam charitatem posset exhibere; ac præterea datam fidem Basilio servaret, quem ut in hanc solitudinem se conferret litteris invitavit. Illuc venisse Basilium verisimile est, quamvis longas non duxerit moras. Novæ editionis epistolarum Basilii auctor agnoscit, primo Basilium in Tiberinam recipere sese voluisse, quod his epist. 14 verbis confirmat (d): « Nunc igitur intelligis, quo ego periculi stultus venerim, qui locum ejusmodi cum Tiberina, orbis terrarum barathro, commutare contenderim. »

LX-LXII. *Nihil minus esse videbatur Gregorius in domo paterna, quam quod reipsa erat. Molestias parit Gregorio rei familiaris cura. Basilium invitavit ut ad se veniat, ut omnia sint communia.*

B Quo ergo tempore Gregorius confectorum annis parentum curam gessit, nihil minus esse videbatur quam quod reipsa erat. Pars namque ejus philosophiæ hæc fuit, « (e) Non videri primariæ vitæ labores exantlare, magisque esse quam videri Deo amicium. Sed major eum tenebat monachorum amor, quamvis videretur inter multos versari. » Nec minus interea parentibus omnem exhibebat sollicitudinem, eorum senectam fovens, nihil magis pium ratus quam primum post Deum parentibus honorem præstare. Verumtamen rei familiaris curam sibi maximas fatetur attulisse molestias. « (f) Parentes quidem observans et fovens laborantes, spebus animi deliniebam, inquit, ut optimum aliquid adimplens, et imposito fungens a natura officio. Certo constat barathris refertam esse improborum viam, quandoquidem mihi etiam ex bono malum evenit. Nam multæ me et molestæ sollicitudines, quæ mentem ac niembra die ac nocte rodunt, e cælo animam in terras dejiciunt. Primum quidem servis imperare quale exitii rete? qui acerbos quidem dominos semper oderunt, pios autem impudenter conculcant; nec malis placidi, nec bonis dociles. . . Deinde vero rem familiarem administrare, et Cæsaris pondus humeris semper sustinere, ac duram audire exactoris vocem... Posthac autem circa frequentis fori tumultum, et sedes excelsas, miseris litibus sollicitos versari, et sermonum detigantium strepitu obtundi, ac legum volubilibus laqueis molestias pati; ubi pugnae et labores, ac malis plus tribuitur quam bonis, ipsique legum arbitri utrisque venales; et improbus si ditior sit, is optimus est. » Licet tota hæc Gregorii ratio in vitæ instituto, laude atque admiratione digna videatur, dubitat tamen vir sanctus (g), an hinc sibi omnis vitæ difficultas asperitasque fluxerit, per quam incommodum ac salebrosam ad philosophiam iter habuerit, nec desiderio suo aumique proposito satis dignum. Quare Basilio scribens objectanti, quod una secum in solitudinem sese non recepisset, quemadmodum ab Athenis se facturos mutuo promiserant, da-

(e) Carm. *De vita sua*, v. 525.

(f) Carm. *De reb. suis*, v. 157 et seq.

(g) Or. 43, n. 25.

tuncque fidem sefellisset, id ultro fatetur, ac promittit deinceps se fidem servaturum. « Fidem sefelli, inquit (a). . . non autem prorsus fallam, siquidem hoc gratum tibi futurum est. Partim enim nos tecum erimus, partim ipse nobiscum esse ne, quæso, graveris, ut omnia sint communia, et æqualis amicitia. Sic enim fiet, ut nec parentes mœrore afficiamus, et te fruamur. » Ita Gregorius amicum invitat ut ad se veniat, scilicet in solitudinem Tiberinæ regionis, quæ cum Nazianzo vicina esset, id moleste non ferrent parentes, quibus etiam posset sollicitudinem impendere, et simul cum amico solitariam vitam agere, ut pollicitus fuerat. Non igitur Basilius Gregorio, ut visum Bollandistis (b), sed Gregorius Basilio suadere conatus est ut in Tiberinam regionem secederet. Recte tamen aiunt se non dubitare, quin Arianismum excurrerit Basilius ad visendum amicum.

LXIII. Basilius, exstructo monasterio, Gregorium allicere conatur.

Interea Basilius, qui docendi munus apud Cæsarienses abjecerat, ad quod eum piissima soror Macrina, nec non Gregorius impulerant, varia in Oriente et Ægypto invisit monasteria, et circa annum 358 in patriam reversus, nulla interposita mora, in solitudinem sese recipit, ardens studio præclara virtutum exempla imitandi, quæ in monasteriis Ægypti, Palæstinæ, Cœlesyriæ et Mesopotamiæ, non sine stupore conspexerat. Idoneum secessui locum ad ripam Iridis fluvii, qui ex Armenia ortus Pontum irrigat, ab omni prorsus hominum consuetudine remotum elegit e regione monasterii, quod ad alteram ejusdem fluvii ripam Macrina construxerat.

LXIV. In solitudinem ad Basilium se confert: ambo vitam asceticam agunt. Vitæ austeritas, rerum inopia, manuum labor, etc.

Illic primus omnium in Cappadocia vitam cœnobicam, quam solitariæ longe præferendam existimabat, instituit Basilius. Optaverat fratrem aliquem reperire, qui vitam asceticam profiteretur, ut una cum eo brevem hujus vitæ fluctum pertransiret. Speraerat se cum Gregorio victurum; sed imposita amico fovendæ parentum senectutis necessitas impedimento fuit, quo minus id quod inter se, cum Athenis versarentur, pacti fuerant, exsequerentur. Quapropter eo destitutus præsidio, postquam varia lustravit monasteria, solus in solitudinem se recipit; cujus delicias ubi primum delibavit, datis ad Gregorium litteris, perjuvanda loci descriptione eum allicere conatus est. Gregorius amici et solitudinis desiderio flagrans, quam primum licuit, in Pontum ad Basilium se contulit, anno 358 vel 359 (c). Illic miratur et laudat eximiam fratrum, quos ad pietatem Basilius instituebat, concordiam; suavem psalmodiarum et hymnorum cantum, quo magnopere delectatus fuit; vitam pauperem, quæ illic

agebatur, et quam ipse traduxit, cum panis adeo durus apponeretur, ut dentes frangeret; tantaque erat rerum omnium inopia, ut nisi mater Basillii opportune succurrisset, moriendum fuisset. Commemorat etiam Gregorius laborem manuum, Augiæ solum e domo exportatum ut horti fertiles redderentur, ac immane plaustrum sua et Basillii cervice manibusque tractum. His addit lignorum comportationes et lapicidas. arborum consitiones et irrigationes.

LXV. Studio sacrarum litterarum incumbit, eoque studio mirifice delectatur Gregorius.

Quod supererat otii ab asceticæ vitæ muniis, Scripturarum meditationi impendebant. Id longe gratissimum erat Gregorio, cui de vitæ instituto consultantis ac fluctuanti utrum eligeret, illud præ aliis eligendum visum fuerat, in quo frequentius ac liberius sacros libros versare ac meditari posset. Ambo igitur concordibus animis, pari studio parique successu sacræ huic lectioni incumbunt, atque eos fructus percipiunt, qui non modo in suam ipsorum, verum etiam in Ecclesiæ totius utilitatem redundarunt. Nullus dubito quin hæc ad primum Gregorii secessum pertineant, nec dubitare sinunt hæc verba ipsius Gregorii Basilio scribentis, et post aliquot annos pristinas illas delicias, quas cum ipso in secessu degustaverat, desiderantis (d): « Quis me secundum pristinorum illorum dierum statum constluet, in quibus ego tecum afflictionem pro deliciis habebam?... Quis psalmodias illas et vigiliis dabit, atque ad Deum per orationem peregrinationes, illamque velut materia vacantem et incorpoream vitam? Quis fratrum eorum, qui a te diu efficiebantur atque in altum evehebantur, concordiam animorumque conjunctionem? Quis virtutis certamen, et ad eam incitationem, quam scriptis legibus ac regulis obfirmavimus? Quis divinarum oraculorum studium, lucemque in ipsis ductu atque auspiciis Spiritus sancti inventam? » Cum autem in Scripturarum studio plus antiquis scriptoribus quam ingenio proprio tribuerent, plurima ex Origene collegerunt observatione digna, quæ in unum corpus redacta *Philocaliam* appellantur.

LXVI. Philocalia et Regulae monasticæ sunt fructus studiorum Basillii et Gregorii.

In ediscendis Scripturis Basilius et Gregorius mutuam sibi operam præstabant, familiares etiam de his inter se sermones conferendo, cum in eremo, ubi testantur eas se didicisse, versarentur. Sed præcipuum in divinarum oraculorum studio magistrum habuere Spiritum sanctum, cujus ductu et auspiciis lucem in ipsis a se inventam declarant. Præter *Philocaliam*, alius exstat fructus commorationis Gregorii in monasterio Basillii, et commune ntriusque opus, ut ex ipso Gregorio discimus, nempe leges monasticæ et regulæ. « Quis da-

(a) Ep. al. 5.

(b) 9 Maii p. 385, col. 4, not. B.

(c) Greg. ep. al. 9.

(d) Ep. al. 9.

bit virtutis certamen, et ad eam incitationem, quam scriptis legibus ac regulis obfirmavimus? Quæ Gregorii verba dubitare non sinunt, quin ad has leges regulasque vitæ monasticæ scribendas suam cum Basilio operam contulerit. Quod ni fecisset, certe vir modestus de se non prædicaret.

LXVII. *Voti compos fit Gregorius, mediam carvens viam inter anachoretas et mygades.*

Sic in Basillii monasterio quiete ac solitudine fruebatur. Hanc ab initio adamarat, eam in maximis gravissimisque periculis Deo voverat. Voti compos factus, mediam carpebat viam, quam dudum animo conceperat, inter anachoretas, et mygades; cum illis meditari, cum istis Scripturas versare et aliis prodesse; cum illis contemplari, cum iatis agere poterat. Psalmis, hymnis, orationibus, vigiliis, inediæ, meditationi Scripturarum die nocteque vacabat. Quid plura? Habebat quod tota mente perterat, eoque vitæ genere, licet asperrimo, sic oblectabatur, ut peractis in eo annis duobus, se « nonnihil attigisse quod optaverat, ac velut in lamine esse » dicat (a), « atque ex ipso gustu majore desiderio exarsisse. » Illis namque verbis utitur pro eo, quo solitudinis amore flagrabat; cujus desiderio ita tenebatur, ut plures etiam anni breve tempus visi fuissent.

LXVIII. *Gregorium ab eremi deliciis in domum paternam revocat pius ergo parentes.*

Haud tamen credimus tredecim annos, ut narrat Rufinus, Gregorium in Basillii monasterio versatum fuisse, in quod se receperat anno 358 vel 359, et ex quo extractus est anno 360 aut 361, ut ad patrem se conferret, qui tali auxilio se destitui ægre patiebatur. Sic pietas erga parentes, quæ reversum Athenis Gregorium Nazianzi retinuerat, eum ab eremi deliciis ægre avulsus rursus Nazianzum revocavit. Primus hic Gregorii secessus ab altero, qui contigit postquam presbyter creatus fuit, discernendus est, ut recte observant Bollandistæ adversus Baronium, quem etiam refellunt.

LXIX. *Gregorium revocare conatur Basilius.*

Gregorium absentem, datis ad eum litteris, in solitudinem revocare conatus est Basilius, cui amicus rescripsit. Hinc jocosæ illæ utriusque litteræ utro citroque datæ: Gregorii laudantis suam Tiberinam, et Ponticas silvas posthabentis; Basillii vero cavillantantis Tiberinam, et Ponticas solitudines celebrantis. Sed quamvis jocaretur Gregorius, quam maximo tamen relicta solitudinis desiderio se teneri dissimulare non potuit, hisque verbis declaravit (b): « Quæ de Pontica commemoratione prius scribebam, joco, non serio scribebam: quæ autem nunc scribo, admodum serio scribo. Quis me secundum pristinorum illorum dierum statum constituet, in quibus ego tecum afflictionem pro deliciis habe-

A bam?... Sed hæc optare quidem perfacile, consequi autem non perinde facile. At tu mihi adesto... Equidem ipse te magis quam aerem spiro, idque solum vivo, quod tecum sum, vel coram, vel absens per animi simulacrum. »

LXX, LXXI. *Presbyter creatur, et fugit in Pontum. Revertitur ad diem festum Paschæ, primamque habet orationem. In longiori postea, fugæ et redditus rationem reddidit.*

Citius tamen, quam spes erat, id consecutus est Gregorius. Cum enim suus eum pater invitum ac reluctantem presbyterum creasset, hac tyrannide, sic enim appellat (c), offensus, ad Basilium recurrit, tum ut dolorem suum amici colloquiis leniret, tum etiam ut quid sibi agendum esset cum eo deliberaret. Eum vicesima quinta Decembris, quæ Natalis erat Domini dies, ordinatum fuisse, atque in Pontum fugiæ die festo Luminum, qui paucis post diebus celebratur, arbitramur cum Niceta et Tillemontio: sed brevissimo post tempore in patriam reversus est, nempe ad diem Paschæ. Unde in oratione quam habuit, « Mysterium, inquit (d), unxit me: mysterio paulisper cessi, ut me ipsum inspicerem et explorarem; cum mysterio etiam simul introeo. » Quibus verbis significat, se die festo, cum creatus fuisset presbyter, discessisse, et die etiam festo rediisse. Quod annum spectat, is erat 362; si quidem Julianus nondum in Cappadociam venerat, nec in Christianos adhibuerat eam crudelitatem, cujus horrenda reliquit monumenta in regionibus, quas Constantinopoli profectus mense Maio anno 362, Antiochiam petens, peragravit, quibus postea cumulum in Oriente imposuit. Gregorius namque in *Apologetico*, quem scripsit, vel declamavit, exponens quas ob causas, postquam presbyter creatus fuerat, in Pontum fugisset, ac rursus Nazianzum rediisset, hæc de Juliano verba facit (e): « Nec vero externum bellum metuo, nec feram illam, quæ nunc adversus Ecclesias impetum fecit, etiamsi ignem minetur, etiamsi gladios, » etc. His perspicue liquet, nondum Apostatam in Cappadociam venisse, et crudelitatem exercuisse, sed tantum minas intentasse, ex quibus Gregorius quid facturus esset suspicatus hæc scripsit. Gregorius igitur creatus est presbyter die 25 Decembris anni 361: cumque fugisset in Pontum, inde ad suos reversus est ad diem Paschæ anni 362, eoque die brevem de festo habuit orationem; sed paulo post prolixam exaravit seu declamavit, in qua cur in Pontum fugerit ac inde redierit rationem reddit.

LXXII. *Bis e solitudine avulsus Gregorius.*

Itaque bis in Ponticam eremum sese contulit Gregorius; bis amata solitudine avulsus est, et Nazianzum e Ponto ad suos redire coactus. Primo quidem circa annum 361, secundo ad diem Paschæ anni 362, cum die xxv Decembris anni proxime

(a) Or. 2, n. 6.

(b) Ep. al. 9.

(c) Carn. *De vita sua*, v. 351.

(d) Or. 1, n. 2.

(e) Or. 2, n. 87.

elapsi creatus fuisset presbyter. Secundæ in Pontum profectionis et reditus causas ipse in oratione, quæ primum olim, nunc secundum occupat locum, prosequitur. Cur vero pater eum e Basilii monasterio extraxerit, et Nazianzum redire anno 361 compulerit, perinde non est perspicuum. Nihil moror quæ Baronius in sua Gregorii Vita scripsit. Is enim utramque Gregorii nostri in Pontica solitudine commorationem confundens, et perturbans tempora, quod Bollandistæ non semel observant, ad Valentis usque imperium, « (a) Qui Arianae perfidiae favens, adversus Catholicos concitavit turbas, Gregorii reditum promovet. Fuit id in causa, inquit Baronius, ut pater Gregorii vehementius ageret, ut filium ab eremo revocaret. Erat enim jam longo senio hebetior, et ut subeundis laboribus impar eum precibus urgebat, ut pater jussis, ac denique ut episcopus cogebat imperio. Licet enim diutius surdo, ut aiunt, fabulam ingessisset, flexit tandem, coegit extorsitque ab invito, revocaturque filium Nazianzum. Qui reversus in patriam, habuit egregiam illam orationem, quæ inscribitur *Apologeticus*... Dixit etiam tunc præclaram eam orationem, cujus est titulus, *In sancta lumina*, » etc. Hæc Baronius. Egregia oratio, quæ inscribitur *Apologeticus*, habita est sub Juliano, non vero sub Valente; oratio autem *In sancta lumina*, non « tunc, » ut vult Baronius, sed anno pene elapso.

Haud negaverim turbas ab Arianis excitas in causa fuisse cur Gregorius Nazianzum redierit; sed, ut id concedam, certe non has esse turbas arbitrator, quæ a Valente sunt excitatæ, ut visum est Baronio. Vix etiam adduci possum ut credam cum doctissimo Tillemontio, Gregorium patrem formulæ Ariminensi tunc subscripsisse, et jam ab ejus communionem Nazianzenos monachos discessisse, cum ejus filius, relictis Ponticæ solitudinis deliciis, Nazianzum rediit anno 361; idque causæ fuisse cur rediret, ut opem ferret longævo patri, qui Ariminensi formulæ subscripsisset, quo e luto emergeret.

J.LXXIII-LXXV. Turbas Ariani excitant. Fraus Arrianorum. Multos in fraudem impellunt.

Magnas quidem turbas anno 360 excitant Ariani, qui post luctuosas synodos, Ariminensem in Occidente, Seleucianam in Oriente, habitas anno 359, item etiam Constantinopoli anno 360, Constantii Augusti præsidio freti, vi et arte rem agebant; omnesque episcopos, in tota quam late patebat Ecclesia, formulæ, quæ ipsorum impietatis totum virus artificiose tectum continebat, subscribere cogebant. Fuit enim ea fallacia et dolus Arianorum, ut *ἁποούσιον* subscribendum ac profitendum traderent, unius litterulæ mutatione magnam sensus discrepantiam adducentes; Filium nempe non ejusdem substantiæ cum Patre, quod *ἁποούσιον* signifi-

cat, sed similis dicerent, *ἁποούσιον*, hoc est consimilem Patri et non consubstantialem prædicarent. « Erat autem, inquit Gregorius (b), in promptu atramentum, et calumniator a tergo. Ea res per multos e nobis, invictos alioqui viros, in fraudem impulit; qui quamvis mente nequaquam prolapsi fuerint, tamen subscriptione transversus acti sunt, et cum illis, utroque nomine sceleratis, consenserunt; ac si non flammæ, fumi certe participes fuerunt. » Tanta inde secuta est Ecclesiæ catholicæ tempestas, ut qui videbantur esse templi columnæ, prostrati, vel saltem concussi sint, si quidem etiam nolentes seducti sunt; atque, ut Hieronymi verbis utar, ingemuerit orbis, et Arianum se esse miratus sit.

LXXVI. Formulæ Ariminensi post medium annum 362 subscripsit Theologi pater.

In eorum tamen numero, qui Ariminensi formulæ tum subscripserunt, scilicet Constantii imperatoris tempore, non fuisse Gregorium, nec eum nisi post medium annum 362 subscripsisse, ortamque esse inter episcopum et monachos Nazianzenos discordiam tam multis probatur momentis, ut nullum de ea re dubium esse possit. Primo quidem Gregorius noster non ait (c), jussa Constantii imperatoris, aut rerum perturbationem, quæ tunc summa fuit, subscribendi causam suo fuisse patri, sed desiderium pacis et cum nonnullis ineundæ communionis. Secundo ante istud dissidium, Ecclesiam Nazianzenam arcam Noe vocari solitam esse, ut quæ universi orbis diluvium sola effugisset, testatur Gregorius (d). Testis profecto mendax foret, si Nazianzenus episcopus dolis Arianorum deceptus fuit tempore Constantii; falsoque dixisset commune universi orbis diluvium effugisse Nazianzenam Ecclesiam, cujus Ecclesiæ episcopus ipse artificiosis verbis circumscriptus in oravam societatem pertractus fuisset.

LXXVII-LXXVIII. Schisma monachorum ob subscriptionem Gregorii patris, non contigit sub Constantio. Brevis fuit hæc discordia.

At longe graviora suppetunt momenta. Cum Gregorius e Ponto Nazianzum reversus est ad diem festum Paschæ anni 362, summa pace fruebatur Ecclesia Nazianzena, quam magnis effert laudibus: nec veretur dicere (e) se non concessurum, ut « amplissimæ civitates, gregesque numerosissimi ulla in re Nazianzenæ Ecclesiæ præferantur. » Nulla ergo Nazianzi discordia fuit anno 362, nec ulla etiam Gregorii patris tunc erat subscriptio, e qua dissidium erupit. Quinimo recens erat tumultus, cum Gregorius noster primam contra Julianum orationem scriberet, ut his verbis manifestum est (f): « Atque utinam ille quoque cœtus ad chorum nostrum se adjungeret, qui, cum prius cantionem haudquaquam adulterinam atque ignobilem nobis-

(a) 9 Maii, p. 388.

(b) Or. 21, n. 23.

(c) Or. 18, n. 18.

(d) Ibid., n. 47.

(e) Or. 3, n. 6.

(f) Or. 4, n. 10.

cum Deo accineret, ac dextro quondam ordine dignus haberetur, atque etiam brevi, ut confido, haberetur. haud scio qua re commotus, repente tantum in diversum mutat, alioque gradu atque ordine sese collocat; ac ne ob communem quidem lætitiā, quod etiam magis miror, adduci potest ut nobiscum conjungatur. » Hæc profecto verba, « cum prius cantionem ... nobiscum Deo accineret ... repente tantum in diversum mutat, » dissidium monachorum recens ortum fuisse indicant satis; nec non spes illorum reditus, lenitas qua eos ut membra sua complectitur Gregorius (a); ac demum quod non semel ait (b) monachos omnium postremos discessisse. Ex his etiam pariter conficitur recentem quoque fuisse Gregorii subscriptionem, vel certe eum non longe antea subscripsisse. Etenim si sub Constantio, anno 360 vel 361, subscripsisset episcopus Nazianzenus, quomodo monachi indignationem suam ad annum usque 363 corde pressissent? Aut si tandiu presserunt, cur discessionem subito et præcipiti consilio tribuit Gregorius? Quomodo, inquam, indignationem suam tam longo tempore pressissent monachi, quos ipse (c) « ferventiorē Ecclesiæ partem appellat? Qui, » ut idem Gregorius ait in alia oratione (d), « tametsi alioqui pacati ac moderati sint, hac tamen in re lenes et faciles esse non sustinent, cum per silentium et quietem Dei causa proditur; verum hic admodum bellaces sunt, atque in confligendo acres et feroces, hujusmodi enim zeli æstus est, citiusque aliquid, quod non oporteat, tentaverint, quam quod ex officio sit prætermiserint. » Videant, qui Gregorium patrem, sub Constantio, Ariminenſi formulæ subscripsisse arbitrantur, ex quo sequeretur monachos per duos aut etiam tres annos indignationem suam dissimulasse, quomodo hæc conciliare valeant; maxime vero cum ex Gregorio breve fuerit dissidium. « Eos enim, qui ob pietatis zelum dissidebant, inquit (e), et sibi et cæteris reconciliavit (Gregorius pater) postremos a vobis sejunctos, et primos reversos. » Brevissima, inquam, illa fuit divisio, teste Gregorio, qui « eam calamitatem hactenus durasse scribit (f), ut per hoc dissidium, quantum pacis bonum esset, qui divisi fuerant, intelligerent, statimque odium illud odio haberent ac detestationi. Qua pacis celeritate subreptum penè fuit et obscuratum, quod in medio contigit. » Ecquis autem resarcitum tam « celeriter » et redintegratum, vix ut exstitisse credatur, atque etiam breve dissidium putet quod annis tribus ad minimum aut quatuor perseveraverit? Quis credat tot annis indignationem suam pressisse monachos, quos « admodum bellaces atque in confligendo acres et feroces » scribit Gregorius noster (g)?

Quid plura? Quandiu discissa fuit Nazianzena

(a) Or. 6, n. 10.
 (b) Or. 18, n. 28.
 (c) Ibid.
 (d) Or. 21, n. 25.
 (e) Or. 18, n. 18.

A Ecclesia, Gregorius obmutuit, ut ipse testatur. Nondum ergo discissa erat, cum primos tres ad populum sermones habuit anno 362. Idque etiam inde patet, quod non modo nihil in his orationibus contra dissidium, nihil de pace dicat Gregorius, quod profecto non omisisset orator pacis amantissimus; verum etiam Nazianzenam Ecclesiam (h) « uno eodemque animo unum idemque sentientem » laudet.

LXXIX. *Sub Juliani finem subscripsit impiæ formulæ, sed illæsum cor servavit.*

Non igitur sub Constantio, sed vergente ad finem Juliani imperio, formulæ minus orthodoxæ videtur subscripsisse Gregorius, deceptus Arianorum dolis, qui, absente filio, nacti opportunam senem circumveniendi occasionem, specie pacificationis eum in pravam societatem pertraxerunt. Dixi, absente filio, qui interdum paternæ domus sollicitudini se subtrahens, in amicam Ponti solitudinem ad Basilium evolare solebat; nunquam enim eo præsentem patri insidias struere ausi fuissent. Magnas in Ecclesia Nazianzena turbas excitavit Gregorii scriptio, et statim monachi ab ejus communione discesserunt; quod anno 363 contigit, si quidem nondum discesserant, cum anno 362 Nazianzenæ Ecclesiæ concordiam laudaret Gregorius; recens autem erat discessio, cum primam contra Julianum jam extinctum invectivam scriberet. Denique dissidio, quod diuturnum non fuerat, sedato, composito, etc., instaurata est concordia anno 364. Monachos enim a se « ob pietatis zelum » dissidentes sibi et cæteris reconciliavit Gregorius, tum ob ipsius reverentiam, tum ob dogmatis paritatem. « Solus namque, ut ait Gregorius noster (i), illæsam mentem, minimeque simul cum atramento infectam animam habere creditus est, tametsi per animi simplicitatem abreptus fuisset, dolumque ob animi sinceritatem ab omni dolo alienam minime cavisset. » Ita gravis Ecclesiæ Nazianzenæ tempestas sedata est Gregorii episcopi precibus et admonitionibus, nato interim pietatis et operæ socio; qui cum patri ad omne bonum comes et adjutor esset, ac velut a latere curreret, hic Dei beneficio multo maximam laboris studique partem contulit.

LXXX. *Theologus loquitur perinde ac si reus ipse foret, quod pietati erga patrem tribuendum est.*

Miretur forsitan quispiam cur Gregorius, de seditione adversus patrem suum excitata a ferventiore Ecclesiæ parte verba faciens, perinde loquatur ac si ipse reus esset et cum patre in pravam societatem pertractus fuisset: « Nam cum, inquit (j), a ferventiore Ecclesiæ parte ob eam causam seditio in nos excitata esset; quod scripto

(f) Or. 6, n. 9 et 12.
 (g) Or. 21, n. 25.
 (h) Or. 3, n. 6.
 (i) Or. 18, n. 18.
 (j) Or. 18, n. 18.

quodam et artificiosis verbis circumscripti, in pravam societatem pertracti fuisset. » Verum absit ut arbitremur Gregorium nostrum, doctrinæ catholicæ pugilem egregium, simul cum patre ab Arianis deceptum fuisse. Id enim pietati erga parentem et humanitati datum videri debet, quod de culpa velut communi loquatur. Cum autem non seipsum, sed solum patrem excuset, « (a) qui solus illæsum cor habere, nec simul animam cum atramento fœdassee creditus est, » indicat seipsum non subscripsisse, adeoque nec externa actione errasse. Præterea observandum, culpam subscriptionis paternæ præcipue derivatam in filium, quod cum patre, ut videbatur, lapso communionem retineret, nec ab eo se se, uti ferventiores, separaret.

LXXXI. *Præclara Gregorii in hanc rem sententia.*

Huic nostræ de dissidio Nazianzenæ Ecclesiæ et instaurata pace disquisitioni finem imponamus præclara in hanc rem Gregorii sententia : « Nihil, » ut observat vir sanctus in oratione quam de pace habuit (b), « eos, qui sincero animi affectu Deum colunt, æque inter se conciliat, atque consentiens de Deo doctrina; quemadmodum contra nihil ad dissidium ita promptum ac paratum est, ut diversa in hac re animorum sententia. Hic enim, etiam qui aliis in rebus æquissimus et facillimus est, ferventissimus existit; ac mansuetus vere pugnax efficitur, cum se per lenitatem Dei jacturam facere, imo, ut rectius loquar, per prolapsionem suam, Deum, qui nos et pro divitiis habet et divites reddit, damno afflicere conspiciat. Sic igitur, nos in ipsa quoque contentione moderatius nos ipsos gessimus; adeo ut concordia disjunctione ipsa clarior fuerit, ac per ea, quæ utrinque læta et commoda exstiterunt, id, quod in medio contigit, pene subreptum et obscuratum. »

LXXXII. *Nascenti in Ecclesia Cæsariensi discordiæ mederi satagit Gregorius, et orationes in Julianum elaborat*

Quo tempore discissa erat Nazianzena Ecclesia, aliud schisma non minus exitiale Cæsariensi Ecclesiæ impendebat, et jamjam erat oriturum ex similitudinibus, quas Eusebius Cæsariensis episcopus, præsul licet morum honestate clarus et pietate insignis, adversus Basilium exercebat; cujus rei causa optimorum quorumque, præcipue vero monachorum, in se odium concitavit. Hi namque, iniquo animo ferentes ducem suum Basilium ab Ecclesiæ administratione removeri atque injuria affici, statim audaci facinore ab episcopi communionem recedere statuunt, secumque partem plebis et honoratorum non exiguam abstrahunt. At Basilium, filium pacis, non is erat, qui sua causa Ecclesiam lacerari pateretur; consiliario et hortatore Gregorio utens, una cum illo in Ponticam solitudinem secessit : « Nobis, in-

A quit, Gregorius (c), hac in re consultoribus ac sinceris monitoribus usus, nobiscum in Pontum profugit. » Secessionem illam anno 364 exeunte, aut in-eunte 365, collocandam esse probat auctor *Vite sancti Basilii*, cap. 9, n. 6 : itaque jam extincto schismate Nazianzeno contigit.

Basilium autem presbyterio nondum initiatum, et in solitudine agentem, anno 363, Gregorius convenerat : sublato scilicet e vivis Juliano Apostata, et adhuc flagrante Nazianzeno schismate; ibique ambas in Apostatam orationes scripserat, adjuvante seu consiliante Basilio, ut ex his secundæ Steleuticæ (sic enim illæ nuncupantur) verbis colligunt eruditi : « Hæc tibi Basilius et Gregorius, » etc. Non imprudenter, ut Petro Cuneo videtur, Julianum, B « tanquam in scena, palam omnibus ludibrium fecit; » sed multis et magni momenti rationibus Apostatam publice proscindere compulsus est. Præcipuas tantum cæteris, brevitatis causa prætermittis, exhibemus. (d) Primo igitur oportebat, hoc exemplo eos in veritate confirmari, qui cum universarum quidem rerum Deum confiteantur, tamen ob animæ suæ levitatem, superbiente impio, cogitationibus incenduntur, peccatorum pacem non ferunt, nec Dei consilium expectare sustinent. (e) Deinde Juliani facinorum enarratione gentilibus ostendendum erat, « quid illos dæmones doceant. » (f) Tandem ipsi fideles, eorum quæ passi fuerant expositione, commonendi fuerunt, ne tempestatis in tranquillitate obliviscerentur, « nec morbi in sanitate, nec captivitatis, incolumes in Jerusalem reversi, nec Ægypti post Ægyptum. » Ex his orationibus duæ præterea discimus, quorum prius ad historiam Gregorii et Basilii pertinet; alterum fidelibus, qui sub impio rege vivunt, erudiendis idoneum est. Itaque Gregorius se et Basilium postremos ad persecutionem a Juliano reservatos esse docet, sic eum compellans (g) : « Hæc tibi Basilius et Gregorius... quos cum et vita et sermone, et mutua concordia claros et celebres jam inde a Græcia nosces... postremos ad persecutionem reservabas. » Fortunæ templum a Cæsariensibus Cappadociæ sub Juliano eversum, pœnas factum ob illud ab eis sumptas memorat et propriam eo de negotio sententiam in prima Steleutica Gregorius aperit hoc modo (h) : « Quæ » Julianus « in Cæsarienses nostros admisit, hos, inquam, animi magnitudine præditos, ac pietatis studio ferventes, ita ab eo exagitatos, ac per contumeliam vexatos, fortasse ne objicere quidem æquum fuerit. Etenim ob Fortunam, fortunatiori tempore infortunio affectam, justa indignatione commotus, ad hanc ultionem progressus esse videbatur : quandoquidem injustitiæ dominantis nonnihil concedendum est. » Cæterum in proscindendo Apostata Gregorium nultatenus modum excessisse, et in Montis jam deum

(a) Boll., 9^o Maii, p. 385.

(b) Or. 6, n. 12.

(c) Or. 43, n. 29.

(d) Or. 4, n. 8.

(e) Or. 5, n. 36.

(f) Ibid., n. 34.

(g) Or. 5, n. 39.

(h) Or. 4, n. 92.

stratum fuit; et si quid superest dicendum, in prolegomenis tomi secundi addetur.

Orationibus illis ad finem perductis, (a) cum Basilius Cæsaream venisset, atque ab Eusebio civitatis episcopo, mense Septembri anni 364, presbyter creatus esset, dolorem inde conceptum, datis ad Gregorium litteris, significavit; cui Gregorius ita respondit (b): « Epistolæ tuæ procemium laudo. Quid autem tuorum non est laudandum? Ac tu captus es, quemadmodum nos quoque circumscripti: quandoquidem ad presbyteri gradum pertracti sumus... Hoc non fieri fortasse quidem præstitisset... Quoniam autem factum est, ferre necesse est, ut mihi quidem videtur, ac præsertim ob tempus istud, quod multas nobis hæreticorum linguas invehit. » Hoc tempus ad Valentis imperatoris initia referendum esse, cum scilicet Ariani ejus patrocinio freti omnia ex arbitrio suo successura sperarent, auctor *Vitæ sancti Basilii* (c) certissimis argumentis comprobavit. Non multo post evenere Basilii cum Eusebio episcopo suo simulatas, antea memoratæ; quarum quidem componendarum hæc fuit occasio.

LXXXIII. *Ad spiritualem conventum sive ad diem festum ab Eusebio invitatur Gregorius.*

Gregorius ab Eusebio ad aliquem conventum spiritualem, sive diem festum, perhonorifice vocatus rescripsit (d), et de illata Basilio injuria libere conquestus est. « Honore quidem me abs te affici lætor... Verum contumeliam charissimo fratri Basilio a tua pietate illatam esse, atque etiamnum inferri moleste fero... Tu dum eo contempto nos honore afficis, perinde mihi facere videris, ac si quis unius viri caput altera manu demulceat, altera malam feriat; aut etiam convulsis domus fundamentis parietes pingat, atque externas partes exornet. Proinde si quid mihi obtemperandum putabis, hoc facies. Ut autem obtemperes, abs te peto atque contendo: æquum est enim. Si illum, ut par est, colueris, ipse quoque ab eo vicissim observaberis. Nos autem sequemur, quemadmodum umbræ corpora, utpote parvi et ad pacem propensiores. » In contumeliam accepit Eusebius libertatem Gregorii, qui rescripsit (e), se non contumeliose, sed accommodate ad leges spiritus, scripsisse; æquum enim esse, ut sibi Eusebius, quamvis gradu superior sit, justam libertatem concedat. Mox in alia epistola (f) Eusebio significavit Gregorius, se nullam animo offensionem suscepisse; sed etiamsi suscepisset, libenter depositurum cum videat feras in Ecclesiam irruentes, et generose resistentem Eusebium; cui se venturum, si ita ipsi videatur, promittit, ut cum eo adversus hæreticos pugnet.

LXXXIV. *Inter Eusebium et Basilium pacem componit Gregorius.*

Non ingratham fore operam suam Eusebio certior factus Gregorius, ad eum illico se contulit; cumque

(a) *Vita Basil.*, c. 9, n. 11.

(b) *Epist.* al. 11.

(c) *Cap.* 4, n. 1.

(d) *Epist.* al. 20.

A ipsum tempore mollitum, ut ferrum igne, et ad redendam Basilio benevolentiam propendere, imo ad scribendum ut eum placaret, haud dubiis testimoniis intellexisset, id amico quantocius significavit, atque cum hortatus est Gregorius, ut episcopum occuparet, aut adveniendū aut scribendo, simulque itineris se comitem futurum pollicetur. Annuit Basilius, et confestim eum Gregorius (g) e Pontica solitudine in arenam certaminis educit. Tam prudenti consilio, de Basilio, de Eusebio, de Ecclesia Cæsariensi optime meritus est Gregorius; extinctæ namque sunt simultates, instaurata concordia, profligati Ariani, qui cum alias jam Ecclesias vicissent, alias oppugnabant, alias victuros se sperabant; nec ulla re magis ad spem evertendæ Cæsareæ, cui Valens imperator agmine Arianorum episcoporum stipatus imminebat anno 365, erigebantur, quam Basilii absentia et ducis imperitia. Reportata ex Valente Arianisque episcopis victoria, cujus pars magna fuit ipse Gregorius, Basilium cum Eusebio tam arcte conjunxit, ut nec episcopo molestum esset ab eo, quem dignitate superabat, scientia et eloquentia et consilio et virtute superari; nec Basilius ideo episcopum minus coleret et observaret, quod eo tot esset partibus superior ac præstantior. Tillemontius, Hermantius, Pagius, Baronius, Bollandistæ, alii aliis annis hæc contigisse arbitrantur. Nos vero cum novissimo Basilii epistolarum editore, Basilium anno 364, vel ineunte 365, secessisse, et eodem anno Gregorii operam et consilio Cæsaream rediisse, ac de Valente Arianoque agmine victoriam reportasse existimamus.

LXXXV. *Ætas et morbi parentum abesse Gregorium non sinunt.*

Non diuturna fuit hæc postrema Gregorii in Pontica solitudine commoratio, cujus nequidem mentionem facit in carmine *De vita sua*. Neque enim tam necessario filii auxilio provecta parentum ætas longo tempore destitui patiebatur, atque etiam frequentes morbi, quibus eorum senectus patebat; quique Gregorium domo exire non sinebant; vel eum, si quando aberat, revocabant. Sic Basilio instanti ut in solitudinem se conferret, excusat se, morbum matris afferens. « Assidemus enim, inquit (h), dominæ matri, gravi jampridem morbo laboranti. Quam si non dubio et ancipiti statu relicturi sumus, tua præsentia mihi crede haudquaquam carebimus. » Gravem quoque patris morbum in oratione decima octava, qua laudes ejus prosequitur, narrat; quo singulari Dei beneficio repente liberatus est, adeo ut quo die moriturus putabatur, consurgens synaxin cum populo celebraverit. In eadem oratione, matrem gravi morbo laborantem, insperato nec minori miraculo, ut quoddam visum ei divinitus ostensum docuit, ab ea ægritudine qua detinebatur, refert convaluisse.

(e) *Ep.* al. 169.

(f) *Al.* 170.

(g) *Ep.* al. 19.

(h) *Epist.* al. 4.

LXXXVI. *Ingentem Gregorio dolorem parit Cæsarii fratris mors; et post ejus obitum molestissimis est obrutus negotiis.*

Si parentibus senio confectis, atque graviter interdum ægotantibus, curam sollicitudinemque frequenter impendere coactus est Gregorius; longe graviores curas, seu molestias ipsi Cæsarii fratris, thesaurorum præpositi in Bithynia, mors attulit. Cum Nicæa, terræ motu longe post hominum memoriam maximo, tota pene subversa est die undecima Octobris anni 568, solus ex viris insignibus, aut certe cum admodum paucis, mirabili divinæ providentiæ beneficio Cæsarius incolumis evaserat. At non diu vitam produxit, quippe mortuus eodem anno desinente, vel incipiente proximo, seu 25 Januarii 569, ut volunt Bollandistæ. Cæsarii obitu, Gregorius, cui rei familiaris cura incumbabat, invisus negotiis obrutus fuit. Cum enim munere publico fungeretur Cæsarius, quo tempore mortuus est, suaque omnia pauperibus eroganda reliquisset, mox ut extremum halitum efflavit, « (a) Hostes, » nempe curiales illi harpagonæ, « impetum fecerunt, ejusque facultates liberrime et insolentissime diripuerunt. Erat thesaurorum custos, » ait Gregorius (b); « medio autem in munere moritur, canumque multitudo assillit in defuncti pecuniam; et quidquid reliquerat, omnia dilacerant famuli, extranei, amici. Quis enim collapsam non prædatur quercum? » Basilius, qui res Gregorii suas esse ducebat, scribens Sophronio Constantinopolis præfecto (c), narrat mortui pretiosissima quæque servos aliosque homines servis non meliores diripuisse, et paucissima parentibus reservata, quæ statim pauperibus erogata fuerunt ex mortui voluntate, qui moriens dixerat: « Mea omnia volo esse pauperum. » Addit Basilius, plurimos prodiisse commentitios creditores, qui Cæsarium a se pecuniam accepisse dicerent; quibus numeratum fuerat quidquid petebant, unde nonnullos poenituerat quod plus non petissent: at crescente ejusmodi sycophantarum numero, negare quod petebant necesse fuisse; repulsam passos lites intulisse, ac Gregorium in maximas ærumnas conjectum, a quibus ut eximatur, Sophronium rogat Basilius. De Cæsarii pietate, rebus gestis, eruditione, etc., dicendi forsitan hic locus esset; sed de his satis Gregorius in oratione quam de eo habuit coram parentibus. Hanc legat lector, si velit. Gorgoniæ sororis, aliquanto post Cæsarium e vivis sublatae, præstantissimas virtutes oratione funebri similiter ornavit.

LXXXVII. *Gregorius Basilium minus caute electioni Cæsariensis episcopi providentem reprehendit.*

Anno 370, Gregorius singularem in re maximi momenti prudentiam animique fortitudinem ostendit, ac perruptis omnibus quæ obstabant, ad felicem exitum rem perduxit. Ipsi enim potissimum

opera Basilium Cæsareæ episcopum electum fuisse constat. Nemo quidem tanta sede dignior erat Basilio, cujus administrandæ jam plurimas partes ab Eusebio sibi commissas sustinuerat. Quanta ipsius pietas, quam eximia doctrina, quanta demum essent merita in Ecclesiam Cæsariensem, neminem latebat. Verumtamen plurima obstiteret, quæ ni sua Gregorius prudentia removisset, in irritum recessisset. Basilius ipse, cum media jam morte Eusebii teneretur, ne suspicatus quidem in se oculos conjectum iri, amicum suum Gregorium accersivit, his verbis scribens, ac veluti ipæ extremos spiritus ageret, atque supremum vale moriens amico dicere cuperet. Gregorius, acceptis litteris, vim lacrymarum profudit, ingemuit, et ad iter se accinxit. Verum cum postea episcopos ad urbem accurrere sensisset, Basilius consilium intellexit, navigii proram convertit, ac proficisci detrectavit. Tum datis ad Basilium litteris, quam incaute se gereret libere significavit. « Videris tu quidem mihi, inquit (d), viri constantis et solidi atque animi firmitate præditi existimationem habere: multa tamen simpliciter magis quam caute et circumscripte consultare atque exsequi. Nam qui a vitio liber est, is quoque ad suspiciendum vitium segnior esse consuevit. Cujusmodi quiddam nunc quoque contigit. Ad metropolitanam urbem nos accivisti, cum de episcopo creando consultatio proposita esset. » Quibus præmissis, sic prosequitur carpens quod incaute a Basilio actum videbatur: « Demirari cœpi, primum si quid deceret atque honestum esset non perspiciebas, nec improborum linguis occurrendum putabas, quæ simplicissimis quibusque celerrime calumniam struunt. Deinde, si non eodem tibi ac nobis convenire existimas, quibus et vita, et doctrina, et reliqua omnia communia sunt, nimirum a Deo ita jam inde a prima ætate consociatis. Tertio, liceat enim hoc quoque dicere, si piorum Deique metu præditorum hominum hujusmodi electiones esse judicasti, non autem potentium et apud vulgus gratiosorum. » His de causis Gregorius se navigii proram convertisse, et proficisci detrectasse significat Basilio, cui auctor est ut prudenti secessu tumultus et pravas suspiciones fugiat. Huic consilio paruisse Basilium, ac latebras quæsiisse, dum electio perageretur, verisimile est.

LXXXVIII, LXXXIX. *Gregorius uterque operam navat, ut Basilius Ecclesiæ Cæsariensi præficiatur. Nihil ab iis prætermisum ut res prospere cederet.*

Nec minus interea Gregorius uterque nituntur, ut in Eusebii locum subrogetur Basilius. Gregorium episcopum Cæsaream invitarunt præsules, qui jam in urbem sese contulerant; sed adeo invenusto ac impolite, ut nec illum adesse oportere, nec quam ob causam, nec quo tempore significaverint. Recri-

(a) Greg. ep. 18.

(b) Carn. *De vita sua*, v. 370 et seq.

(c) Ep. 52 nov. edit.

(d) Ep. Greg. al. 21.

bens (a) episcopis venerandus senex factam sibi injuriam non dissimulavit, nec tamen adesse detrectavit. At cum varia fore hominum studia in eligendo episcopo non dubitaret, notum fecit episcopis neminem se habere quem Basilio, ob ejus vitæ sanctitatem ac doctrinæ præstantiam, præferre possit; nec vero illius corporis debilitatem impedimento esse debere, cum episcopus, non athleta quæretur. Promittit se adfuturum, si suffragium istud recipiant, ac operam eis daturum vel spiritu vel corpore; sin autem certis conditionibus via capessenda sit, ac factiones contra æquitatem conflentur, gavisurum se quod fuerit contemptus. Eadem episcopus Nazianzenus de Basilio, quem præ cæteris omnibus eligendam decernit, Ecclesiæ Cæsariensi scripsit (b), quæ honorifice eum invitavit. Nihil prætermissum ab optimo sene, ut prospere res cederet. « Litteras scribebat (quod argumento est plures ab eo fuisse scriptas, quam supersunt), monebat, conciliabat populum, sacerdotes, et reliquos, quotquot erant clerici, obtestabatur, suffragium ferebat, ordinabat etiam adhuc absens, canitiæ suæ hoc dabat, ut apud alienos, tanquam apud suos, auctoritate uteretur (c). » Hanc sollicitudinem a Gregorio postulare videbatur Ecclesiæ Cæsariensis status, in qua animorum magna erat dissensio. Omnibus præferebant Basilium, populi pars selectissima, universus clerus, ascetæ. Verum invidiebant et obnitebantur magistratus, ac infimæ plebis perditissimi quique cum magistratibus conjuncti, imo ipsi episcopi, quod iocandi materiam religionis hostibus præbebat.

XC. Eusebium Samosatensem accersunt ab Oriente.

Præterea cum ab Arianis periculum esset, ne laborantem dissidiis Ecclesiam Cæsariensem occuparent atque everterent, Gregorius (d), qui nondum adesse poterat, magnum ex Oriente lumen accersit sanctum Eusebium Samosatensem, missis per Eustathium diaconum litteris, in quibus quanto versaretur in periculo Cæsariensis Ecclesia declarabat. Accurrit sanctus martyr in Cappadociam, quod asserit Basilius (e), et confirmat Gregorius (f), qui Spiritum sanctum ab exteris regionibus viros pietate insignes zeloque flagrantés ad ungendum Basilium excitasse testatur.

XCI. Basilius electus est Cæsariensis episcopus, Gregorii utriusque opera.

Quid plura? Cum eorum numero episcoporum, qui Basilium erant proclamaturi, unus deesset ad canonicam electionem; Nazianzi episcopus, « (g) non solum senectute, sed etiam morbo fractus, ac pene animam agens, iter aggredi non dubitavit, ut calculo suo electionem juvaret, Spiritus videlicet

A ope atque auxilio fretus. » Proficiscenti patri Gregorius noster litteras (h) ad sanctum Eusebium dedit, cujus zelum, sudores, gratamque Deo libertatem laudat, atque ei acceptam refert renovatam patris senectutem, unde etiam rem ex sententia successuram sperat. « Senectus renovatur, morbus superatur, lecto affecti exiliunt, infirmi potentia accinguntur. Quæ res mihi conjecturam asserunt, negotia nostra ex animi sententia successura esse. Ac patrem quidem, tum suo, tum nostro nomine habes, pulchrum universæ vitæ et venerandæ canitiæ finem impositurum, nimirum præsentem hanc pro Ecclesia dimicationem. At certum habeo fore, ut precibus vestris, quibus fretus nemo non sibi quidvis polliceri debet, firmiorem eum valentiorque recipiamus. » Spes Gregorii irrita non fuit. « Fieri aliter non poterat, ut ipse ait (i), quin Spiritus sanctus vinceret; atque adeo abunde vicit. » Basilius electus fuit Cæsariensis episcopus, ordinatus, et in throno collocatus. Quibus peractis, Gregorius qui profectus fuerat, « (j) vehiculo non secus ac mortuus feretro impositus, juvenis redit, firmus ac valens, oculos erectos habens, a manuum impositione et unctione, addo etiam, et ab illius, qui ungebatur, capite roboratus. Hoc igitur ad prisca narrationes accedat, quod labor sanitatem affert, et animi alacritas mortuos excitat, et exilit senectus Spiritu delibuta. » Sic Basilius, Gregorii utriusque et sancti Eusebii Samosatensis opera, Ecclesiæ Cæsariensis episcopatum suscepit anno 370, ut multis argumentis confirmat noster Prudentius Maran (k) post Petavium et Tillemontium: nec audiendi sunt Bollandistæ et Baronius, qui Basilium anno 369 ordinatum scribunt; multo autem magis repellendus est Pagius, qui ejus ordinationem ad annum usque 371 differt.

XCII. Gregorius nec electioni Basili interfuisset, nec eum post electionem invisit; Basilio querenti se neglectum respondit.

Nemini dubium fuit, quin Gregorius, qui electioni Basili non interfuerat, electo gratulaturus Cæsaream occurreret. Verum Christianæ modestiæ consulens, atque horum temporum invidiam fugiens, represso amicam videndi desiderio, domi se continuit, datis interea litteris, quibus se summa perfunctum lætitia fuisse fatetur (l), cum lucernam a Spiritu sancto victore supra candelabrum positam intellexit; simulque causas cur statim ad ipsum non advolaverit, exponit, ac ne id a se exposcat precatur. Gregorii orationes, seu excusationes non accepit Basilius, sequæ ab eo parvipendi ac negligi conquestus est. Basili querelis sic peracute respondit (m): « Si nobis propterea succensés, quod te

(a) Greg. Ep. al. 23.

(b) Or. 18, n. 36.

(c) Or. 45, n. 37.

(d) Ep. 47, inter Basilianas, p. 140

(e) Ep. 48.

(f) Or. 45, n. 37.

(g) Or. 18, n. 36; or. 43, n. 37.

(h) Ep. al. 29.

(i) Or. 45, n. 37.

(j) Ibid.

(k) Vita Bas. c. 13, p. 83.

(l) Ep. al. 24.

(m) Ep. al. 10.

minus, quam tua virtus meretur, suspicimus et admiramur, omnibus quoque mortalibus succenseas oportet. Neque enim alius quisquam satis te laudavit, aut laudaturus est, præter te tuamque in dicendo sublimitatem; si quidem fieri posset ut quispiam suas ipse laudes prædicaret, idque sermonum lex ferret. Quod si contemptum tui nobis objicis, quin prius insaniam? At quod philosophamur indignaris? Liceret mihi cum bona tua venia dicere, hoc unum doctrina quoque tua et eruditione sublimius est et præstantius. » Cessit tandem Basilius, et amici prudentiam judicio suo comprobavit; quemadmodum cum postea Cæsaream venisset Gregorius (a), atque oblatam sibi ab amico insigniorem inter presbyteros sedem repudiasset, hoc factum non accusavit, sed laudavit Basilius.

XCIII. De Valente adversus Ecclesiam Nazianzenam impetum faciente, una cum patre victoriam reportat.

Sub finem anni 371 videtur contigisse, quod de patris zelo narrat Gregorius (b), qui magna animi constantia « sese hæreticis opposuit, cum illi una cum imperatoria impietate expeditionem adversus Nazianzenam Ecclesiam susceperunt, tanquam nos quoque, inquit Gregorius, in potestatem suam redacturi, aliisque jam fere omnibus servitute oppressis adjuncturi. »—« Imperatoriam impietatem » intelligit Valentem, qui, composita cum Gothis pace, ad impugnamdam catholicam fidem imperii vires convertit, et hæretico agmine cinctus in Cappadociam se contulit. Intentus potissimum erat Valentis arcus in Basilium; sed Cæsaream petens, exeunte anno 371, vel inde forsitan discedens anno sequenti, Nazianzo iter habuit, confectumque senio aggressus est episcopum, qui gloriosum de eo triumphum reportavit. Magnam profecto in eo triumpho partem habuit Gregorius noster, quod quidem ipse, vir licet modestissimus, fateri coactus est, cum ait Gregorium patrem suum « magno adjumento » fuisse decertantibus Nazianzenis adversus imperatoriam impietatem, « tum per se ipse, tum per nos etiam fortasse, inquit Gregorius (c), de seipso loquens, quos, velut non ignavos ac degeneres catulos, in illos hæreticos velut in sævissimas feras immittebat, ad pietatem nimirum hac ratione nos exercens. »

XCIV. Adversus eundem Valentem certanti Basilio socius est Gregorius.

In egregio quoque Basilio certamine adversus eundem imperatorem socius fuit Gregorius, ejusque consors in nobili triumpho quem de devictis et expugnatis catholicæ fidei hostibus retulit exeunte anno 371 et ineunte anno 372. His certaminibus interfuisse Gregorium ex ipso discimus. Etenim se in ecclesiam una cum Basilio ingressum testatur (d),

A ejusque voces audisse quas « Dei voces » appellare non dubitat, cum alloqueretur imperatorem qui semel et iterum in eam se contulerat, ut Basilio colloquio, quod jam pridem expetebat, frueretur. Nec vero tantum Basilio colloquiis cum imperatore, verum etiam habitis antea cum præfecto et præposito coquorum, qui artis suæ gladios minabatur, « atque ad ignem sibi congruentem transmissus » est, ut festive jocatur Gregorius (e), concertationibus eum interfuisse certum nobis videtur. Eum invitaverat Basilius, ut sibi adesset ad propositum certamen, venturum se promiserat; itaque eum venisse pro certo habendum. Arbitratur Tillemontius matris Gregorii morbum attulisse moras, et causam fuisse cur a Basilio vocatus statim non venerit. Verum, ut omittam chariorem fuisse Gregorio Ecclesiæ utilitatem, quam ut, ea posthabita, ægrotanti matri assideret, atque ad defendendam Ecclesiam accurrere detrectaret; certe in his litteris, quibus nitiur Tillemontius, nihil legitur de gravissimis veniendi causis, nihil de Gregorii promissis, qui cum pugnandi tempus adesset, adfuturum se pollicitus fuerat; sed tantum desiderio videndi Basilium se teneri significat, cui satisfactorum se ait (f), si sua mater Basilio precibus sanetur. Quare hæc ad aliud tempus pertinet epistola; et quæcunque narrat Gregorius (g) de Basilio proluxa et acri cum præfecto Modesto concertatione, suis ipse auribus credendus est hausisse.

C XCV. In aliis Basilio præliis partes suas agit Gregorius.

Idem etiam dicendum de variis Basilio præliis cum cæteris ab imperatore præmissis, sive « ex judicum classe, » sive « ex militari ordine, » sive « ex gynæceo. » In his omnibus Basilio socius fuit Gregorius, qui lætus et alacer victoris latus cingebat, strenue commissas sibi a Basilio partes agens. Hanc namque, propter temporis angustias, rationem inierat Basilius, ut ipse quidem sibi verbi dispensationem vindicaret; Gregorio autem, quem ob nominis obscuritatem [sic loquitur vir modestus (h)], nemo esset accusaturus et in exilium ejecturus, loquendi libertatem committeret. Atque ita, inquit, Evangelium nostrum firmum validumque erat, auxilio utriusque suffultum. Ex his intueri licet quantos labores, quam difficilia ac periculosa onera sustinuerit Gregorius, cum adversarios cominus adortus manusque cum illis conserens, acrius illorum in se odium excitavit. Plura de his dicere supervacaneum fuerit, cum nullus pene sit scriptor antiquus, qui præclara hæc Basilio certamina, egregiamque ipsi a Gregorio præstitam in his certaminibus operam, non longius prosequatur. Verum lectorem monitum volumus, recentiores, in

(a) Or. 43, n. 45.

(b) Or. 18, n. 57.

(c) Ibid.

(d) Or. 43, n. 53.

(e) Ibid., n. 47.

(f) Ep. 4.

(g) Or. 43, n. 48 et seq.

(h) Ibid., n. 47.

disponenda harum rerum serie, nonnunquam aberrare. Ne Tillemontius quidem, quo non alter cautior ac diligentior, ab omni errore immunis est. Locus quidam Gregorii nostri minus recte intellectus in maximas angustias virum doctum conjecit. Postquam Gregorius retulit Valentem Basilii admiratione perculsum, vetuisse ne vis ei inferretur, et dum dona offerret mirum in modum titubasse, cumque rursus in ecclesiam venisset, intra velum divinas Basilii voces audivisse; postquam, inquam, hæc narravit Gregorius, sic proseguitur (a) : Ἀὐτὴ γίνε-
ται τῆς τοῦ βασιλέως περὶ ἡμᾶς φιλανθρωπίας ἀρχή, καὶ κατάστασις πρώτη, τοῦτο τὸ λῆμμα τῆς τότε διοχλοῦσης ἐπιρρείας τὸ πλεῖστον, ὥσπερ τι βεῦμα διέλυσεν : « Hoc exstitit imperatoris erga nos humanitatis et clementiæ principium; hæc prima rerum sedatio, hæc occasio maximam impressionis illius, qua tum vexabamur, partem, non secus ac fluctus quosdam, fregit ac dissolvit. » Hæc ad secundum Valentis in ecclesiam ingressum refert Tillemontius, indeque colligit Basilium ac omnes etiam Cappadociæ Ecclesias reliquo Valentis imperatoris tempore, vel saltem diu satis post Valentis cum Basilio colloquium, pacem retinuisse. Verum pax illa nequaquam conciliari potest cum persecutione, quam post secundum Valentis in ecclesiam ingressum consecutam esse auctor est Gregorius. Conjecturis Tillemontius hanc difficultatem solvere nititur. Sed quid conjecturis opus est, cum res per se plana sit et expedita? Hæc enim verba Gregorii : « Hoc fuit imperatoris erga nos humanitatis initium, hæc prima rerum sedatio, » non ad Valentis intra velum cum Basilio colloquium, sed ad illam Basilii virtutis admirationem, qua perculsus Valens vetuit ei vim afferri, referenda sunt : quod quidem ex tota rerum serie patet. Etenim Gregorius ait Valentem, auditis quæ gesserat Basilius, in tantam illius virtutis admirationem venisse, ut vim ei inferri vetuerit, eique satisfaciendi causa in ecclesiam venerit, ubi ad solum Basilii conspectum contremuit, ac postea rediens longum videndi Basilium desiderium explevit. Quod ergo statim addit Gregorius, hanc primam fuisse tempestatis sedationem, referri debet ad jussum Valentis, qui miratus summam Basilii constantiam in certamine adversus præfectum, quæ ipsi a præfecto narrata fuerat, ne vis illi inferretur vetuit, atque in ecclesiam se conferre et cum ipso colloqui statuit. Præterea idem probant hæc verba Gregorii : καὶ κατάστασις πρώτη, « hæc prima sedatio, » quæ Billius non reddidit. Certum namque est, tunc primum sedatam fuisse tempestatem, cum Valens vetuit ne vis Basilio inferretur, quod profecto vetuit priusquam in ecclesiam se conferret. Hæc monuisse sat est. Qui plura volet, legat *Vitam Basilii* novæ operum sancti doctoris editioni præfixam, cap. 20, p. 164, n. 8.

(a) Or. 43, n. 55.

(b) Ep. al. 25.

A XCVI. *Operam suam offert Basilio adversus Anthimum Tyanensem.*

Hic etiam legere licebit egregie tractata in capite 23, quæcumque spectant orta, post Valentis discessum, inter sanctum Basilium et Anthimum Tyanensem episcopum dissidia, ex divisione Cappadociæ in duas provincias; et quæ gessit Gregorius, ut amici partes tueretur, et jura defenderet contra Anthimum. Ubi primum Gregorius audiit Basilio molestias exhiberi, suam ei sponte operam obtulit (b), seque Cæsaream pollicitus est venturum, tum ut eum consilio juvaret, tum ut contumelias cum eo partiretur, quamvis pro certo haberet Basilium nihil prorsus facturum quod philosophia sit indignum. Quæ verba satis indicant epistolam al. 25, scriptam fuisse hujus dissensionis causa, in qua non de fide aut doctrina agebatur, sed de reditu et sedis amplitudine. Divisionem civilem Cappadociæ, quæ sub initium hiemis anni 372 instituta fuit, non statim secuta est ecclesiasticæ provinciæ divisio, quæ non nisi post Valentis discessum, circa mensem Martium hujus anni, videtur contigisse. Tum vero Anthimus, Tyanensem civitatem, quæ secundæ Cappadociæ metropolis facta fuerat, eodem jure in rebus ecclesiasticis esse debere contendit, easque parœcias, quæ novæ provinciæ nuper adjunctæ fuerant, ut jam sibi attinentes et a Basilio distractas, vindicavit. contra Basilium veteri consuetudini, atque huic divisioni, quæ olim a Patribus facta fuerat, inhærebat. Partes Anthimi sequebantur perique Cappadociæ episcopi : « Tres quidem erant causæ, inquit Gregorius (c), cur multi etiam ante parum leni et candido erga eum (Basilium) animo essent. Prima, quod in fidei negotio cum eo minime consentiebant, nisi quantum id ipsis, cogente multitudine, necessario faciendum erat. Altera, quod dolorem ex ipsius electione conceptum nondum omnino ex animis ejecerant. Postrema, quod se longe multumque ab eo gloria superari acerbissime ferrent; tametsi id confiteri turpissimum esset... Ex hac contentione permulta mala partim jam accidebant, partim impendebant. Subtrahabantur conventus a novo metropolitana. proventus diripiebantur, » etc.

XCVII. *Gregorius Cæsaream venit, Basilio addit se socium, et interest pugnae prope Sasima contra Anthimum.*

His auditis, Gregorius debitum huic tempori officium non prætermitit, suamque protinus, ut jam dictum, Basilio operam profertur; quod amico pergratum fuit. Nec mora, Basilius rogat Gregorium ut quantocius ad se veniat; qui cum venisset, ambo simul profecti sunt ad montem Taurum, ubi locus quidam erat, sive ecclesia sub sancti Orestis nomine, unde annuus reditus capiebat Cæsariensis episcopus. Dum redirent, Anthimus, quem Taurici reditus maxime in furorem agebant, quippe quos in trans-

(c) Or. 43, n. 58.

itu Cæsaream portari iniquo animo cernebat, cum prædatoria manu angustias occupat; transeuntis Basiliis mulis, qui rebus ex Sancto Oreste perceptis onusti erant, iter intercludit, ne ultra progrediantur. Commissa hæc pugna prope Sasima. Nam Gregorius (a) non sine stomacho jocatur in Basilium, quod se Sasimorum episcopum constituisset, ut cum Anthimo bellum gereret, si quando is Basiliis nulos arriperet angustias tenens, et velut Amalec Israellem coercens. Datum se etiam Sasimis ait in carmine *De vita sua*, quia bellicam fortitudinem ad Basiliis causæ defensionem ostenderat: quod argumento est eum pugnae prope Sasima interfuisse.

XCVIII. *Gregorius Sasimorum episcopus consecratur Nazianzi, non Cæsareæ, anno 372.*

Istud tamen dissidium ad Ecclesiæ utilitatem convertit Basilius multiplicando episcopatus: « Ex quo, inquit Gregorius (b), tres præclarissimæ res secutæ sunt. Nam et animarum cura major suscepta est; et quælibet civitas proventus suos habuit; et bellum hac ratione compressum et extinctum est. » Harum in numero sedium episcopaliū, quas erexit Basilius, fuere Sasima, ignobilis quidem locus, cui Gregorium nostrum præficere episcopum statuit; eumque reluctantem, atque episcopale onus reformidantem ac prorsus fugientem cedere, et, si minus animum, saltem caput ordinationi submittere, adjuvante Gregorii patre, compulsi. Hæc ordinatione non Cæsareæ, ut vult doctissimus Tillemontius, sed Nazianzi peracta est, ut ipse testatur Gregorius (c), qui Basilium venisse Nazianzum manifeste asserit: « Sed venit ad nos amicorum charissimus Basilius, » etc. Ἄλλ' ἦκεν ἡμῖν τῶν φιλοῦ ὀφιλτατος Βασιλῆως. Tum narrat, quomodo, patre Basilium adjuvante, deceptus fuerit. Præterea, quo die ordinatus est, orationem coram patre et Basilio aliisque episcopis, qui eum ordinaverant, habuit. Quis credat Gregorium patrem senio confectum Cæsaream venisse hujus ordinationis causa; aut si venerit, id silentio prætermisurum fuisse Gregorium, qui simile patris iter, Basiliis causa susceptum, ut summæ animi fortitudinis in effeto corpore specimen admiratur? Ordinatus est Gregorius Sasimorum episcopus ante Pascha, quod anno 372 incidit in diem vii Aprilis: siquidem sanctus Eusebius Samosatensis, litteris paulo post Pascha anni illius datis respondens, hanc sibi ordinationem non placuisse significat.

XCIX. *Invisitur a Gregorio Nysseno, quem misit Basilius.*

Perpaucis post ordinationem diebus, Gregorium nostrum invisit Gregorius Nyssenus, ab amico missus, ut cognominem suum solaretur. Hunc amicum esse sanctum Eusebium Samosatensem aut sanctum Meletium arbitratur Tillemontius: verum is amicus non alius est quam ipse Basilius. Postquam enim Gregorius in orationis exordio, quam coram Nys-

seno habuit, sibi amicum ab amico venire dixit, ab auditoribus postulat num rem clarius exponi velint, et statim Moysen et Aaron in medium profert; iisque peracute inter se comparatis, iterum postulat, annon perspicue cognominem suum, id est Gregorium, et unanimum, id est Basilium, oratio effinxerit: « Horum alter, inquit (d), nos unxit, et latentes in medium produxit.... non ut dignum erat, eo spiritu qui in ipso est.... Alter venit ut nos consoletur, ac confirmet, spirituique mansuescat. » Cum ergo missus sit a Basilio Gregorius Nyssenus, quod manifestum est ex dictis, advenire non potuit postridie ordinationis, ut Baronio visum est, atque perperam legitur apud Billium in interpretatione tituli orationis undecimæ: verumtamen paucioribus post ordinationem diebus advenit. In ista oratione, ut in ea quam ante coram Basilio habuerat, vim sibi illatam conqueritur, sed tamen obsequium suum profitetur. Dolet quod Nyssenus serius venerit, veluti post cladem auxilium, post tempestatem gubernator, post cicatricem medicina: verum se nunc cedere et fiduciam concipere declarat, quod argumento est hanc habitam orationem priusquam fuga elapsus in solitudinem se contulerit.

C. *Querelæ Basiliis contra Gregorium, et Gregorii contra Basilium.*

Vix Nyssenus Nazianzo discesserat, cum Gregorius deceptum se esse sentiens, fugit iterum, solitudinisque deliciis perfuitur. Basilius consilia sua conspiciens Gregorii fuga penitus correre, cum eo graviter expostulavit. At Gregorius jam altum gerens cordi inflictum vulnus, ex quo per vim ordinatus fuerat a Basilio, non minus acriter respondit. Hinc illæ litteræ, haud quidem jocosæ ut antea, sed stomachosæ ac vehementes, ultro citroque datæ, quibus, dum suam quisque causam tueretur, suas etiam animis cælestibus esse iras docent; quæ si longius processissent, non tam perfectum Christianæ amicitie exemplar in Basilio et Gregorio haberemus.

CI, CII. *Queritur Gregorius fraudem sibi factam. A pluribus culpatur Basilius.*

Acceptis Basiliis litteris, rescripsit atque his verbis exorsus est Gregorius (e): « Desinesne tandem nos maledictis incessere, ut insulos ac rusticos, et ab amicis inopes, et ne vita quidem dignos, quoniam ea, quæ passi sumus, intelligere ac persentire ausi sumus?... Fraudem in quam inducti sumus, serius quidem quam oportuit, sed tamen aliquando agnovimus. Atque hujus rei culpam in episcopalem thronum conferimus, utpote qui te repente supra nos evexerit... Hoc omnium, quæ patimur, maxime ridiculum est, vel potius miserandum, nimirum quod iidem et injuria afficiuntur, et accusantur. » Vituperationem non effugit Basilius, quod fidissimum amicum ac optime de se meritum in episco-

a) Or. 43, n. 58.

b) Ibid., n. 59.

c) Carm. *De vita sua*, v. 389.

d) Or. 11, n. 3.

e) Ep. al. 51.

pales curas, præter ipsius voluntatem, coniecisset: A et quod minus excusatione dignum erat, virum pietate et eloquentia insignem, qui Ecclesiæ egregiam dare operam poterat, in obscurissimum angulum ac omnibus vitæ commodis destitutum relegasset. Objiciebant alii aliud quidpiam, prout vel moribus comparati erant, vel Gregorii causa irascebantur: « benignissimi autem » quique neglectum et contemptum a Basilio fuisse Gregorium, et postquam ipsius opera usus fuerat, veluti vas quoddam ignobile projectum. Declarat Gregorius (a) se arma ferre non posse, et « pro lactentibus et avibus tanquam pro animabus et canonibus digladiari. » Rogat ut ipse cum Anthimo bellum gerat, ac sibi omnium rerum loco quietem concedat. Demum his verbis, quæ ejus dolorem maxime indicant, epistolam claudit: « Quocirca tu quidem viriliter age, et confortare, omniaque ad tuam ipsius gloriam, quemadmodum fluvii torrentes, trahere; nec amicitiam, nec vitæ consuetudinem et familiaritatem virtute ac pietate potiore habens, nec quæ ex his rebus hominum de te opinio futura sit, quidquæ curans, seu undantaxat te Spiritui addicens. Nos vero id undantaxat lucri ex amicitia tua capiemus, ut amicis posthac minime fidamus, nec Deo quidquam præferamus. » Haud equidem crediderim ea ingressisse Basilium maledicta, quæ prioribus epistolæ verbis continentur; sed ea ex ejus dictis consequi Gregorius præ nimio dolore existimavit. Scriptam hanc epistolam, non tantum post ordinationem, sed etiam post fugam inde patet, quod Gregorius fraudem sibi factam se sensisse dicat, atque omnium rerum loco quietem sibi a Basilio concedi postulet. Ipsa etiam maledicta, quibus se petitum a Basilio queritur, eum jam fugisse probant. Scripta quoque in recessu epistola tricesima secunda (b), in qua indignatur Gregorius se inertiae accusari quia Sasima non accepit, otio et quiete unice se gloriarum proficitur.

Inter hæc jurgia scriptam arbitratur Tillemontius epistolam Gregorii ad Nicololum (c); sed immerito. Mittens Gregorius Nicolulo litteras Basili cum suis, his quæ Basili erant priore loco positæ, suas subjunxit, sese quidem cum Basilio ubique conjugere volens, sed eum sibi anteponeus. Minus videtur intellexisse Tillemontius (d) hæc verba: « Cum Basilium Magnum mihi semper prætulerim, tametsi illi contrarium videatur: tum nunc quoque præfero, » etc., id est, inquit Billius, « tametsi ille me sibi anteferat. » Non enim hæc verba ita accipienda sunt, quasi Basilium existimet Gregorius plus sibi tribuere quam ipsi.

⁶⁶ Psal. xxxiii, 3. ⁶⁶ Psal. lxxvi, 3.

(a) Epist. al. 31.

(b) Ep. al. 32.

(c) Ep. al. 2.

(d) In Bus., p. 179.

CIII. *Gregorius de solitudine revocatus a patre, Basilio instante, coram utroque habet orationem.*

E solitudine, in quam se post ordinationem receperat Gregorius, cito retractus est jubente patre et instante Basilio; quapropter in oratione (e), quam post reditum coram utroque habuit, eo utitur exordio: « Nihil senectute fortius, nihil amicitia venerabilis. Ab his ego ad vos ductus sum, vincens in Christo, non ferreis catenis, sed tenacissimis Spiritus vinculis constrictus. » Alicunde se venire his verbis declarat Gregorius; proinde hæc oratio non statim post ordinationem, ut visum est Tillemontio, habita, sed post reditum ex fuga: Deinde addit se antea aliis omnia reliquisse, ut secum philosopharetur, et Eliæ Carmelum ac Joannis desertum cogitasse; quod ei dicere non licuit quo die ordinatus fuit Sasimorum episcopus, si quidem hanc ordinationem non solitudo, sed impensus in juvando patre sacerdotii labor subsecutus est. Præterea disertis verbis solitudinem, in quam se receperat, indicat, cum ait (f) se, « ne his quidem sui amantissimis ac fratribus sermones impertire sustinuisse, ut ab omni negotio feriatum secum philosopharetur. » Quid plura? Recantat (g) quidquid post ordinationem præ dolore in Basilium asperius dixerat: « Jam enim iram abjicio, audiant mansueti et lætentur ⁶⁶; manumque hanc, quæ mihi vim attulit, placido vultu conspicio, ac Spiritui arrideo, mihi que commotum pectus sedatur, reditque ratio; atque amicitia, instar flammæ consopitæ et extinctæ, rursus ex parvo igniculo reviviscit et excitatur. Renuerat consolari anima mea, et anxietate afficiebatur in me spiritus meus ⁶⁶. Dixi, nunquam in posterum amicitia fidem habebō. » Nulla sane ante ordinationem jurgii causa Basilium inter et Gregorium extitit; sola ordinatio rixas movit: hæc verba, quæ fatetur se dixisse Gregorius, « nunquam in posterum amicitia fidem habebō, » leguntur ad calcem epistolæ tricesimæ primæ, quam post abjectum regendæ Sasimorum Ecclesiæ consilium scripsit. Quæ quidem omnia, orationem nunc decimam habitam non fuisse post ordinationem, sed postquam ex fuga rediit Gregorius, manifeste demonstrant.

CIV. *Gregorius in oratione sua mutatum se profiteretur. Anthimus in suas partes Gregorium pestrahere frustra conatur.*

In ea oratione sinceram mutationem profiteretur Gregorius, rataque omnia habet, ac tandem Ecclesiæ sibi commissæ gubernacula capescere in animum videtur induxisse. Itaque Sasima ira constituit, sed priusquam ad iter se accingeret, Doaris, quæ novæ Cappadociæ civitas erat, Eulalium episcopum una

(e) Or. 10, n. 1.

(f) Ibid.

(g) Ibid., n. 2.

cum Gregorio patre aliisque nonnullis episcopis ordinavit, tumque orationem habuit quæ nunc tertia decima est. Hæc vero cum fierent absente ac forte etiam ignorante Basilio, qui se pro metropolita et capite utriusque Cappadociæ adversus Anthimum gerebat, necdum finita esset controversia, verendum erat ne ordinationem istam velut in contumeliam sui factam haud æquo ille animo interpretaretur. Occurrit amici querelis Gregorius his verbis (a): «Non venimus in magni illius pastoris contemptum et ignominiam, qui splendide civitati præsidet. Honorabilem sciimus, caput agnoscimus... Sacerdotes et præsules augere studuimus, non subtrahere; hæreticos evertere, non orthodoxos imminuere.» Cum Gregorius Sasima aut venisset, aut venire pararet, sua ejus consilium diligentia præripuerat Anthimus, et Sasimorum paludes ante occupaverat. Quinetiam prohibenti et comminanti Gregorio, conviciis probrisque refertam scripsit epistolam, veluti triumphum in victum canens. «Fortissimus Anthimus ad nos,» inquit Gregorius (b), «cum episcopis quibusdam venit; sive ut patrem meum inviseret (nam id quoque præ se ferebat), sive ut quæ egit ageret. Cumque multis modis animum nostrum tentasset, parcercias commemorans, et Sasimenses paludes, et nostram ordinationem, nunc blande alloquens, nunc postulans, nunc minas intentans, nunc expostulans, nunc laudans, nunc vituperans, variis denique orationis circulis, strophis atque ambagibus utens, tanquam ipse solus nobis ob oculos proponendus esset, novaque metropolis, utpote major ac præstantior.» Hæc Anthimus, qui, cum nulla in re cedere Gregorium conspexisset, rebus infectis iratus abscessit, *Basilium* ei veluti *Philippissimum* quemdam exprobrans. Non multo post, Gregorium ad synodum vocavit Anthimus; quod cum Gregorio permolestum esset, atque injuriam fieri clamaret, Anthimus eum rogavit, ut saltem ejus opera Basilius ad deliberandum ea de re secum adduceretur. Id pollicitus est Gregorius, et scripsit Basilio, rem totam ejus judicio permittens. Hæc Gregorii litteræ ad nos non pervenerunt.

CV. *Novas Basilii querelas aliis Gregorius querelis repellit.*

Quamvis Basilii causam strenue satis, ut videtur, defendisset Gregorius, illius tamen litteris offensus est Basilius, et cum eo iurgavit quasi Anthimo faveret. His verbis respondit Gregorius (c), jocando quidem, sed acriter carpens Basilius: «Quam ferociter, et equinorum pullorum more, exsilis in tuis litteris! Nec mirum te ad gloriam nuper eventum ostentare nobis velle quam gloriam nactus sis, ut hac ratione teipsum angustiozem reddas, quemadmodum pictores, qui eximias formas depin-

gunt.» Deinde breviter exponit quid ejus causa gesserit, æquumque non esse demonstrat, ut cum Basilii causa in offensionem Anthimo venerit, Basilio displiceat veluti in Anthimum propensior. Denique sic epistolam claudit: «Quod si ostentationis gloriæque nimio studio teneris, atque e loco superiore nos alloqueris, velut metropolitanus parvæ civitatis incolas, vel etiam nullius, nobis quoque supercilium est, quod opponamus. Hoc enim omnibus facillimum est, ac fortasse æquius.»

CVI. *Abjectis Sasimis Gregorius repetit solitudinem.*

Ceterum propositam ab Anthimo conditionem, ut de restituenda pace communis iniretur deliberatio, non repudiavit Basilius, imo libenter accepit. Interea Gregorius, cum nullum sibi ad capessendam sedem, quam occupaverat atque armatis militibus tuebatur Anthimus, accessum patere cerneret, ac nollet obscura spe et cæca expectatione exitus deliberationis de pace componenda pendere, amatam diuque optatam solitudinem repetit. Gregorius presbyter in ipsius *Vita* scribit eum ad agrorum domicilium confugisse, εἰς ὑποκίθριον ἀσθενῶν καταφύγει. Tum addit: «Ferunt autem eum, nec oblationem, nec ordinationem, nec quidquam aliorum, quæ apud episcopos in more et instituto posita sunt, Sasimis peregrisse; verum simul atque episcopus ordinatus fuit, fugam animo concepisse.»

Sic tam grave onus excussit Gregorius, sic invisam abjecit Sasima, quæ tot ei molestias, et quas nulla unquam dies, quoad vixit, exhanrire potuit, pepererunt: Sasima, inquam, ex quibus Gregorio, ut ipsius verbis utar (d), «omnis vitæ inconstantia et perturbatio manavit.» Quis et qualis ille sit locus, Gregorii calamitatibus, quarum fons et origo fuit, atque etiam carminibus tam famosis, ex ipso Gregorio discimus.

CVII. *Sasimorum descriptio.*

*Statio quædam est in medio pervulgatæ viæ,
In terra Cappadocum, quæ scinditur in triplicem viam.
Sine aqua, sine virore, nihil habens liberale,
Horridus valde et angustus pagus.*

*Omnia hic pulvis, et strepitus, et currus,
Lamenta, ejulatus, exiectores, tormenta, compedes;
Populus vero, quotquot peregrini et erronei.*

*Hæc erat Sasimorum meorum Ecclesia.....
Quid igitur, per Deum, facere me æquum fuit?
Contentum esse? maiorum excipere incursus,*

*Ense feriri, suffocari luto?
Nec habere ubi hoc senium colloquem,
Dum semper e tecto per vim exturbor?*

Nec panem habiturus eram, quem hospiti frangerem.....]

*Rursus fugitivus quidam et cursor in montem,
Surrapiens amicum vitæ genus, delicias meas.
Sed quid sum lucratus? non enim constans fugitivus
Eram, ut apparet. Sed cum omnia perferre sciam,
In hoc uno ignavus sum: patris iram non sero (e), etc*

(a) Or. 13, n. 2.

(b) Epist. al. 33.

(c) Epist. al. 33.

(d) Or. 43, n. 59.

(e) Carm. De Vita sua, v. 489 et seq.

CVIII. *Gregorius Nazianzenæ Ecclesiæ regimen suscipit, jubente patre, ea conditione ut eo mortuo liber sit abire quo velit.*

Itaque Gregorius, abjectis Sasimis, in solitudinem sese recepit; sed aliud ipsi subeundum fuit certamen cum patre, qui cum ab eo ut Sasima teneret obtinere nullatenus potuisset, saltem precibus jussisque est consecutus ut Nazianzum rediret, eamque Ecclesiam, cui regendæ per ætatem impar erat, administrandam susciperet. Ea autem lege vicariam præfecturam Nazianzenæ Ecclesiæ, cogente patre, suscepit ut tantummodo his nexibus teneretur obligatus, dum pater superstes esset; eo autem e vivis sublato, sibi liberum esset abire quo vellet. His ipse testatur verbis in oratione, quam ad populum Nazianzenum habuit (a): « Nunc quidem cum præclaro parente curam hanc suscipere non recuso, velut magnæ aquilæ et altissime volanti pullus non incommodus e propinquo advolans. Postea vero pennam meam Spiritui, quo volet, et quoquo modo volet, ferendam dabo; nec quisquam erit, qui me cogere, aut aliorum traducere possit, cum eo consultantem.... Hæc habui, viri Nazianzeni, quæ simplici animo benevolentiaque pleno ad vos dicerem, atque hoc est animi mei arcanum. » In carmine *De vita sua* Nazianzenam Ecclesiam se suscepisse jussu parentis declarat, ita secum reputantem ac dicentem (b):

*Neque enim res ista invitum me constringit,
Qui nec ulla denuntiatione, nec ullo promissa teneor:*

*Ὁὐ γὰρ καθέξει τοῦτ', ἐφηρ, ἀνορτά με,
Ὅρ ὅτε κήρυγμα, ὅθ' ὑλόσχεσις κρατεῖ·
Ὁὕτως ἀρήγαγέ με νικήσας φόβος.*

Sic me victrix formido reduxit.

Ex hac Gregorii præfectura, qua, patre adnidente, iavitus administrandæ Ecclesiæ Nazianzenæ curam suscepit, non pauci eum hujus Ecclesiæ ordinatum fuisse episcopum arbitrati sunt. Sed quidquid ea de re scriperint veteres ac recentiores, loqupler non est alius testis quam Gregorius; nec alii ulli major quam ipsi fides habenda est. Hæc ipsius sunt ad Gregorium Nyssenum scribentis verba (c): « Inter omnes etenim constat, me non Nazianzi, sed Sasimorum antislitem creatum fuisse, tametsi in patris reverentiam, et eorum qui supplices hoc a me contenderunt, ad breve tempus præfecturam quasi hospites suscepimus, » etc.

CIX. *Gregorius Basilium defendit, a quodam monacho accusatum, quod Spiritum sanctum Deum non appellasset.*

Post susceptam a Gregorio Ecclesiæ Nazianzenæ administrationem, habitamque orationem duodecimam, contigisse videtur jurgium quod inter ipsum et quemdam monachum extitit de Basilio. Rem sic narrat Gregorius in epistola al. 26: « Convivium quoddam erat, in quo plurimi clarissimi viri nobisque amicitia conjuncti accumbabant, atque inter eos vir

A quidam pietatis nomen habitumque præ se ferens. Nondum ad pocula ventum erat, cum, ut in convivii fieri solet, de nobis sermo excitatur. Omnibus porro virtutes tuas amplissimis laudibus effertibus, nosque etiam, ut iisdem vitæ studiis deditos, adjungentibus... indigne tulit hic philosophus. Et quidnam hoc est, inquit, admodum furiose exclamans, o viri, quam valde mendaces et adulatorum estis! Cætera quidem laudentur sane viri illi, si ita lubet, nihil repugno: verum quod maximum est, illis non concedam. Orthodoxiæ nomine frustra laudatus Basilius, frustra Gregorius; ille, quia sermonibus suis veritatem prodit; hic, quia patientia sua eandem simul prodit. » Tum his Gregorius conviciatorem verbis redarguit: « Unde hoc, o homo vane, atque arrogantia nomine, nove Dathan et Abiron? Unde nobis dogmatum promulgator venis? Siccine tantarum rerum judicem teipsum efficies? Tum ille: ex Euppsychii martyris synodo nunc venio, eamque dicti mei testem habeo (sic enim res se habebat), atque illic Basilium Magnum audivi, de Patre quidem et Filio optime et perfectissime, atque ut vix quisquam alius facile queat, disserentem: Spiritum sanctum autem convellentem ac distortentem, » etc. Igitur philosophus ille Basilium vituperabat eo quod Spiritum sanctum Deum non appellasset concionando; ac veluti a veritate declinaret, eamque politice magis quam pie prædicaret. Basilii partes strenue defendit Gregorius, causasque reddidit cur Spiritum sanctum expresse et palam Deum non diceret; quamvis eum esse Deum, non secus ac Filium, crederet, ac verbis etiam ostenderet, nimirum in insidiis esse hæreticos, observantes si quam ex ejus ore nudam vocem possent arripere, ut eo ejecto Ecclesiam occuparent, cæterasque Ecclesias popularentur; itaque satius esse unam vocem, sententia in tuto posita, prætermittere, quam Ecclesiam in tantum discrimen adducere. Temperamentum istud, quod probavit postea Magnus Athanasius, iis qui aderant displicuit, ipsumque Gregorium clamoribus insectati sunt, ut ignavia magis quam sanæ doctrinæ consulentem.

CX, CXI. *Gregorius Basilio controversiam ejus causa susceptam significat, rogans ut ipse doceat quousque liceat uti œconomia, ut contradicentes possit repellere. Epistolam Gregorii pejorem in partem accipit Basilius.*

Datis ad Basilium litteris, rem totam narravit Gregorius, rogans ut doceret quousque in disputatione de Spiritu sancti divinitate progredi, quasque voces usurpare, et quousque œconomia uti liceret; haud equidem sua causa, qui omnium esset miserimus et stolidissimus, si dubitaret de Basilii sententia, sed ut contradicentibus responderet. Has Gregorii litteras, tametsi adhibita cautione quam maxima, omnibusque honoris atque amoris significationibus refertas, pejorem in partem accepit Ba-

(a) Or. 42, n. 5 et 6. (b) V. 523. (c) Epist. al. 42.

silius; qui etiam Gregorio respondens, mirari se ait, non quod monachus hoc dixisset, sed quod germanissimos suos fratres, suos et amicos auditores habuisset ac discipulos. Illis respondere delignatur, et cum Gregorio expostulat, quod ad se non veniat; aditum enim non habituras calumnias, si magnam anni partem simul traducerent. Quanto in honore esset apud Basilium Gregorius ex hac perhonorifica eum invitandi ratione liquet: « Si enim tantum appareas, inquit, suppresses ipsius impetum, eosque qui ad patriæ res evertendas conspirant dissipabis, ubi ipsis notum fuerit te Dei gratia nostri cœtus ducem esse, » etc.

CXII. Gregorius Basilio scribit eum immerito litteris suis offensum.

Basilio rescripsit Gregorius; ipsum immerito offensum fuisse litteris suis, non malo et subdolo, sed simplici animo, et ea qua solebat benevolentia scriptis; eumque admonuit satius incommodis medicinam afferre, quam consilium danti succensere. Cæterum se venturum promittit, et Basilio duce libenter dimicaturum: « Quis enim, inquit (a), langueat, imo quis non magno et fidenti animo futurus sit, te duce ac socio de veritate disputans, atque contendens? »

CXIII. Quis ille sit hostis, contra quem rogat Gregorium Basilium, ut veniat auxilium laturus.

Existimat vir clarissimus Tillemontius, quem sequitur noster Prudentius Maranus (b), contentionem Gregorium inter et monachum Basilium crimen proditæ veritatis inferentem, contigisse anno 371: suam viri docti opinionem confirmant his Basilii verbis (c), quibus Gregorium rogat ut veniat auxilium laturus contra hostem qui bellum inferebat: « Ipse vero exorari te sine, ut nobiscum ad propositum certamen allabores, ac nobiscum occurras ei, qui bellum nobis infert. Si enim tantum appareas, suppresses ipsius impetum, » etc. Hostem hunc non alium esse quam Valentem contendunt. « Nullum enim aliud tempus occurrit, inquit noster Prudentius, in quo instantem hostem exspectaverit Basilium, et exsilium aut aliquid gravius ex prælio speraverit. Appropinquantem Valentis adventum designat Gregorius (d) cum ait in convivio, « ingens circa Basilium esse bellum, vicinis omnibus captis et subjugatis. » Præterea, si jam Basilium cum Valente pugnasset, num ignaviæ crimen futuri prælii promissione refelleret (e)? Quibus enim illius fidem præterita certamina non approbassent, multo minus nondum commissa approbarent. Aliam rationem addit Tillemontius, scilicet Basilium post Sasimenses molestias dicere non potuisse: se nullius sibi in Gregorium, « neque parvi, neque magni delicti esse conscium. » Verum hanc rationem ipse noster Prudentius, quamvis idem sentiat ac Tillemontius, refellit

(a) Epist. al. 27.

(b) *Vita Basil.*, p. 96.

(c) *Bas. ep.* 71, p. 164.

(d) *Vita Bas.*, p. 96.

A « Sed non video, inquit, cur Basilius etiam post turbas Sasimenses hanc amicitiae nunquam violatæ laudem sibi vindicare non potuerit, cum præsertim Gregorius pluribus locis dicat amicitiam hac in re Basilium spiritui posthabuisse. » Sic in oratione *De laudibus Basilii* loquens de turbis Sasimensibus, quas nondum pectore excusserat: « Nisi quis tamen, inquit (f), hoc a me pro illius apologia accipiat, quod sublimiora, quam pro hominis conditione, sentiens, atque hinc prius etiam quam vita excederet, digressus, omnia ad Spiritum referebat; atque amicitiae officia, quæ alioqui sancto colebat, hic solum aspernabatur, ubi Deum anteponi oportebat. » In altera oratione coram Basilio: « Quandoquidem, inquit Gregorius (g), ut nos pluris fortasse, quam alios omnes ducis; ita rursus Spiritum nobis longe anteponis. Non passus es talentum in terra defossum atque obrutum latere, » etc. Potuit ergo Basilius, etiam post Sasimenses turbas, dicere se nullius sibi in Gregorium, « neque parvi, neque magni delicti esse conscium. » Et certe id dicere licuit Gregorio, cui acerbiora in Basilium verba excidere: quanto magis Basilio?

CXIV. Ille hostis, non Valens.

Nunc vero expendendum, an hostis qui bellum inferebat Basilio, is Valens imperator esset; an certamen, ad quod Basilius Gregorium accersebat, ut una secum pugnaret, illud fuerit certamen, quod imminere sibi ex adventuro Cæsaream Valente arbitrabatur. Id quidem volunt doctissimus Tillemontius et noster Prudentius, quos, ob egregias virtutes et scientiam singularem, observantia quam maxima colimus. Hic tamen ab eorum opinione discedimus; neque enim Gregorii et Basilii verba de Valente debere intelligi nobis videntur. Basilius ad certamen contra hostem advocans Gregorium, his eum verbis compellat. « Si enim tantum appareas, ipsius suppresses impetum, eosque qui ad patriæ res evertendas conspirant, dissipabis, ubi ipsis notum fuerit te Dei gratia nostri cœtus ducem esse. » Itane, amabo, scribere, et hæc de Valentis impetu dicere licuit Basilio? An vero Basilius unquam existimavit Gregorium, vel imperatori, vel præfecto, vel coquorum magistro, adeo aut terribilem aut acceptum esse, ut vel auctoritate vel gratia, imo sola sui præsentia, et cum Basilio societate, tantos confestim impetus retardare, ne dicam « dissipare » penitus posset? Quin his certaminibus cum præfectis ab imperatore præmissis, et cum ipso Valente adfuit Gregorius: quid porro tale præstitit, quale præstiturum confidit Basilius?

CXV. Eustathius Sebastenus intelligendus est Basilio infensus.

Non ergo de Valente intelligenda sunt Basilii verba. sed de ejus suffraganeis aliisque episcopis.

(e) Epist. al. 26.

(f) Or. 43, n. 59.

(g) Or. 10, n. 3.

Inprimis Eustathio Sebasteno, qui Sabellii et Apollinaris errores Basilio affingebat. Præterea ob eam, qua de Spiritu sancto verba faciens utebatur Basilius, œconomiam, alii timiditatis, alii proditæ aut etiam innovatæ fidei notam inurebant; quam adventu suo Gregorius et communione cum Basilio abstergere penitus et eluere poterat, quippe quem divinitatis Spiritus sancti liberrimum et præ cæteris omnes propugnatores agnoscebant. Propterea Basilius Gregorium advocat, his verbis: « Si tantum appareas, ipsius supprimes impetum, eosque qui ad res patriæ evertendas conspirant, dissipabis, » etc.

Nec vero ex sequentibus colligas Valentis « impetum » significari. Expectare namque Basilius etiam tum potuit, ut ab ecclesia paternisque ædibus ejiceretur, non tantum ab Arianis, qui id anno 372, iterumque anno 376 tentarunt; verum a Catholicis etiam pluribus, qui et ipsi cæco zelo abrepti Basilio adversabantur. Præterea Eustathius Sebastenus, homo versipellis, qui cum Arianis erat tum communione et in Basilium odio conjunctissimus, Eustathianique famosis libellis Cæsariensem episcopum lacerabant; adeo ut a multis male audiret, etiam orthodoxis, atque ejus in fide dubia esset integritas.

CXVI. *Episcopum tunc fuisse Gregorium constat.*

Quin etiam Gregorium nostrum tunc episcopum fuisse, ex his ejusdem epistolæ, quam ad eum scripsit Basilius (a), verbis certo colligi posse nobis videtur: *Ἐὶ γὰρ κατὰ τῆς ἀρχαίας συνθήκας, καὶ κατὰ τὴν ὀφειλομένην νῦν, ταῖς ἐκκλησίαις παρ' ἡμῶν ἐπιμέλειαν, τὰ πολλὰ τοῦ ἐνιαυτοῦ μετ' ἀλλήλων διήγομεν.* « Si enim ex veteri pacto, ac juxta eam, quam nunc debemus ecclesiis, curam et sollicitudinem, sæpius per annum convenissemus, » etc. Hæc certe verba Gregorium non secus ac Basilium fuisse episcopum denotant, novamque ac parem jam nunc incumbentem ambobus Ecclesiarum curam. Unde sequitur, *τὰ πολλὰ τοῦ ἐνιαυτοῦ μετ' ἀλλήλων διήγομεν*, quæ recte vetus interpret sic Latine reddidit: « Sæpius per annum convenissemus, » quod episcopos maxime juvat, probantque frequentes synodi. Quapropter Basilius malorum causam inde repetit, quod non una convenient: *τούτων δὲ αἴτιον ἔχειν. . . τὸ μὴ συντυγχάνειν ἡμᾶς.* Demum hæc ejusdem epistolæ verba, episcopum fuisse tunc Gregorium confirmant: *ὅτι αὐτὸς τῆ τοῦ Θεοῦ χάριτι τοῦ καθ' ἡμᾶς συλλόγου κατὰρχεις, vel ut vetus editio κατὰρξεις.* « Conventui nostro, seu synodo, præsidebis; » vel ut Tillemontius, « Ecclesiæ nostræ caput te præbeas ac comonstres: » quod episcopis duntaxat proprie convenire nemo nescit.

(a) Epist. 71, p. 165.

(b) Or. 12, n. 6.

A CXVII. *In epistola 26 Gregorii fit mentio orationis 12 quo constat post orationem scriptam esse epistolam.*

His jam ad cumulum accedat (quod opinion suæ incommodare non dissimulat Tillemontius), orationem Theologi habitam anno 372, posteaquam abjectis Sasimis Nazianzenæ Ecclesiæ administrationem, jubente patre, suscepit Gregorius, laudari in epistola 26, de qua agitur: « Simulque, inquit (b), vocem quamdam meam commemoravit (monachus qui in Basilium atrociter invehebatur), cum ego, ut in frequentissimo cœtu, de divinitate verba faciens pervulgatum illud de Spiritu sancto interfatus essem: Quousque lucernam abscondemus sub modio? » Quæ totidem verbis in oratione B habentur. Ex quo sequitur hæc contigisse post orationem, quæ habita est anno 372; proindeque epistolam 26 non anno 371, sed anno 372 scriptam esse, idque post Septembrem, quem in mensem incidit beati martyris Euphsychii sive memoria, sive conventus, unde calumniandi Basilium occasionem monachus arriperat. Neque etiam citius hoc anno Hellenius, qui Gregorii litteras Basilio reddidit, exæquandis Nazianzi tributis præpositus, Cæsaream profectus est.

Cæterum quo tempore Gregorius una cum patre Nazianzenam Ecclesiam administrabat, sive ante, sive post exortam cum monacho de Basilio controversiam, Cæsaream se contulit, ibique eximiam illam orationem (c) habuit quæ *De pauperum amore* inscribitur. Eorum causa potissimum habita est, quæ in hospitali domo, alendis pauperibus a Basilio Magno constructa, sacro morbo laborabant. Ad hoc etiam tempus pertinent orationes sequentes; videlicet decima quinta *in laudem Machabæorum*, quorum passionem non ex libris sacris qui Machabæorum nomen habent, sed ex Josephi libro *De imperatrice ratione*, exponit et eloquentiæ suæ floribus exornat. Decima sexta, *in patrem tacentem propter plagam grandinis*, qua Tiberina regio, Gregorii natale solum, anno circiter 373 afflicta fuit. Decima septima, *ad cives Nazianzenos gravi timore percussos*, ob delictum alias incognitum, et ad præfectum irascentem.

D CXVIII. *Mors Gregorii senioris et Nonnæ ejus conjugis.*

Quomodo, abjectis Sasimis, Gregorius solitudinem iterato petierit, eaque retractus Ecclesiæ Nazianzenæ curam susceperit, rogante vel jubente patre, jam narravimus. Ea autem, ut dictum est conditione vicariam præfecturam suscepit, ut, morte sublato patre, discedere et quo vellet abire sibi liceret.

Non ita longo post tempore Gregorius noster, parentis utriusque obitu, Nazianzenæ Ecclesiæ regimen excussit seque sibi vindicavit. Anno siquid-

(c) Or. 14.

dem 374, circa vernum tempus, Gregorium patrem annos natam pene centum, cum ex iis quadraginta quinque Nazianzenæ Ecclesiæ præfuisset, mors abstulit. Nec multo post, Nonna Gregorii senioris conjux, ejusdem pene ætatis, morte sublata est. Licet enim quandiu superstes fuerit compertum non habeatur, diu tamen eam superstitem non fuisse indas est conjicere, quod Theologus se cito post susceptam Nazianzenæ Ecclesiæ curam parentibus orbatum fuisse scribat (a). Forsan die Augusti quinto, quo ejus memoria tum apud Græcos, tum apud Latinos colitur, obiit. Eam certe anno sequenti jam mortuam constat, cum Seleuciam petiit Gregorius.

CXIX. Parentibus orbatu Seleuciam se confert Gregorius.

Assertit Baronius « Gregorium parentibus orbatum nullatenus adduci potuisse, « ut vel diem unum in administratione Ecclesiæ Nazianzenæ perseveraret, » rogante licet Basilio, aliis simul episcopis, et civibus precibus importunis id ipsum efflagitantibus; a quibus omnibus, captata fuga, se abripuit profectus Seleuciam pietatis ergo ad memoriam sanctæ Theclæ, quo frequens fidelium peregrinatio esse solebat. » Rectius vero scribit Tillemontius (b), hujus Ecclesiæ regimen, Basilio aliorumque episcoporum ac civium precibus victum suscepisse Gregorium, et in eo aliquandiu perseverasse (c). Nec tamen interea cessabat rogare episcopos, ut huic Ecclesiæ pastorem præficerent, quam ipse regendam, non nisi quoadusque præpositus esset episcopus, susceperat. (d). Cum autem Gregorii precibus non moverentur, nec quod rogabat obtineret, fuga elapsus Seleuciam se contulit, cum Ecclesiam Nazianzenam tribus tantum circiter annis ante et post mortem patris rexisset.

Seleuciæ non exiguo tempore commoratus est Gregorius, ut ipse testatur (e); nimirum usque ad Valentis obitum, qui victus a Gothis, sagitta percussus, incensa agresti casa, in quam delatus fuerat, ultricibus flammis absumptus fuit die nona Augusti anni 378. Illic tamen optata pace et otio quod speraverat, frui non licuit: « Nihil boni, » ut ejus verbis utar (f), « prorsus reperit; imo negotia, quæ effugere in animo habuerat, velut ex composito incurrerunt, vinque attulerunt. » Quænam illa fuerint negotia definire non licet: forsitan his verbis significat se ab hæreticis vexatum fuisse. Gregorii vitæ scriptor Theologum scribit Nazianzum rediisse, nec ullis civium precibus flecti potuisse; quod ex iis verbis colligit, ut videtur, quibus Gregorius in se solitas recidisse calamitates, postquam fuga Seleuciam petiit, ipsemet fatetur.

(a) Carm. De Vita sua, v. 527.

(b) Ad an. 372, t. IV, p. 331.

(c) Vita Greg., art. 39, p. 398; art. 42, p. 404.

(d) Carm. De Vita sua, v. 550.

(e) Καί μοι διήλθεν ὡς βραχὺς πῆδε χρόνος.

A CXX. Basili morte cumulus accedit ad Gregorii calamitates.

Anno sequenti 379, Gregorius adhuc Seleuciæ consedebat, et quidem gravi ac periculoso morbo detentus, cum Basili Magni mors ipsi nuntiata est. Quantum in deslenda tam chari capitis morte dolorem conceperit Gregorius, ipse solus enarrare sufficit. Ex morte Basili cumulus ad suas calamitates ipsi accessisse visus est. « Hoc quoque, » exclamat in epistola, qua de Basili obitu fratrem ejus Gregorium Nyssenum consolatur (g), « hoc quoque ærumnosæ huic vitæ reliquum erat, ut Basili mortem andirem, » etc. In alia epistola: « Quæris, » inquit, Eudocium alloquens, « quo statu res nostræ sint? Admodum acerbo, Basilium non habeo; Cæsarium non habeo, fratrem meum secundum carnem et spiritum: pater meus et mater mea dereliquerunt me, ut cum Davide loquar. Corpus adversa valetudine laborat, senectus caput premit: curæ aliæ aliis intextunt. Incursant negotia, infidi amici, Ecclesiæ res pastore et gubernatore carent. Pereunt bona, nuda et aperta sunt mala, navigatio in nocte, sax nusquam, Christus dormit. Quid faciam? Una mihi malorum depulsio, mors. At res etiam alterius vitæ mihi formidolosæ sunt, ex hujus vitæ rebus conjecturam ducenti (h). » Morbus, quo laborabat Gregorius, fuit impedimento quominus in hoc tristi eventu communibus amicis adesset, et sanctos Basili cineres exoscularetur. Cæsariensis Ecclesiæ, tanto ornamento spoliata, solitudo, spectaculum erat Gregorio prorsus intolerabile. Ipse dimidia sui parte mortuus et dissectus sibi videbatur, amisso tali socio; a quo etiam per nocturnas visiones, ut olim cum viveret, admonebatur et castigabatur, si quid fecisset minus decore. Basili funus stricta et pedestri oratione prosecutus est Gregorius. Etenim carmen funebre, duodecim epigrammatibus constans, sui in Basilium amoris et desiderii monumentum esse voluit; sed multo uberius, cum Constantinopoli reversus eximiam de Basili laudibus habuit orationem, in qua omnes ingenii vires et eloquentiæ flores profudit. Si Baronio (i) fides in Vita Gregorii, is « cum de infirmitate, qua detinebatur, aliquantulum allevatus esset, nobilissimam illam panegyrim in laudem Basili conscripsit, qua vitam ejus exacte monumentis perpetuis consignavit. »

CXXI. Gregorius proficiscitur Constantinopolim, ab Thraciæ episcopo et orthodoxis accersitus.

Quamvis præclara sint quæcunque hactenus de Gregorio narravimus, longe præclariora supersunt dicenda, ea scilicet quæ duobus vel tribus annis gessit Constantinopoli; sive illic a synodo Antiochenâ, ut Baronio videtur, missus fuerit, sive ro-

(f) Carm. De Vita sua, v. 553.

(g) Epist. al. 37.

(h) Epist. al. 39.

(i) Apud Boll., ad diem 9 Maii, p. 398.

gantibus Constantinopolitanis se contulerit. Credo equidem episcopos veritatis defensores, quibus, postquam fidei perduellis exstinctus est Valens, ad suas ecclesias revertendi facultatem dedit Gratianus, consilia iniisse, ut illatas Ecclesiis plagas ab Arianis sanarent, tristesque ruinas repararent: credo etiam in eam rem habitas fuisse synodos. Haud tamen crediderim cum Baronio (a) Gregorium nostrum, Antiochenæ synodi decreto, eadem de causa jussum esse Constantinopolim proficisci; sed accersitum ab episcopis Thraciæ et ab orthodoxis, qui in urbe regia versabantur. Id ipse testatur Gregorius, cujus verba non significant eum jussu Antiochenæ synodi Constantinopolim petiisse, ut Baronio placet.

*Ἐπέμφθη ἡμᾶς ἡ χάρις τοῦ Πνεύματος,
Πολλῶν καλούτων ποιμένων καὶ θρημμάτων,
λαοῦ βοηθοῦς καὶ λόγου συλλήπτουρας.*

*Ad hos gratia Spiritus, multis advocantibus
Et pastoribus et ovidibus, nos misit,
Populi adjuutores et doctrinæ defensores (b).*

Gregorii biographus eodem quo nos sensu verba illius interpretatur, quamvis erret in Basilio qui jam tum obierat, cum ait, nulla synodi Antiochenæ facta mentione, eum Constantinopolim statim adfuisse, « Basilio luminari magno, ipsius cupiditati alacritatique quasi faces quasdam subdente, atque ad spiritualia certamina ipsum inungente, aliisque compluribus episcopis, principisque urbis civibus, fidei pietate præditiis, ab eo obnixè contendentibus, ut ipsis auxilio egentibus malorum se depulsorem præberet. » Id ipse Gregorius in carmine *De vita sua* (c) confirmat, ubi scribit Constantinopolitanorum in se civium amorem inde natum, quod ab ipsis accitus, et « eorum opus esset: »

Οὐδ' ὡς ταυτῶν ἔργον εἶχον ἀσμένως.

In altero autem earmine, narrans quomodo a suis deliciis bonisque omnibus abreptus et longe abductus, Constantinopolim se conferre coactus sit, meminit quidem Gregorius « conventuum episcoporum: »

*Τὸ δ' οὖν πρόδηλον, σύλλογοι τε ποιμένων,
καὶ λαὸς ὀρθόδοξος...*

Verum nihil opus est hæc verba, ut recte observat Tillemontius (d), de synodo Antiochena, quæ non nisi exeunte anno 379 coacta est, interpretari, cum de Thraciæ episcoporum conventibus commode et recte possint atque etiam debeant intelligi. Demum ab amicis etiam, inter quos, præter Basilium, fuere Meletius, Bosphorus Colonix episcopus, et alii plures, Constantinopolitanis auxilium ferre compulsus fuit Gregorius. Sic profectus aliquanto post Basilii mortem tempore, « non sua sponte, sed coactus, » ut ipse testatur (e):

Ὅτω μὲρ ἤλαθον οὐχ ἐκῶν, etc.

Eadem passim repetit, maxime in oratione quam tum ad Arianos habuit: « Ego, inquit (f), parvu-

(a) Bar., ib., p. 399, col. 1.

(b) Carm. *De Vita sua*, v. 598.

(c) Ibid., v. 1131.

(d) Adv. episc.

(e) Carm. *De Vita sua*, v. 610.

lus ille, obscura et ignobili patria natus, ad vos accessi, idque non ulro, nec me ipsum offerens, ut moris est hodie plerisque, qui ad Ecclesiæ gubernacula temere prosiliunt, sed acceitus ac vi compulsus, et timori Spirituique obsecutus. Quod si falsa loquor, hoc mihi pro sceleris pœna imprecor, ut diutius hic belli molestias incassum sustineam, nec quemquam errore liberem, sed voti sui compotes fiant, qui animæ meæ sterilitatem imprecantur. »
CXXII. *Deploratus Constantinopolitanæ Ecclesiæ status.*

Luctuosa tunc omnium Ecclesiarum facies, sed nullius luctuosior quam Constantinopolitanæ, in qua jam ab annis quadraginta grassata fuerat Ariana lues, sub pontificibus hæreticorum antesignis, atque etiam ipsis novorum dogmatum conditoribus; sub principibus, quales fuere Constantius et Valens, qui hæreticorum partes tuebantur, Catholicos vexabant, et pro errore contra veritatem toto, ut ita dicam, imperii corpore certabant. Quam deploratus esset Ecclesiæ Constantinopolitanæ status, quivis facile colliget auditis tantum eorum nominibus, qui sedem illam tenuerunt ab anno 339, quo Arianis, cæso vindice fidei orthodoxæ pontifice Paulo, impune in ea grassari licitum est. Hanc, relicta sede Nicomediensi, Ariani dux agminis confestim eo anno invasit Eusebius, post quem in Macedoniam manus infelix hæc Ecclesia devenit. Expulso ab ipsismet Arianis, anno 360, ob inauditam crudelitatem doctrinæque inconstantiam Macedonio, Eudoxius sæx hæreticorum, idemque perditissimus hæresiarcha, Aetii Arianorum longe impiissimi discipulus, suffectus est. Is anno 370 impietatis cursum absolvit.
CXXIII. *Ariani late dominantur in urbe: templa occupant: alia commutata in sepulcra.*

Tum vero respirare paululum visi sunt Catholici, sibi que Evagrius episcopum jam cooptarant. Sed mox Valens imperator, Arianae tutela perfidiæ, pulso in exilium Evagrius cum Eustathio presbytero, qui ipsius electionis auctor fuerat, Eudoxio Demophilum æque impium ac nefandum substituit. Ita Ariani summa rerum Ecclesiæ potiti, vix pietatis « reliquias, » et excitandæ a Gregorio fidei « semina » reliquerant. Templorum alia ab hæreticis occupata, atque in primis amplissimum illud (g), « Sophia cognominatum, » tunc « diaboli propugnaculum » magis quam ecclesia, ubi « suos ille milites ac defensores collocarat; » imo ubi « dæmonum exercitus, furiarumque ac spirituum legiones aderant immundorum. » Alia (h), « ex templis in sepulcra commutata, alia cruore sanctorum aspersa profanataque: presbyteri exusti; » Catholici « contumeliis » vexati, « honorum direptione, exsilio; ecclesiis, domibus, ipsis etiam pulsi solitudinibus... (i) grex exiguus ac ne grex quidem, sed par-

(f) Or. 33, n. 13.

(g) Or. 35, n. 3.

(h) Or. 42, n. 23.

(i) Ibid., n. 2.

vum quoddam et tenue grægis vestigium, aut reliquæ; præclare secum agi putabant, si salutem suam surripere liceret. »

CXXIV. Variæ hæreses Constantinopoli grassabantur præter Arianam.

(a) Neque solum Ariana lues Constantinopoli grassabatur, verum ibi quoque Novatiani, Macedoniani, Photiniani, Marcelliani, Sabelliani, Eunomiani, jamjamque Apollinaristæ pullulantes, veritati ac fidei una cum Catholicis exsulanti bellum indixerant. His etenim, inquit Baronius (b), e portis inferi eductis legionibus, et Constantinopoli velut in stativis collocatis, antiquus hostis fidem catholicam oppugnabat.

Tam tristi, atque etiam « tristori statu, » si Gregorium ipsum audias (c), Constantinopolitanæ Ecclesiæ res erant, cum ab episcopis et a populis ob eam, quæ mare transierat, scientiæ ac sanctitatis famam, qua precibus, qua obtestationibus vocatus accitusque, Constantinopolim antiquæ rursus fidei conditor Theologus venit.

CXXV. Quibus armis pugnaturus contra hæreticos instructus venit Gregorius.

Venit autem « cum potestate minime sane contemnenda, » cumque ipsius, ut quidam interpretantur, auctoritate imperatoris; quanquam Davidis nostri contra Goliath et Philisthæos arma non carnalia sed potentia Deo⁶⁷. Nec enim præsentia corporis quidquam infirmius (d): « Peregrinus præco et exterius; parva civitate ac ne civitate quidem, sed arido, inamæno, infrequenti loco natus, obscuro terrarum angulo abditus hucusque; contractis senectute membris, et curvato humi corpore, vultu haud elegantis, rugis aratus, fletu tabidus et fame, agresti voce et aspera, viliori veste; pauperrimus, nec pecunia quam alis instructor. » Sic se ipse in carminibus et orationibus depingit Gregorius. Corpore vir tantulus, sed Spiritu potens opere et sermone, principum hujus sæculi potestatumque munitiones, consilia, et quæ adversus scientiam Dei se extollebat, altitudinem omnem destructurus progreditur⁶⁸, « Theologi triumphale nomen, » ut cum Baronio loquar, inde merito sibi comparaturus.

CXXVI. A cognatis hospitio exceptus. Pia erat domus, in quam conveniebant orthodoxi.

Constantinopolim igitur veniens Gregorius anno 379, a cognatis quibusdam suis hospitio exceptus est. Nulla enim tum Catholicis in ea urbe erat ecclesia, adeo Arianorum factio invaluerat. De domo, quæ Theologum excepit, hæc scribit (e): « Domus quædam pia, amore Dei flagrans, non secus atque Eliseum Sunamitidis domus⁶⁹, nos refocillavit; domus, inquam, hominum corporis spiritusque necum cognatione conjunctorum; apud quos populus hic quoque compactus est, cum furtim orthodoxam si-

⁶⁷ II Cor. x, 4. ⁶⁸ ibid. 5. ⁶⁹ IV Reg. iv, 1, seqq.

(a) Socr. l. II, c. 38. Sozom., p. 571.

(b) Boll., 9 Maii, p. 403.

(c) Carm. al. 1, v. 391.

(d) Or. 33, n. 15.

dem persecutionibus vexatam atque afflictam hauriret; nequaquam libere nec sine periculo. »

CXXVII. Exiguus ille locus, ob restitutam fidem dictus postea Anastasia.

Exiguus erat ille locus, ubi tunc primum convenit populus, et in ecclesiam mutatus; idemque est qui laxatus, ob restitutam ac velut a mortuis excitatam in ea catholicam fidem, Anastasia subinde est appellatus.

Ἀναστασία, γαῶν ὁ τιμιώτατος,

Ἡ πίστις ἐξήγειρας ἐν γῆ κειμένην.

Anastasia, templorum maxime venerabile,

Quæ jacentem humi fidem exsuscitasti (f).

Quam etiam appellationem confirmatam nonnulli volunt, apud Sozomenum, resurrectione femine ejusque fetus, quem utero gestabat; et sanctæ martyris Anastasiæ reliquiis postea depositis ad *rostra Domini*, sive, ut aliis placet, *porticum*, ubi Anastasiæ templum ab eruditis collocatur. Verum quidquid sit de resurrectione femine ejusque fetus, et de depositis a Gennadio patriarcha in hac æde reliquiis; constat Anastasiam inde dictam esse, quod collapsa fides illic excitata est; quod iterum atque iterum testatur Gregorius, et tam disertè, ut nullum esse possit dubium. Jam nunc res ejus præclare gestas Constantinopoli prosequamur.

CXXVIII. Ita crescit Anastasia, ut brevi omnes Constantinopolitanas amplitudine et magnificentia superet ecclesias. In hac nova Bethlehem omnes hæreticos oppugnat fugatque Gregorius.

Exiguus, ut jam diximus, primum locus fuit Anastasia; sed mutatus in ecclesiam ita crevit brevi tempore, ut jam ab anno 398 marmora, quibus ornaretur, quæretet Nectarius, atque etiam sacras ædes Constantinopolitanas magnificentia et amplitudine, Socratis et Sozomeni tempore (g), superaret. In hac itaque « nova Bethlehem, » quo nomine eam appellat Gregorius, ob angustos loci ambitus, Christi antiqua fides revixit, et « intermortua » ad vitam rediit. Demum in hac « Silo, quadraginta annis circumacta in deserto, incertisque vagata sedibus, arca fixa est, ac requievit arca Noe altera, novi mundi et orthodoxorum seminarium ferens » et conservans. « Tam angusto foramine, ut optime Baronius (h), perinde ac si in latissimo campo, adversus fidei hostes certabat Theologus; uno rotatu gladii circume circa positos hæreticos, Arianos, Macedonianos, Photinianos, Sabellianos, Apollinaristas, ac Novatianos perurgebat profligabatque... Erant manus ejus contra omnes, ac manus omnium contra eum; sicque exaltata sunt opera Dei, ut unus non tantum mille fugaret, sed et decem millia⁷⁰. Exstat adhuc, pergit eminentissimus scriptor, appensus in ecclesia pallio involutus post Ephod gladius ille, quo noster coryphæus manu fortis Philistinorum turmas in fugam vertit. Exstant, inquam, sublimes

⁷⁰ I Reg. xviii, 7.

(e) Or. 26, n. 17.

(f) Carm. De Vita sua, v. 4083.

(g) Socr., l. v, c. 7, p. 263. Soz., l. vii, c. 5.

(h) Ap. Bol., 9 Maii, p. 400.

illæ Gregorii orationes, pretiosissima Dei Ecclesiæ suppellectilia, quibus prædictas hæreses oppugnauit; inter quas illæ celebriores habentur, quæ *De theologia* sunt inscriptæ, » etc.

CXXIX. *Fidei causam egregie defendit Gregorius. Tali defensore tempus egrbat.*

His eloquentissimis sermonibus egregie fidei causam defendit Gregorius, Catholicos docet, hæreticos refellit. Tali defensore tempus egrbat; tam peritum oratorem, ad defensionem fidei catholicæ, luctuosus Ecclesiæ Constantinopolitanæ status requirebat; eaque causa fuerat, cur in hanc urbem se conferret, vel potius cur in eam mitteretur. Civitas quæ, Arianis aliisque hæreticis plena, adueniente Gregorio esserbuerat, (a) commota ejus orationibus in eum exarsit. Quam ex iis orationibus quæ supersunt, veram de Trinitate fidem nuntiandi exordium sumpserit, haud constat. Oratio quæ nunc vicesima est, olim vero vicesima nona, non immerito prima videri possit, aut saltem una ex prioribus quas Theologus Constantinopoli habuit.

CXXX, CXXXI. *Qua ratione res divinas tractat Gregorius. Gregorii ratio disputandi contra hæreticos; placido animo disputat, mira urbanitate demulcet. Nihil de veritate deterit, leniter disputando.*

Res divinas suis in sermonibus leniter, moderate, prudenter tractabat orator Christianus; non disputando, sed docendo; non ut philosophus, verum ut apostolorum discipulus; non ut profanus, sed ut sacer orator atque Evangelii præco. Perniciosa hæreticorum dogmata refellebat, non conviciis lacessendo, neque enim quemquam vel sermone læsit unquam, sed invictis rationibus et argumentis pugnando, ita ut aut suaderet, aut elingues redderet. Bellum indixit erroribus, non hominibus; perversa dogmata insectabatur, non ipsos homines; quorum salutis tanto desiderio tenebatur, « ut anathema etiam a Christo esse, ac nonnihil, ut damnatus, perpeti non recusasset; modo secum adjungerentur (b), communibusque animis Trinitatem celebrarent (c). » Ex ipso discimus Gregorio, quam in defendenda veritate, refellendisque hæreticorum dogmatibus, viam secutus fuerit. « Vultis, » inquit Patres concilii Constantinopolitani alloquens (d), « aliquid juvenilius adjiciam? Videtisne adversarias linguas mitescentes, et eos qui divinitati bellum indixerunt, nihil jam nobis turbarum facessentes? Id quoque Spiritus, id quoque agriculturæ nostræ est. Non enim ineruditè docemus, neque adversarios conviciis et contumeliis incessimus, quemadmodum plerique faciunt, non cum dogmate sed cum dogmatis assertoribus configentes, ac rationum et argumentorum infirmitatem maledictis interdum contegentes; non aliter ac sepias ante se atramentum vomere aiunt, ut piscatores effugiant.

(a) *Carm. De Vita*, v. 656.

Πολλοὶ συνηγήθημεν ἐλθόντες κακοῖς.

Πρώτον μὲν ἐξέλεσε καθ' ἡμῶν ἡ πόλις.

Ὡς εἰσαγόντων ἀνθ' ἑνὸς πλείους Θεοῦς.

(b) Ὡστε καὶ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ Χριστοῦ, καὶ πα-

A Verum nos pro Christo bellum gerere hoc argumento declaramus, quod secundum illum pacificum et clementem Christum, ac nostras infirmitates portantem, dicamus. » Hæc fuit Gregorii de rebus fidei disputandi ratio: id placido animo, a jurgiis temperans, mira quadam eos urbanitate et lepore demulcens, agere solebat. Insignem in eo genere orationem, *De moderatione in disputatione servanda*, Constantinopoli pronuntiavit. At non is erat qui, ut moderationis famam sibi colligeret, aliquid de veritate, mollius contendendo, dederet. « Neque enim, » inquit (c), « cum veræ atque orthodoxæ fidei pernicie paci studemus, nonnihil de animorum contentione remittentes, ut moderationis et æquitatis colligamus (non enim quod bonum est male aucupamur), atque interim tamen pacem colimus, legitime nimirum pugnantes, atque intra limites nostri Spiritusque regulam nosmet continentes. Ac de his quidem ita sentio, cunctisque animarum dispensatoribus rectæque doctrinæ arbitris legem statuo: ut nec asperitate sua adversariorum animos exulcerent, nec submissione insolentiores efficiant; sed prudenter et consulte in fidei causa se gerant, nec in alterutro horum mediocritatis lineas transiunt. »

CXXXII. *Accurritur ab universis Catholicis, hæreticis, infidelibus, ad ejus sermones.*

Omnes concursu magno ad talem oratorem audiendum accedebant, non modo Catholici, verum etiam hæretici, cujusvis sectæ, imo exteri et a fide alieni; alii ejus doctrina, alii ipsius eloquentia illecti. Exultabant gaudiis sanctæ fidei sectatores, cum cernerent veritatem, quæ tot annis urbe exularat, et extincta videbatur, relucem et redivivam libere prædicari; hæreticos autem, qui tandiu grassati fuerant, tanta dicendi copia, tam firmis expugnari argumentis et obrui, ut ne mutire quidem auderent, et ad Theologi verba aures suas vel pervicacissimi inflecterent.

CXXXIII. *Non tantum dei dogmata confirmat, et errores refellit Gregorius, sed morum quoque præcepta tradit.*

Nec vero tantum errores refellere, perversa dogmata convellere, qui quidem præcipuus fuit Gregorii scopus, verum etiam morum præcepta tradere satagebat. In quo dicendi genere sic compositus erat, ut quæ prodessent audientibus, illorum aurbus ingereret. Commonefaciebat ut se in Dei lege exercerent, alendo pauperes et hospites, morbo laborantibus opem ferentes, in hymnis Deum celebrando, in precibus, gemitibus, lacrymis; humi cubando, sensus colibendo; gulam, risum, iram, carnem frenando; linguæ temperando, ut nec omnia, nec ubique, nec apud quosvis, sed quantum, quando et ad quos loqui esset opportunum, loquerentur. Hæc et alia plurima, non ad ingenii et do-

Οὐκ ἐν τῷ ὡς κατάκριτος δέγομαι· μόνον εἰ σταλάξῃ μεθ' ἡμῶν καὶ κοινῇ τὴν Τριάδα δοξάσαιμεν.

(c) Or. 41, n. 8.

(d) Or. 42, n. 13.

(e) Or. 42, n. 13.

ctinæ ostentationem, sed ad pietatem excitandam plebemque permovendam tractabat minime sicutæ eloquentiæ vi. Hæc erat Gregorii circa institutionem morum ratio dicendi et docendi: ex quo colligi potest permultas hujus generis orationes Constantinopoli habitas periisse.

CXXXIV, CXXXV. *Ad verba oratoris accedente exemplo, et ad orationes vitæ sanctitate, viros habet fructus. Hos se fructus habiturum speraverat, ipsique Deus forsitan ostenderat.*

Cum autem ad verba exemplum, ad orationes vitæ sanctitas accederet, dictisque facta congruerent, mirum quantos successus habuerit Gregorius; quam multos e Catholicis ad meliorem vitam et hæreticos ab errore ad sanam doctrinam reducerit; quot oves perditas ad ovile reportaverit, quot lupos deposita sævitie inter oves recensuerit, quam immensum denique gregem ex exiguo conspexerit. Id quidem, priusquam accideret, speraverat, cum Arianos Constantinopoli late dominari cerneret: serum enim cogitans, his se verbis et spe melioris temporis solabatur (a): « Domos Ariani habent, nos hospitem; hi templa, nos Deum, idque præterea quod viva Dei vivi templa sumus, victimæ vivæ... Hi populos habent, nos angelos; hi temeritatem et audaciam, nos fidem; hi minas, nos preces et orationes; hi ferendi insolentiam, nos patientiam; hi aurum et argentum, nos purgatam fidei doctrinam... At mihi grex exiguus? Sed ad præcipitia non fertur. At angusta mihi caula? Sed lupis inaccessa... Nec dubito quin eam quoque aliquando latiore prospecturus sim. Multi enim ex his qui nunc in luporum numero sunt, a me inter oves recensebuntur, ac fortasse etiam inter pastores. » Addit Gregorius: « Hoc mihi annuntiat feliciter bonus ille Pastor, propter quem ego animam meam pro ovibus pono. » Quibus significare videtur se Dei beneficio, quorundam quæ futura essent honorum visione ac promissione recreatum fuisse.

CXXXVI. *Hi fructus non eloquentiæ, quæ tamen maxima erat, sed oratoris pietatis et patientiæ tribuendi. Tales fructus unius justî persecutione vexati precibus aliquando Deus concedit.*

Tam felices exitus non tam eloquentiæ Gregorii, quæ maxima erat, quam ipsius pietatis et patientiæ ascribendi sunt. Hos uberrimos prædicationis fructus percepit, illo dante incrementum (b), « (b) qui pauperem facit et ditat, qui mortificat et vivificat (c), qui sola voluntate omnia facit et immutat... idque plerumque unius justî diuturna persecutione vexati precibus permotus. » Vir ille ipse fuit Theologus, qui diuturna Arianorum persecutione vexatus; qui non modo diceris, scommatibus, calumniis, injuriis

(a) I Cor. v. 6. (b) I Reg. ii, 7. (c) Act. viii, 59.

(a) Or. 53, n. 15.

(b) Or. 42, n. 5.

(c) Apud Boll., 9 Maii, p. 402.

(d) Epist. ad Pammach.

laccessitus, verum etiam ad iudicium tribunal raptus, ac veluti cædis reus, demum saxis impelitus, patienter tulit, dicens cum Stephano: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (d), uberes benedictiones pro maledictis rependit, pro persecutoribus preces fudit. Tanta patientia complurium perdiderum animos sibi conciliavit, idque conerutus est ut victos hostes ad catholicam fidem amplectendam provocaret. Quæ profecto res hominibus nostris documento esse debet, licet ad convertendas ad Christum animas ingenii ac doctrinæ præsidia requirantur, tamen conspecta vitæ morumque innocentia et patientia plus multo quam litteris aut concertationibus profici.

CXXXVII. *Permotus Gregorii fama Hieronymus, e Syria Constantinopolim venit, ut ejus sui discipulus.*

Tot et tam præclare pieque rebus gestis Gregorii fama longe lateque diffusa est, adeo ut Hieronymus e Syria, tam longinquo terrarum spatio, Constantinopolim se contulerit. Res plane admiratione digna est, ut cum Baronio loquar (e), « hominem, quem ob insignem eruditionem consulerent Occidentales episcopi, qui orbem doceret, tam longa et difficilia itinera peragrasset, ut Gregorii mereretur esse auditor, ac sub tanto magistro posset profiteri discipulum; inde sibi summum gloriæ decus conciliaturum existimans cum accessione doctrinæ. Imo eo nomine, ut regalibus quibusdam insignibus ac præclarissimo quodam ornamento, gloriari consuevit. « Ego eo magistro glorior et exulto, » inquit. Et ad Pammachium scribens (f), se eo explicante sacras didicisse Scripturas affirmat, eumque præceptorem suum appellat. Præceptor quondam meus, Gregorius Nazianzenus, inquit, rogatus a me ut exponeret quid sibi vellet in Luca (g) δευτερόπρωτον eleganter lusit: « Docebo te, » inquit, « super hac re in ecclesia, in qua mihi omni populo acclamante, cogeri invitus scire quod nescis; aut certe si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiæ condemnaberis. » Quo tempore adhaerebat Gregorio Hieronymus, tanto duce ac magistro obscurissimam visionem illam Isaia: de Seraphim exponere tentavit, ut is ipse verbis testatur (h): « De hac visione ante annos circiter triginta, cum essem Constantinopoli, et apud virum eloquentissimum Gregorium Nazianzenum, tunc ejus urbis episcopum sanctum, Scripturarum studiis erudirer, scio me brevem dictasse subitoque tractatum, ut experimentum caperem ingenioli mei, et amicis juvenibus obalirer. » Episcopus ergo tunc erat Gregorius Constantinopolis, cum eo magistro usus est Hieronymus, ut ipse asserit; qui si in hanc urbem se contulerit anno 379, ut putat Baronius, necesse est

(e) Primum a die secundo azymorum; ab hoc enim die septem Sabbata, sive sept. hebdomadæ numerandæ erant.

(f) Comm. in Isa., c. 6.

ut tribus fere annis in hac urbe versatum fuisse A
 Hieronymum concedamus : anno siquidem 381
 Gregorius hujus urbis Ecclesiæ præfectus est epi-
 scopus. Id non ægre Baronio concederemus, si suæ
 opinionis firmas afferret rationes ; verum nullas
 affert.

CXXXVIII. *Orti inter orthodoxos dissidii occasione, hæretici ipsis insultandi ansam arripiunt, quos Gregorius refellit.*

Interea dissidium inter orthodoxos Constantino-
 poli exortum est, unde ipsis insultandi ansam arri-
 piebant hæretici, quos gemina oratione *De pace*
refellit Theologus. Dissidium illud non aliud nobis
 videtur fuisse, quam Meletii et Paulini de Antio-
 cheno episcopatu contentio, cujus causa non urbs B
 modo Constantinopolitana, verum etiam orbis uni-
 versus contraria in studia scindebatur. De his dicitur
 satis in monito ad utramque orationem ; ambæ
 enim sunt de eodem argumento. Altera Theologus
 ad pacem dissentientes hortatur, altera compositam
 pacem gratulatur. Alias orationes habuit eodem
 anno 379 Gregorius, sed de his commodius in no-
 titis cuique præviis.

CXXXIX. — *Maximus philosophus Constantinopolim venit. Quis et qualis Maximus. Benignissime excipitur a Gregorio, quem dolis et mendaciis ita decipit, ut in ejus laudem habuerit orationem.*

Acto tot tempestatibus Gregorio alia adhuc gra-
 vior et molestior supervenit : de turbamentis Ec-
 clesiæ Constantinopolitanæ a Maximo excitatis C
 anno 380 loquimur. Latissima quidem hujus anni
 fuerant initia. (a) Theodosius imperator, jam de-
 bellatis hostibus firmatoque solio, baptizatus ab
 Ascholio Thessalonicensi episcopo catholico, lego
 data 28 Februarii, fidem quam Damasus Romæ,
 Petrus Alexandria profiterentur, tenendam sanc-
 rat. Mutatis in melius Catholicorum rebus, aliqua
 Gregorio spes erat se tandem pace fruiturum, cum
 Maximus novam et periculosiorem excitat tempe-
 statem. Patria is Alexandrinus erat, philosophus,
 secta cynicus, professione, habitu et moribus,
 Constantinopolim venerat, habitu corporis, baculo,
 pallio, barba et proluxa coma ostentans philoso-
 phum, verbis autem Christianum ; martyrum fi-
 lium, seque martyrem jactans ; catholicæ fidei D
 causa verberibus cæsum, atque in oasim vastam
 illam solitudinem se relegatum fuisse mentitus,
 cum revera ob fœdissima scelera in exilium
 missus esset, ut Gregorius testatur. Quid plura ?
 Gregorius dolis et mendaciis deceptus hunc hu-
 manissime exceperat, mensa et tecto dignatus,
 veneratus ut martyrem, et demum pro concione
 laudarat : dixit enim in laudem ejus orationem
 illam, cui titulus in laudem *Heronis*, quæ forsan
 exeunte anno 379 habita est. Hunc alio profecturum
 rogavit Gregorius, ut Constantinopolim rever-

teretur. Redux ex itinere, benignissime iterum a
 Gregorio suscipitur, inter amicos numeratur, et
 beneficiis cumulatur. Fallitur tamen *Gregorii ritæ*
 scriptor, cum ait Maximum ab eoin clerum ascriptum
 fuisse. Tunc enim primum proluxam comam depo-
 suit, cum episcopus a suis fuit ordinatus.

CXL, CXLI. *Gregorium e sua seae deturbare eamque invadere tentat Maximus. Cum suum scelus perficeret Maximus, operique incumberet, deprehensus, ejectus est civitate.*

Quibus dolis et fraudibus nefarium istud consi-
 lium, quod jam diu mente conceperat, perficere
 conatus sit homo nequissimus, longe lateque pro-
 sequitur Gregorius in carmine *De vita sua* : nobis
 sat erit summa rerum sequi fastigia. Postquam
 Maximus, (b) « peritus scelerum artifex et machi-
 nator, » suis mendaciis circumvenit Theologum,
 virum candidum, minime suspicacem, aliisque
 longe artibus occupatum et assuetum, sua eum
 sede deturbare, et eam invadere aggreditur. Huic
 se facinori aptaverat, avertendo paulatim non-
 nullos a Gregorio, quos ab ipso alienos noverat ;
 asciscendo sibi sceleris consortem e Gregorii sa-
 cerdotibus unum, natione barbarum et moribus,
 qui licet beneficiis a Gregorio cumulatus, veteri
 in eum odio et invidia urebatur. Hi ambo ingrati
 contra Gregorium una conjurant ; viros seditiosos
 et ad quodlibet scelus paratos, nautasque emptos
 pecunia ad se convocant. Pecuniam suppeditavit
 quidam presbyter, qui ex Naxo insula Constanti-
 nopolim venerat ad emendas pro ecclesiæ suæ usu
 marmoris Proconesii tabulas. Petrum Alexandri-
 num a Gregorio divellunt, et in suam sententiam
 pertrahunt ; Petrum, inquam, abducunt, suisque
 fraudibus perficiunt, ut qui per litteras nuper
 Gregorium Ecclesiæ Constantinopolitanæ episcopum,
 præfecerat, huic Ecclesiæ Maximum, abjecto Gre-
 gario, præficere laboret, mittatque episcopos Ægy-
 ptios, qui episcopatum illi decernant. His ita pa-
 ratis, jam facto opus erat, et extrema sceleri, seu
 iniquæ molitioni, manus admovenda. Rem aggre-
 diuntur per amicas noctis tenebras, opportunam
 nacti occasionem, cum Gregorius in morbum inci-
 disset. Ecclesiam invadunt, Maximum consecrare
 et in solium collocare festinant. Prius tamen quam
 absolvissent, res tam nefaria innotuit, omne-que,
 non modo orthodoxos, verum ipsos etiam Arianos
 horrore affecit. Concurrere omnes ad ecclesiam,
 deprehendunt in epus peregrinos incumbentes
 episcopos, in eos conclamant. Quibus conclaman-
 tibus, Maximus cum suis effugit Ægyptiis : tum in
 sordidam Choraulæ domunculam ingressi, clancu-
 lum scelus inchoatum absolvunt. Hæc fuit Maximi
 ordinatio, qui furente plebe, totaque in eum plu-
 stra conviciorum effundente, ejectus est civitate.
 Repulsam quoque a Theodosio passus est, quem

a) *Cod. Theod.* xvi, c. 1, l. 2, p. 45.

(b) *Carm. De Vita sua*, v. 1000.

cum suis episcopis Maximus, opem imploraturus, adiiit Thessalonicæ circa mensem Augustum anni 380. Tum Alexandriam petit, ipsumque Petrum hujus urbis episcopum aggreditur, et ab eo postulat, ut vel sedem Constantinopolitanam adipisci faciat, vel suum ipsi solium tradat; sed prætor cum manu militari superveniens Maximum expulit.

CXLII. Percussus dolore Gregorius, solabatur spe discedenti copiam se consecuturum

Interea Gregorius, quam maximo percussus dolore, id tamen solatii habebat, quod spes aliqua affligebat id se consecuturum, ut sibi ab urbe discedendi copia daretur. Cujus consilium cum populus cognovisset ex quibusdam verbis, queis ut suorum memores essent laborum hortabatur; (a) tum facto agmine, viri, mulieres, juvenes, virgines, senes, nobiles, ignobiles, circumstantes queruntur, vim pene inferunt, suum ejulando præsulem a sententia demovere nituntur. Quod cum constanter recusaret, precibus exorant ut saltem maneat, nec trucibus lupis gregem addicat: sicque ipsi concessum est urbe egredi, ut corporis animique vires ea tempestate nonnihil læsas in villa aliquantum restauraret. Non ita multo post redux orationem, olim xxviii, nunc xxvi, habuit, quæ miram pastoris erga oves charitatem spirat.

CXLIII-CXLV. Theodosius Constantinopolim venit. Honorifice Gregorium excipit: Demophilum ejicit: ecclesias Catholicis restituit. Majorem basilicam ingreditur Gregorius una cum Theodosio: cælum, quod antea nubilum erat, serenatur ad ingressum Gregorii in templum.

Hic erat rerum status, cum Theodosius Thessalonica Constantinopolim venit die Novembris 24, anni 380. Ab ipso imperii sui initio nihil antiquius habuerat quam de fide catholica bene mereri: « Justissimis et misericordissimis legibus, » ut Augustini verbis utar (b), « adversus impios laboranti Ecclesiæ subvenire » non cessaverat, quam Valens hæreticus, impense favens Arianis, vehementer afflixerat; cujus Ecclesiæ « membrum esse, magis quam in terris regnare gaudebat. » Gregorium quam honorificentissime Theodosius excipit, amplectatur, benigne alloquitur, præcipuam urbis ecclesiam, nimirum Sanctæ Sophiæ, quam annis quadraginta occupaverant Arianis, tradit his verbis eum compellens (c): « Dat tibi Deus et tuis laboribus per nos templum istud, » etc. Demophilum, qui Eudoxio Ariano Arianus ipse successerat in Constantinopolitana sede, accersit imperator, monet ut abdicata hæresi fidem catholicam cum suis profiteatur; quod eo negante, jussit Theodosius hæreticos ecclesiis excidere, quas orthodoxis restituit. Hæc 26 Novembris contigisse auctor est Socrates; mense vero Decembri Marcellinus in

A Chronico. Mox imperator una cum Gregorio majorem basilicam ingreditur: quo simul ut ingressi fuere, sol, qui prius erat in nubilo, refulsit. « Ibi, » inquit Gregorius, « cum hoc spectaculo subiisset animos fiducia, quæ aderat multitudo infinita, clamare totis viribus ac deprecere nos impræsentiarum haud aliter ac si hoc unum defuisset; princepsque ac maximum a summo principe civitati thronis ipsis anteponendum munus, si urbis solio (episcopali) ab ipso donaremur. Hoc viri dignitate præcipui, hoc infimum vulgus agitabat. Omnes ex arquo rem desiderabant. Hoc alta voce mulieres inclamabant, pene amplius quam mulieres deceret. Incredibile quoddam repercusso fragore tonitru audiebatur. »

B CXLVI. CXLVII. Episcopale solium ut conscenderet, quamvis omnes peterent, cogi non potest. In sede Constantinopolitana Gregorius collocatur.

Tunc quidem victrix fuit Theologi modestia, nec cogi potuit ut episcopale solium conscenderet: verum ad agendas Deo gratias populi studia « vir divinus, » Theodoretî verba sunt (d), provida dexterritate convertit. Fredebant Arianis, sed circumstantes milites hos in officio continuere: « Unus tantum ensis nudatus fuit et postea reconditus, fractaque plebis audacia. » Aliquanto post tempore, cum unanimi omnium ordinum postulationi, votis et clamoribus, suffragia episcoporum plerariiue, non provinciæ solum, sed Orientis etiam pene totius et œcumenici concilii quod Theodosius convocarat, renuntiatio solemniter accessisset, in sede Constantinopolitana clamans et gemens collocatus est Gregorius. « Quidquid Oriens, » inquit (e), « habebat, excepta Ægypto, populi antistitum ad Romam usque secundam, terræ marisque ex intimis recessibus concitatum coiit. His præsidebat vir pietate maximus... moribus melius et nomine (Meletium significat). Ille me collocant firmantque in augusta sede clamantem et gementem, una tamen de causa non plane repugnantem.

CXLVIII. Summo consensu Gregorius in sede Constantinopolitana collocatus, nullius pene suffragium defuit.

Ne quidem Ægyptiorum consensus videtur defuisse; quos scilicet, maxime his verbis, alloquitur Gregorius: « Heri inthronistæ, hodie persecutores; » e throno nimirum, in quo vos ipsi me collocastis heri, hodie dejicientes. Itaque nullius propemodum in toto concilio generali consensus suffragiumve defuit. Demum non defuit ipsius Gregorii consensus, « una tamen de causa non repugnantis. » Hinc apparet quam legitime et canonicis convenienter Constantinopolitanæ Ecclesiæ episcopus creatus sit Gregorius, atque habendus.

CXLIX. Gemens et clamans, non tamen plane repugnans collocatur Gregorius.

Quænam autem illa una fuit causa, cur vir tam

(a) Καὶ τῶν ἐμῶν μέμνησθε, φίλτατοι, πόνων. Carm. De Vita sua, v. 1064.

(b) Lib. v De civit., c. 26.

(c) Carm. 1, v. 1515.

(d) Theod., l. x Hist., c. 5 et 6.

(e) Carm. De Vit., v. 1517.

modestus regendæ Ecclesiæ curam, quod toties detrectaverat, suscipere non recusaverit? Pacis studium. Quo enim Sasimensem primum fugit episcopatum, deinde Nazianzenum, hoc eodem pacis amore Constantinopolitanum suscepit. Spes erat illi quippe conciliandorum regia in urbe animorum, et extinguendæ discordiæ, quæ exorta erat occasione schismatis Antiochenæ Ecclesiæ. Quid gesserit Gregorius, quid præstiterit Constantinopoli, ex ipso juvat aut lire (a) : « Laboravi, populum in medio luporum collegi, gregi aqua carenti de meæ doctrinæ fonte potum præbui, feci sementem ejus fidei, quæ est in Deo fundata, Trinitatis lumen illis patefeci, qui prius in tenebris versabantur. Adeoque quasi coagulatum quod tam eram in lacte persuasionis vi cogentis pharmacum. Et alios quidem jam constrictos tenebam, alii prope aberant, alii statim idem facturi erant : in omnibus autem iracundia flectebatur, quæ prius in eis fervebat. et doctrina mea jam benevolentia quadam erat temperata. Idem de toto populo sperandum videbatur, » etc. Uti fuere Gregorii successus Constantinopoli; hæc felix rerum mutatio ipsius curis et laboribus parata; hæc nova et splendida fidei et religionis facies, quæ horrida erat cum in urbem se contulit, ejus omnes ecclesias per quadraginta annos occupaverant Arianorum antesignani, imperatorum facti potentia. Hæc vero cum certa sint ex historicis Græcis, etiam tes inonio suo Ambrosius in libro *De Spiritu sancto* confirmat.

CL. Gregoriana gesta in urbe Constantinopolitana.

Quæ Gregorio in urbe regia vivendi ratio fuerit, quæ in eum paratæ insidiæ, quæ adversariorum ejus de eo querimonie, quæ demum ejus defensiones, Gregorius ipse tum in carminibus, tum in orationibus enarrare compulsus est :

Haud scio, inquit, quibus verbis enarrem quæ secuta sunt.

Cum ingentem rerum ac negotiorum molem secum trahunt...

Dicam tamen quam potero moderatissime (b).

Primo apud se statuit (c) non eos imitari, qui regnum et magnatum januis assidebant; et accusando, vel pietatis quæstum ambiendo indecore se gerebant; desiderari potius quam odio haberi maluit; ex raritate venerationem sibi meratus est. Quos auxios vidit ob ea in se commissa, quorum sibi conscii erant, alios beneficentia prosecutus est, alios pecuniis juvit; omnes metu liberavit. Sicarium in cubiculum ejus ingressum, et consilii sui atrocitate permoitum, in genua provolutum et lacrymantem, his verbis coram omnibus affatus est :

Servet te Deus; me autem qui serratus sum.

Lenem videri in sicarium non magna res est.

Memum te fecit audacem; vide

Quomodo et me, et Deo dignus fuis (d).

(a) Carm. *De episc.*

(b) Carm. *De Vit.*, v. 1400 et seq.

(c) *Ibid.*

(d) *Ibid.*, v. 1406.

(e) *Ibid.*

Hoc audito civitas omnia quæ, ob trancita orthodoxis templa et ejectos Arianos, (e) « ingemiscebat, et ut gigas ille fertur qui fulmine ictus in monte Ætna fumum et ignem e profundo emittebat, statim emollita est, ut ferrum ignis violentia. »

Tantæ porro Ecclesiæ præsul institutus, provenusque et infinitam omnis generis eximiamque suppellectilem consecutus, ne unica quidem drachma hujus facultates suas auxit; cum tamen maximam talentorum copiam, si ita ipsius voluntas tulisset, colligere potuisset. Ne reddituum quidem et administrationis rationem ab iis, qui Ecclesiæ negotia procurassent, repetivit; haud tamen ignarus id ab iis improbatum iri qui pecuniis inferiores sunt, et quam indecora sit in Ecclesiæ ministris avaritiæ suspicio, non intelligunt. Ipsi etiam exprobratum est quod nec mensa lauta et opipara, nec maguifera veste uteretur, nec splendide in publicum prodiret, nec eos qui eum adibant graviter et cum fastu exciperet. Quam quidem accusationem in oratione valedictoria coram universali concilio ita diluit (f) : « Nesciebam scilicet nobis cum consulibus, et præfectis, clarissimisque belli ducibus, qui tot opibus copiisque circumflunt, ut, quo sua projiciant, non habeant, amulationem et certamen esse; illudque oportere, ut et nobis, pauperum bonis ad luxum et debetias abutentibus, venter undique comprimatur, et necessaria in res superfluas effundantur, atque altaria ipsa rucibus nostris contaminentur. Nesciebam nos equis insignibus et lascivis ferri, sellisque et curribus magnifice attolli, ac cum fastu et pompa deduci, velutque blanda manu demulceri oportere, atque omnes nobis, perinde ac beluis, de via decedere, et a utranque viam pariter scindi et distrahi, aut etiam tantam præventionem turbam esse, ut procul incessus noster conspicuus appareat. » Cum autem multi essent quos hæc apologia perstringeret, inde est quod Gregorius se a multorum moribus alienum esse profiteatur, nec se miraturum, si quando vinculis ut incommo- dus et morosus astringatur, aut etiam musto plenus censeatur, ut Christi discipuli cum lingua loquerentur : (g) « Ignotante scilicet multitudine id Spiritus vi et facultate fieri, non mentis aberratione. » Aliunde loquutus quibusdam oblectamentis labores suos levare solitus esset : « Inambulabam, inquit (h), ego solus, vergente jam ad occasum sole. Locus porro in quo spatibam, maris ripa erat. Semper enim soleo ejusmodi oblectamentis labores dissolvere ac relaxare; quandoquidem nec perpetuam contentionem nervus ferre potest. »

Quo pacto se adhiberet erga eos qui persecutionis tempore lapsi erant, ipse Gregorius docet his verbis (i) : « Ne ipse quidem eos recipio, qui vel nullo modo, vel non satis deprimuntur, nec patrato cri-

(f) Or. 42, n. 24.

(g) *Ibid.*, n. 22.

(h) Or. 26, n. 8.

(i) Or. 39, n. 19.

mini parem vitæ emendationem afferunt; cunque recipio, convenientem ipsis locum assigno. »

CL. Concilium generale convocat Theodosius an. 381.

Proposita quasi universa Gregorî in urbe Constantinopolitana episcopatus summa, nunc singula recenseamus. Post restitutas orthodoxis ecclesias, convocatum a Theodosio concilium diximus. Ex toto Oriente Constantinopolim episcopi convenere numero cti, ut fidem Nicenam confirmarent, et regiæ urbi episcopum præficerent. Nullum forte celebratum unquam est concilium, ad quod tot præsules sanctitate insignes convenerint. Hos inter eminebant sanctus Meletius Antiochenus, sanctus Gregorius Nyssenus ejusque frater sanctus Petrus Sebasteus, sanctus Amphiloehius, etc. Alii vero non pauci aderant longe dissimiles, et valde moribus dispares, quos Gregorius noster asperius tractat. Ex his erant nonnulli, qui Valentis tempore, pulsus in exilium præsulibus orthodoxis, Arianorum favore vacantes sedes occupaverant. Hujusmodi pontifices, temporî servientes, sub Arianis principibus Ariani erant, sub orthodoxis fidem orthodoxam profitebantur.

CLII. In eo concilio Maximi irrita ordinatio declaratur. Maximus ab Ecclesia ejectus. Electio Gregorii confirmata. Præfuit concilio, sultem post Meletii mortem. Mors Meletii.

In hoc concilio, quod secundo generale est, et primum Constantinopoli habitum, causa Maximi Cynici, qui in sedem Constantinopolitanam irrepere tentaverat, tantasque turbas exilarat, agitata est. Communi omnium consensu irrita Cynici ordinatio habita fuit, sancitum est Maximum nec fuisse nec esse episcopum; et qui ab ipso ordinati essent in quocunque Ecclesiæ gradu, clericos non esse habendos. Uno verbo quæcunque circa ipsum, vel ab ipso acta fuerant, a concilio improbata ac rescissa sunt, ejectusque Maximus ab Ecclesia, et a fidelium consortio remotus. Quibus peractis, Theologi electio communi Patrum calculo probata et confirmata, ipse in sede Constantinopolitana multum quidem gemens, non tamen ut antea repugnans, collocatus est a sancto Meletio concilii præside, qui jam vel ante concilium in urbem venisse creditur, ut Gregorî electionem confirmaret, et « aponsum sponsæ daret, » ut loquitur Nyssenus, qui hac die orationem habuit. Gregorius noster concilii præses fuisse videtur, si minus statim atque in solio episcopali constitutus fuit, saltem postquam mors abstulit Meletium, bonis omnibus flebilem, nulli vero flebiliorum quam Gregorio. Insignis hoc sæculo moribus, pietate, scientia præsul fuit Meletius, maxime vero certaminibus pro defendenda veritate adversus hæreticos susceptis, sub imperatoribus Constantio, Juliano, Valente, a quibus sæpe in exilium pulsus fuit. Ecclesiæ pacem sanctus

præsul moriens episcopis commendaverat, Gregorio teste; qui et ipse pacis studiosissimus, hac una causa in sede Constantinopolitana locari se passus fuerat, ut Orientales et Occidentales, quorum alii pro Meletio, alii pro Paulino stabant, ad concordiam revocaret, et luctuosum schisma, quo catholicus orbis scindebatur, exstingueret.

CLIII-CLV. Gregorius in hac erant sententia, ut Meletio successor non ordinaretur. Sed ad hoc non persuasit, ut omnium pene odia in se concitaverit. Vincti juniorum factio episcoporum, qui etiam seniores in suam pertrahunt sententiam: et Flavianus presbyter Antiochenus Meletii successor electus est. Orientales et Occidentales episcopi, variis de causis, Gregorio sedem suam relinquere volenti, non aduersantur.

Sublato igitur e vivis Meletio. Gregorî sententia fuit, pacta esse servanda, nec Meletio ordinandum esse successorem; siquidem antea convenerat, ut illi qui prius moreretur, sive Paulinus, sive Meletius foret, nullus subrogaretur, et superstes alter Antiochenam sedem occuparet. Hæc, inquam, fuit Gregorî sententia, cui quidem si cæteri parvisent, magna illa lis composita fuisset. Suadere conatus est, ut succederet Paulinus, jam senio confectus, paucis diebus quibus vita superstes foret, solus Antiochenam sedem occupare; quo defuncto, in ejus tunc locum subrogarent Orientales quem vellent. Hæc ejus fuere verba ad concilii Constantinopolitani Patres (a): « Thronum retineat qui tenuit ad hunc diem (nempe Paulinus): quid hoc nocebit, » etc. Nihil tam prudenti sententia profecit Gregorius, adeoque non persuasit quod volebat, nec dissidentes ad concordiam revocavit, ut etiam omnium in se odia incenderet. In sua tamen sententia, vir justî rectique tenax, constanter perseveravit, contestatus se throno episcopali potius cessurum, quam ut eorum, si prava decernerent, sequeretur. Quæ Gregorî contestatio indecoris excepta est clamoribus (b): « Clamitant illi undique, ut gratulorum turba, » etc. Itaque vicî juniorum episcoporum factio, qui seniores in suam pertraxere sententiam; atque etiam, haud quidem per se, sed per Gregorî familiares, ipsius constantiam tentare ausi sunt, ut suaderent id quod de Flaviano in Meletii locum substituendo cogitabant. Sed repulsam passi sunt. « Quid necesse est dicere, quibus vobis ab his amicis nostra carities fuit tentata? » Hæc et alia plura Gregorius, qui indignabundus « e medio pedem cœpit eximere; » imo et e domo sua in aliam migravit, extrahens seipsum « a profundo ecclesiæ, » ubi domus erat episcopalis, ut procul esset « a malis sermonibus et conventibus. » Ut audivit populus domum a Gregorio commutatam esse, pene incredibile est quibus gemitibus, quot et quantis lacrymis pastorem suum omnes Catholici deferent, quibus orationibus, ut a proposito desisteret, cum eo contendere. His quidem

(a) Carm. De Vita sua, vers. 1627, etc.

(b) Ibid., vers. 1635.

movebatur Gregorius, sed tamen nondum a prima sententia desistere potuit. Cum autem a concilio discessisset, tum Flavianus presbyter Antiochenus, Meletii successor electus est communibus eorum omnium qui remanserant votis; sicque discordia Orientales inter et Occidentales perseveravit: quod tantum Gregorio mœrorem incussit, ut sedem Constantinopolitanam deserere firmus statuerit. Assensi sunt omnes concilii Patres; tum Orientales, Gregorio infensi ob denegatum Flaviano suffragium; tum Occidentales, Ægyptii nempe et Macedones, recens Constantinopolim advenit, qui pro sua in Orientales æmulatione, Gregorium, licet Paulini causam tueretur, ipsisque adeo faveret, non ob aliud eum throno episcopali cedere passi sunt, quam quod ab Orientalibus in eo fuisset collocatus, ac quidquid ab ipsis actum fuerat cassum irritumque esse velent.

Hinc illorum querere adversus Gregorii promotionem, et non tam ipsius odio, vel ut alium in throno collocarent, quam ut molestiam aliquam his, qui eum in illo collocaverant, parerent, negotiumque facerent. « Saltem remotis arbitris, » inquit Gregorius (a), « hoc mihi interdum asserbant. » Certe Ægyptii ac Macedones, qui Occidentalium partes tuebantur, non poterant nisi bene velle Gregorio, qui tam strenue pro componenda pace adversus Orientales decertans, episcoporum Occidentalium patrocinium susceperat. Itaque Orientalibus episcopis odio erat Gregorius, eo quod causam Occidentalium defendisset; Occidentales vero, in odium Orientalium, de sede in qua ab Orientalibus collocatus fuerat, ac veluti non legitime occupata, Gregorio negotium conflabant.

CLVI-CLVIII. *Gregorius abdicat se episcopatu. Facultatem discedendi a Theodosio facilius obtinet Gregorius. Non sine lacrymis quisquam legerit extremum vale, quod gregi suo lacrymis perfuso dixit Gregorius in orat. coram episcopis, nunc 42.*

Hæc ubi moveri intellexit Gregorius, arrepta occasione et effringit vincula. In medium progressus, episcopos alloquitur, ad pacem et concordiam hortatur. Tum subjungit (b): « Quæ quidem ad me spectant parvi pendite... Ego Jonas propheta ero. Trado me ipse ad salutem navis, quamvis procellæ nulla in me causa resideat. Sublatum me sortis exitu projicite. Hospitale me ex profundo cete excipiet. » Sic mirando inauditoque honorum ac sui ipsius contemptu, nec non raro et singulari pacis concordieque studio, Gregorius episcopatu Constantinopolitano sese abdicat. Protinus e conventu egressus adit Theodosium, a quo enixis impetrat precibus ut abdicationi acquiescat. Pius quidem imperator, qui Gregorium ob singularem eloquentiam maximi faciebat, et ob eximiam pietatem impense venerabatur, (c) « baud libenter, ut ferunt,

A ejus votis cessit, cessit tamen. » Non solum autem pacis amor et concordie, sed alia bene multa in causa fuere, cur episcopatum deponeret Gregorius. Id cernere est in variis Theologi carminibus et epistolis, sed potissimum in egregia illa oratione, quam, accepta a Patribus concilii et ab imperatore discedendi facultate, in primario urbis templo coram centum quinquaginta episcopis populoque Constantinopolitano habuit, priusquam discederet. Hanc qui legerit, vix temperet a lacrymis: nihil enim hac oratione eloquentius, nihil ad permovendum aptius; maxime vero cum extremum vale gementi lacrymisque perfuso gregi dicit et dilectissimæ Anastasie, quæ in medullis ipsi hærebat, et hæsit semper; adeo ut semper in ejus mente esset, in ore versaretur, atque etiam dormienti per somnia repræsentaretur. Tanta vi omnes adversariorum querelas diluit, tam diserte et manifesto suam ipsius innocentiam, charitatem, pastorem sollicitudinem oculis omnium exhibuit, ut mirum si ejus detractores pudore non suffunderentur, et singuli, ejus discessum lamentantes, eum a proposito deterrere non conarentur.

CLIX, CLX. *Anno 381, labente mense Julio, Constantinopolim reliquit. Fuere episcopi qui id ægre tulerunt, auresque obstruxerunt, et effugerunt ne alium in throno Gregorii sedentem cernerent.*

Sic Gregorius Constantinopolim reliquit anno 381, labente Julio, post triennii in urbe commorationem; cujus sedem non nisi per aliquot hebdomadas tenuerat, ex quo scilicet in ea a concilio generali, ab imperatore, toto spectante et plaudente populo, fuerat collocatus. Hinc Gregorius sic episcopos alloquitur (d): « Heri locastis in throno, hodie dejecistis. » Quamvis autem nimium faciles episcopi ejus votis annuerint, nonnullos tamen id ægre tulisse, auresque obstruxisse, atque etiam effugisse ne alium in ipsius throno sedentem conspicerent, ex Gregorio discimus: quorum nomina, licet taceat, hos episcopos fuisse credimus Amphilochem, Gregorium Nyssenum, Petrum Sebastenum ejus germanum, Helladium, ceterosque præsules singulari pietate et scientia commendandos, qui cum Gregorio familiaritate jamdudum conjuncti erant, ejusque virtutem norant.

CLXI. *Testamentum condit Gregorius.*

Nostrum non est institui cætera, quæ in concilio Constantinopolitano gesta sunt post Gregorii discessum, prosequi; quæ licet magni sint momenti, a proposito nostro, ad quod etiam non videntur pertinere, nos longius abducerent. Gregorium urbe discedentem et patriam repetentem sequamur. Quo tempore Constantinopoli digressus sit non patet; ac credibile est eum, quam primum potuit, profectum esse, nec expectasse donec alter in ejus locum sub-

a) Carm. *De Vit.*, v. 1810.
 (b) *Ibid.*, v. 1827 et 1841.

(c) Carm. *De Vita sua*, v. 1901.
 (d) *Ibid.*, v. 1936.

rogaretur. Priusquam discederet, testamentum A
condidit, quod etiamnum exstat, appositis plurimum
episcoporum nominibus, qui tunc Constantinopoli
versabantur. « Sane testamentum hoc, » inquit
Possevinus (a), « dignissimum est, in quod epi-
scopi, quique sacerdotia pingua tenent, serio in-
spiciant, eumque initentur, si velint procul a
carne et sanguine sibi et animarum saluti serio con-
sulere.

CLXII. Nazianzum revertitur Gregorius.

Gregorius, tot gloriosis adversus hæreticos de-
functus præliis, tot exantlatis laboribus ad reparan-
dam fidem antiquam, quæ pene collapsa erat Con-
stantinopoli, denique tot rebus præclare gestis,
gaudio gestiens patriam repetit, in qua se otio ac
quiete optataque solitudine fructurum sperabat. B
Gaudio tamen permistus erat dolor: non enim sic-
cis oculis dulces natos, quos in catholica fide ge-
nerat, et claram liquit Anastasiam. In natale solum
æger advenit, nec idcirco suam abdicationem
pluribus tunc approbavit, licet præclarum facinus
tanta sui oblivione decretum, tanta animi elatione
consummatum, omnes posthac mirati sint. Amico-
rum variae de hac re opiniones Gregorium non la-
tuerunt. Philagrio, viro spectabili, semetipsum per
litteras excusanti quod eum non invideret, ac ti-
mere se significanti non nimis inconsiderate suam
ipse Gregorius Ecclesiam deseruisset, ita respon-
dit (b): « Et me scito admodum afflictæ esse vale-
tudine... Nobis haudquaquam parva levisque mo-
menti sunt ea, de quibus scripsisti: proinde nec C
ipsi perfunctorie et negligenter, sed perquam ac-
curate, considerata re atque perpensa, ad hoc ju-
diciam venimus. Fessi ac fracti sumus, cum in-
vidia, et cum sacris episcopis communem concordiam
dirimentibus, fideique causam privatis contentioni-
bus posteriorem habentibus, concertantes. Quocirca
navigii proram, ut dici solet, convertere, nosque...
In nos ipsos colligere decrevimus: atque alios qui-
dem enim spectare mutuo se impetentes. »

CLXIII. Episcopum Nazianzi constituere frustra
conatur.

Attamen in patriam reverso ea frui requie, cui
tantopere studebat, nec domestico statim licuit
otitari. Vacabat per id temporis Ecclesiæ Nazianze-
næ sedes, nequicquam Sozomeno contrarium scri-
bente. Hanc enim sibi charissimam Ecclesiam, na-
vis instar ductore carentis, mediis in fluctibus
errantem, procellis actam et Apollinaristarum
incurisibus patentem, a se inventam Gregorius
ipse testatur iambico carmine olim xxiii, nunc
CLX (c):

*Cum enim venissem, peregrinæ
Linqvens sedem terræ,
Dulcemque plebem
Ut vidi, statim menti occurrit
Arca, quæ sola
Effugit inundationem...*

(a) Appar. sac., p. 671.

(b) Epist. al. 63.

*Hanc enim, cum defecisset
Pene vera doctrina,
Servavit ligno
Magnus pater mens,
Totius totam Trinitatis
Cultricem reddens.
Hanc afflictam absque præsula,
Velut navem in alto,
Carentem gubernatore
Jactatam tempestate
Maximorum malorum,
Extrahere e gurgite volebam.*

Cum vero navis pene contractæ clavum nec te-
nere ipsi animus esset, nec per valetudinem liceret;
memor tamen pii parentis in hac gubernanda et in-
stauranda laborum, eam penitus naufragio perire
non ferebat. Itaque virum frangendis æstantium
undarum incurisibus idoneum ei præficere curavit,
virum quidem adhuc laicum atque ararii ecclesiæ
custodem recens constitutum, cætera virtutibus,
quales in episcopo requiras, insigniter ornatum et
abunde instructum. Verum spem mentitus est exi-
tus, flagrante invidia presbyterorum Ecclesiæ; qua-
rum pars a Gregorio Sarcotarum appellata (Til-
lemontius Apollinaristas interpretatur) palam aper-
teque repugnabat; pars obsecundantis specie clan-
culum adversabatur: quodque magis mirere, anti-
stites qui se Gregorii amicos profitebantur, qui
suam illi hac in re opem erant professi, fidem
datam sefellerunt. Quam porro graviter id tulerit,
his atque aliis verbis in eodem carmine signifi-
cat:

*Verumtamen deceptus sum, o Trinitas
A me prædicata!
Periit fides in Deum,
Periit ex hominibus.
Quo quis se conferat? et quibus
Jungat se socium?*

CLXIV. Arianzum se recipit, et inde Cæsaream
se confert.

Tum vero Gregorius, commissa Cledonio presby-
tero Nazianzenæ Ecclesiæ cura, Arianzum, in do-
mum paternam, valetudinis causa et solitudinis
amore se recepit, nec ante medium circiter annum
382 Nazianzum reversus est. Cæsaream interea se
contulit, ut Basilio Magno, tribus abhinc prope an-
nis ad superos evocato, justa persolveret: quod
quidem in oratione nunc xlii sic exsecutus est, ut
in præclaris amici facinoribus enarrandis omnes
D eloquentiæ Christianæ opes profunderet, atque ob-
trectatoribus qui Basilii indolem accusare, aut ejus
de Spiritu sancto doctrinam, et in ea prædicanda
morem carpere ausi fuerant, os in perpetuum oc-
cluderet.

CLXV. Quid in solitudine ageret.

In solitudine quo pacto se haberet Gregorius,
quibus rebus vacaret, quo sensu amicos, quo etiam
inimicos prosequeretur, scribens ad Amazonium
ipsemet declarat his verbis (d): « Si quis commu-
nium amicorum, quos permultos esse confido, ex
te percontetur, ubi nunc Gregorius, et quid rerum

(c) Lib. vii, cap. 7.

(d) Epist. al. 73.

agat, dicere ne dubites eum quiete ac tranquille philosophari, non magis eos, a quibus injuria ipsi lata est, curantem, quam eos, de quibus, in lucem et vitam prodierint, ignotum atque obscurum est: adeo invicto est animi robore. Quod si te rursus idem roget, quomodo amicorum disjunctionem ferat, non jam fidenter respondeas eum philosophari, verum animo esse perquam humili et abjecto. Alii enim in aliis rebus molliores sunt, ego autem in amicitia et amicis. »

CLXVI. *Calamitates quibus tunc temporis afflictabatur Ecclesia.*

Hæc dum ageret ille, optatoque frueretur otio, vehementibus Ecclesia procellis agitabatur, hinc Antiochæno schismate dilacerata, illinc Apollinaristarum turbata conatiis; qui licet ab Oriente et Occidente rejecti, disseminandis nunc palam, nunc occulte suis erroribus nihilo segnius allaborabant. Ad hæc cynicus ille, qui turpiter e sede Constantinopolitana depulsus, in Ægyptum primo se receperat, eamque calumniando sus deque verterat, Italiam concitabat iisdem artibus. Quibus malis quanto citius occurrendum ratus pontifex Damasus, generale concilium Romæ haberi decrevit. Ast imperator rem in Oriente peragi satius dicens, Constantinopoli synodum indixit, cui Gregorium præsertim interesse summo cupiebat. Cujus voti per Procopium certior factus Gregorius, infelici omnium quibus adfuerat synodorum exitu ad memoriam revocato, suas quominus Augusto pareret infirmitates obtulit. « Ego, inquit (a), si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnium episcoporum conventum fugiam: quoniam nullius concilii suam lætiam et fastum vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem et incrementum habuerit... Huic quoque meo iudicio patronus morbus accedit, quippe qui me ita distortat, ut quotidie fere extremos spiritus essem, nec ulla re in ipso uti queam. » Excusationem, quam sictam arbitrabatur, adeo non admisit imperator, ut novis per Icarium virum illustrem et Olympium Cappadociæ rectorem Gregorio insisteret mandatis: quibus acceptis Olympio sic rescripsit vir mentiri nescius (b): « Hoc mihi morbo ipso gravius est, quod cum æger sim, agrotare tamen non credar, verum peregrinationem ita longam inire, atque in medios tumultus me ipsum impellere jubeat: a quibus secessisse tam mihi gratum fuit, ut hoc nomine gratiam quoque corporis afflictioni propemodum habeam... Hoc et illustrissimo quoque Icario non ita pridem scripsi, cum idem ab eo jussum accepissem; et nunc a tua animi magnitudine peto, ut pro nobis quoque id scribere non gravetur. » Vicit tandem Gregorii modesta recusatio, qui jam antea statuerat nunquam latere episcoporum conciliis, ut iose fatetur ad

(a) Epist. al. 53.
 (b) Epist. al. 76.
 (c) Epist. al. 84.
 (d) Epist. al. 78

Theodorum episcopum Tyanensem scribens. « Vocas? inquit (c). Nos vero properamus. Properamus autem, ut soli cum solo congregiamur. Synodos enim atque colloquia procul salutamus; ex quo scilicet tempore multa eorum, ut parce loquar, improba et flagitiosa esse comperi. »

Quamvis synodos vitaret Gregorius, eum tamen, non secus ac orbi præcesset, omnium Ecclesiarum tenebat sollicitudo, semper intentus iis quæ ad hæresim extinctionem aut propagationem fidei spectare conspiceret. « Omnia, inquit (d), apud nos Dei beneficio recte se habent, hoc uno excepto, quod de Ecclesiis auxilii et solliciti sumus tam sæde perturbatis. » Sua eum imprimis angebat Nazianzena, quam non modo corrumpere, sed et invadere tentabant Apollinaristæ. Dum enim ad Xauxaridas thermas longius Gregorium morbus abduxisset, suæ factionis hominibus, quos Nazianzi habebant, contra jus fasque episcopum constituere præsumserunt. Hos lenitate sua mansuetos placidoque reddere voluerat et paulatim emollire; at peiores eos effecit: « Non enim, inquit (e), pravos homines lenitas inflectit. » Cum autem absens malo mederi non valeret, litteras sibi vicarias substituit, scribens Olympio præfecto his verbis (f): « Mali homines, episcopos quosdam, quibus dignitas ab universali concilio abrogata fuerat, accersentes, aut transeuntibus alutentes, imperialibus omnibus constitutionibus atque omnibus vestris edictis violatis, cuidam impii et adulterini sui gregis episcopi nomen imponerunt, nulla re, ut opinor, perinde freti, atque summa mea imbecillitate. » Deinde sceleris hujus ultionem petiit, mitiorem tamen quam tanta audacia mereretur.

CLXVII. *Ecclesiæ Nazianzenæ curam gerit.*

Anno 382 circiter exeunte, rogantibus episcopis et universo populo, pusillis ac magnis vociferantibus et obsecrantibus, ut assumpto Ecclesiæ Nazianzenæ clavo eam ab imminente servaret naufragio, cessit. « Tuæ pietati, » inquit Gregorius (g), datis ad Bosphorium Coloniensem litteris, « hoc denuntio, nos manus dare et cedere, atque Ecclesiæ curam, Deo dante, suscepturos esse, quandoquidem hoc contenditis, ac præsertim urgente hac tempestate, propter imminentem, ut ipse scribis, adversariorum incursionem, humileque hoc corpus Deo comodaturos esse, quando durabit, viresque nostræ ferent, » etc. Hæc verba, « quando durabit, viresque ferent, » satis evincunt epistolam non ad annum 374, ut vult Tillemontius, esse referendam, quo Gregorius defuncto patre Ecclesiæ Nazianzenæ « curam aliquam gessit; » siquidem tunc temporis non pollicitus fuerat Nazianzi se mansurum quandiu vires ferrent, sed tantum donec episcopus alter eligeretur.

(e) Epist. al. 77.
 (f) Ibid.
 (g) Epist. 138, al. 14, Bosphorio.

CLXVIII. *Patriam ab ingenti periculo liberat Gregorius.*

Circa idem tempus Nazianzenos cives ab ingenti periculo, atque urbem ipsam ab excidio liberavit, quam solo se æqnaturum minabatur Cappadociæ præfectus in ultionem gravissimi facinoris. « Audax facinus, fatetur Gregorius (a), verum nequaquam a communi consilio, sed a temerario quorundam adolescentum impetu profectum. » Ob irrogatum forsitan gravius quoddam tributum, ventum erat ad seditionem; protervi quidam juvenes, violato Cæsaris decreto, etiam hominem occiderant. Interea Gregorius morbo laborans, cum adire præfectum non posset, litteras scripsit, ut eum ad misericordiam flecteret. His litteris atque precibus Gregorii liberata est civitas. Ea occasione habitam fuisse orationem xvii coram præfecto (is erat Olympius), quæ inscribitur, *Ad cives Nazianzenos trepidantes et præsidem iratum*, existimavit Baronius (b); sed falli videtur. Hæc enim oratio, cum adhuc Gregorii pater superstes esset, habita est: præterea culpa Nazianzenorum, de qua in oratione agitur, non perinde gravis est ac illa, de qua in epistola ad Olympium.

CLXIX. *Eulalium Nazianzi episcopum præfæi curat.*

Gregorium tandiu Nazianzi in urbe permansisse, donec illi firma securitas redderetur, et optinus illic præficeretur antistes, scribit Baronius (c); simulque egisse apud Helladium Cæsareæ Cappadociæ episcopum metropolitanum, ut Eulalium virum probatissimum præficeret Ecclesiæ Nazianzenæ, dum ipse interim secessum in solitudinem meditabatur. Rem paulo aliter contigisse ab ipso Gregorio discimus. Ecclesiam quidem Nazianzenam regendam susceperat, quandiu vires ferrent; et eam aliquandiu rexit. Cum autem gravi morbo laboraret, datis litteris ad Theodorum Tyanensem significavit se morbo ab Ecclesiæ gubernaculis abductum fuisse, ipsique Theodoro hanc curam incumbere: quod si non audiat, addit se omnibus publice prædicaturum, Ecclesiam hanc pastore indigere (d). « Testificor coram Deo et electis angelis, Dei gregem indigna pati, ut qui ob perditam valetudinem meam nec pascatur, nec visitetur... Cum autem pietas tua superiore loco sita sit, ad te oculos coniectos habere necesse est. Ecclesiam tuam, quo pacto tibi videbitur, cura... Quod si hæc dicens ac scribens minime audiar... perspicuum reddam quod Ecclesia episcopo indigeat. » Quod minabatur se facturum præstitit Gregorius, gubernacula Ecclesiæ Nazianzenæ abdicavit, nec cogi ultra potuit ut ea susciperet. Nequidquam Bosphorus Coloniensis, cui primum cesserat, iterum hortatus est ut remaneret tantisper, donec ejus loco episcopum constituerent: repulsam passus

⁷⁴ II Cor. xii, 7. ⁷⁵ I Cor. ii, 2.

(a) Ep. al. 49.

(b) Apud Boll. 11 Maii, p. 421.

(c) Ibid. p. 422.

(d) Epist. al. 88.

A est. Quare coacti sunt episcopi Ecclesiæ Nazianzenæ pastorem dare, et Eulalium, vir insignis pietate, episcopus creatus est. Quo ordinato, falsus rumor increbuit Gregorium Nazianzena sede privatum fuisse ab Helladio Cæsariensi; qua calumnia Helladium, cæterosque episcopos qui Eulalium ordinaverant, liberavit, eos in epistola ad Gregorium Nysseum excusans (e), simulque denunciando se nunquam Ecclesiæ Nazianzenæ creatum fuisse episcopum.

CLXX. *Vita Gregorii in solitudine.*

Ex eo tempore Gregorius in rure paterno, voti compos factus, latuit abditus, totosque, quotquot superferunt vitæ dies, traduxit; atque, ut cum Hieronymo loquar, « monachi vitam exercuit. » A mulierum consuetudine sic alienus, ut cum propinquus ejus quidam, Valentinianus nomine, sedem in vicinia cum mulieribus posuisset, locum ipse mutaverit, scripta subinde ad eum epistola conquestus his verbis (f): « Per summum scelus ejicimur... Multo melius erat, tabula publice proposita, nobis secessionem indicere, quam per mulieres, quas e regione nostra collocasti... Nisi hoc dictu audax est, nos quoque per Evam e paradiso expulisti. » Sic sibi fuga consulebat Gregorius, non tantum ut ab oculis removeret scandalum; verum etiam ne stimulus carnis, angelus Satanzæ qui ipsi datus fuerat ⁷⁶, letale vulnus infligeret. Mirum sane quod homo gravissimis fatigatus angustiis et ærumnis, senio confectus, morbo laborans, in eremo consistens, carnem continuis domans jejuniis ac vigiliis, cum spiritu fornicationis manus cessare fuerit coactus; ipsi tamen fides habenda, cum hoc iterum atque iterum lugens profiteatur. « Furibundo robore sævit caro, inquit (g), nec unquam a bello quiescit... Quamobrem in luctu et squalore versor, cælestemque illum Regem, qui omnia imperio tenet, supplex obtestor, ut corporis animæque controversiam disceptet, bellumque comprimat. » Dum belli hujus exitum semper timeret, non solis gemitibus amoris Christum, ut sedaret tempestatem hostemque depelleret, urgebat: « Perniciosos, inquit, fluctus extimescens, ventri claustra impono, animum mæore conficio, lacrymarum vim effundo, sempiterno Regi debitata genua flecto, et sordidatus incedo. » Eodem animi ardore beatus senex, nihil sciens nisi Christum, et hunc crucifixum ⁷⁷, novum sibi mortificationis genus invenit. Ætate gravis fractusque morbo, aliquid de vitæ austeritate remiserat licet invitus: ut autem mysticum semper cum Christo sacrificium ageret et huic mundo jugiter moreretur; ut eris delicta senumque pecudiare vitium, qui quandoque nimium loquuntur, purgaret, continuam silentium toto Quadragesimæ tempore sibi imperavit. « Sic ego, inquit (h), præcipitis sermionis impetum conspiciens excedere

(e) Ep. al. 42.

(f) Ep. al. 196.

(g) Carm. *De calamitatibus suis*.

(h) Carm. 55.

modum et regulam... inveni optimum remedium; scilicet comprimens totum sermonem excelsio pectore, ut discat lingua quæ dicenda et quæ non dicenda sint discernere. »

CLXXI. *Nectario scribit adversus Apollinaristas.*

Hoc temporis tractu, hæretici caput extulerunt in urbe regia, adeo ut libere conventus agerent, et dogmata sua prædicarent. Alii quidem sola episcoporum aut præfectorum tolerantia id agebant; Apollinaristæ vero, tacita vel expressa licentia, se ipsos orthodoxis æquiparare, et eadem cum ipsis libertate frui sinebantur. Quibus auditis Gregorius, Nectario, quem in se benevolam jam expertus erat, epistolam scripsit, quæ inter orationes numero XLVI censebatur, et de concessa Apollinaristis licentia vehementissime conquestus est: « Quod autem, inquit, ex omnibus ecclesiasticis calamitatibus acerbissimum, Apollinaristarum licentia est, quod haud scio quomodo pietas tua conventuum æque ac nos habendorum auctoritatem sibi arrogasse atque usurpasse passa fuerit. » Hæreticos illos, errorem suum occultando, Nectario fucum fecisse conjicimus ex eo quod Gregorius claram dogmatum illorum expositionem epistolæ suæ inserendam crediderit; cui expositioni ista subjunxit: « Si illis, ut et pie sentientibus (nimirum, utpote qui pie sentiant), ea quæ sentiunt docere libereque promulgare permittitur, quis non videt Ecclesiæ doctrinam condemnari, perinde ac veritate ab illorum partibus stante? Neque enim rerum natura fert duas de eadem re contrarias doctrinas veras esse. » Non ex eo tantum quod tolerentur, sed ex eo quod pie sentientes judicentur Apollinaristæ, concludit Gregorius Ecclesiæ doctrinam condemnari. Qua quidem observatione falsi convincitur, quod Barbeiracus in hoc sancti doctoris ratiocinium protulit.

Alias ad Nectarium litteras dedit Gregorius pro Bosphorio episcopo Coloniensi, de erroribus circa fidem, ac de infractis canonibus insimulato. Verendum erat, ne hujusmodi causa in publico prætorio ageretur; quod ne fieret, obnixè rogavit Gregorius: « Illud autem, inquit (a), minime ferendum tuæ reverentiæ videatur, quod nostra publicis prætorii traducantur. Nam tametsi sunt Christiani, ut certe Dei benignitate sunt, ejusmodi negotiorum iudices: quid commune gladio et spiritui? Quod si etiam concesserimus, quomodo aut ubinam justum, disputationem de fide cum aliis controversiis implicari? »

CLXXII. *Scribendis epistolis et condendis versibus occupatur.*

Sic Gregorius, post abdicatam Ecclesiæ Nazianzenæ curam, nil minus decoris domus Dei flagrans desiderio, catholicis utilitatibus totus incumberebat; nec inertem in solitudine vitam illius fuisse satis testantur tot carmina, quorum pars maxima ab eo tunc condita sunt; tot epistolæ, quibus innocentiae adversus oppressores patrocinium suscipit; quibus

fidem adversus hæreticos aut defendit ipse, aut alios, ut defendant, hortatur. Quæ quidem omnes epistolæ argumento sunt, quantum in eo fidei studium fuerit, quanta sollicitudo circa res Ecclesiæ, quantum amor proximi, quantum pacis studium, etc.

Longum esset hæc per singula enarrare; sed silentio prætermittere nefas quod sanctus pontifex egit, salutem animarum semper intentus, ut Nemesium ad Christum alliceret. Vir erat omni liberali doctrina politissimus, summæ eloquentiæ, et in foro celeberrimi nominis. Mox illustris factus, Cappadociæ præfecturam primam obtinuit, et integra mente magnaue reverentia res provinciæ administravit; sed quantumvis et eruditus et prudens, adhuc idolorum cultui addictus erat. Interea, vir litterarum amans, doctorem maximum singulari honore prosequi non destitit, ipsique necessaria levandæ senectuti et infirmitati juvandæ subsidia generose suppeditavit. Gregorius, ut episcopum decebat, non laudes amplificando, sed monita salutis tribuendo, beneficiorum memorem se digne comprobavit. Ingenio hominis exquisitæ litteraturæ obsequens ipsi egregium poema dedicavit, quo ei simulacrorum vanitatem et mendacium exprobraret, et ad unius Dei cultum præsidem tot præclaris dotibus ornatum traduceret. Nemesius tanti magistri præcepta æquo animo excepit, ad sanctum doctorem se contulit, cum eo de religione disseruit; satisque verisimile est, pontificis sermonibus edoctum et sanctitate percussum, idola ejurasse, ipsumque philosophum hunc esse Christianum, Nemesii nomine, qui *De anima* opus edidit, quod inter opera Gregorii Nysseni vulgatum est.

Talibus negotiis in solitudine distentus erat Gregorius et condendis carminibus, quæ nihil nisi Christum pietatemque spirant, tutissimaque dogmata et morum præcepta complectuntur. Pia ubique argumenta, vel animæ et corporis purgatio, vel theologia, vel preces ad implorandam opem divinam adversus carnem et malum dæmonem ad scelus sollicitantem; vel gemitus viri pii, ærumnas suas lugentis Christumque orantis, ut vitæ finem afferat. Cantare non cessavit vates piissimus ad extremum usque vitæ spiritum, morbi quærens solatia; quo quidem in dies ingravescente, et appropinquante morte, ludere versibus, et carmina quæ cycnea vocant, componere pergebat.

CLXXIII. *Moritur Gregorius.*

Quamvis autem asperam semper, victuque horridam duxisset vitam, sæviens in corpus, carnem vigiliis, jejuniis aliisque pœnitentiæ laboribus afflicans, extremæ vitæ certamen imminere sentiens, jamjam « tartarum caligine horrendum » videre sibi videbatur, et « ignis flammam, altissimamque noctem. » Tum supplex ad sidera palmas tendebat, inclamans beatorum choris ut opem sibi ferrent, totoque corde ad Deum aspirans, Christum

(a) Ep. 21. 227.

enixe rogabat ut se exciperet, et imaginem suam non desereret. Ita beatissimus senex (a) proxime moriturus, cyneo cantu Domino cantans, purissimum Deo spiritum reddidit, ac optatam quietem cum agminibus beatorum adeptus est. Mortuum hunc esse anno undecimo Theodosii imperatoris, sive anno 389, ex Hieronymo discimus, qui in libro *De scriptoribus ecclesiasticis* de Gregorio scribit: « Decessit ante hoc ferme triennium sub Theodosio imperatore. » Porro Hieronymus testatur se hoc opus scripsisse anno ejusdem imperatoris decimo quarto, ex quo sequitur Gregorium, qui triennio ante decesserat, obiisse anno undecimo Theodosii, adeoque anno 389.

CLXXIV, CLXXV. Qua statura corporis fuerit Gregorius. Dies festus Gregorii.

Corpore robusto fuit Gregorius, sed assiduis morbis vitæque molestiis, prætereaque jejuniis, vigiliis, chameuniis ita fracto ac debilitato, ut sibi senectutem, quod ipsemet testatur, acceleraverit. Anonymus Græcus, a Baronio laudatus (b), qua statura fuerit his verbis exprimit in codice 540 Bibl. Vat.: « Statura mediocri erat, pallidus aliquantulum, non tamen citra venustatem: depresso naso, superciliis in rectum protensis, aspectu blando et suavi, altero oculo nempe dextro subtristis, quem cicatrix quædam contrahebat, barba non promissa, sed densa tamen. Qua parte calvus non erat, nam subcalvus erat, albos crines habebat, summas item barbæ partes velut fumo obsitas ostendebat. » Gregorii autem animi effigies ex rebus gestis, quas enarravimus, necnon ex ipsius scriptis, in quibus ipse sese depingit, satis perspicitur. Suum ipse sibi epitaphium paraverat, quod præcipuos vitæ ipsius eventus duodecim versibus elegiacis complectitur. Dies festus Gregorii agitur nono Maii apud Latinos; apud Græcos autem Januarii tricesimo, una cum sancto Basilio et sancto Chrysostomo. Sed peculiaris Gregorio soli sacer et solemnus apud eosdem Græcos est mensis Januarii vicesimus quintus dies.

CLXXVI. Quanta apud omnes Gregorii existimatio.

Quanta fuerit olim apud veteres, hodieque etiamnum sit apud recentiores, Gregorii ejusque operum existimatio, inde constat, quod Patres omnes non tantum Græci, verum etiam Latini, ac theologi, necnon Scripturarum interpretes, in astruendis fidei dogmatibus, oppugnandis erroribus et exponendis Scripturis, ipsius auctoritatem passim adhibeant. Exemplo esse potest, et instar omnium sit Augustinus, qui lib. 1 *Contra Julianum* (c), peccatum originale adversus Pelagianos Gregorii auctoritate astruit: « Sed non tibi deerit magni nominis et fama celeberrima illustris episcopus etiam de partibus Orientis, cujus eloquia ingentis merito gratiæ, etiam in linguam Latinam translata usquequaque clarue-

(a) Apud Boll., 9 Maii, p. 427.

(b) Ibid., p. 428.

(c) Cap. 5, n. 15, tom. X, p. 504.

runt: sedeat ergo cum istis Patribus etiam sanctus Gregorius, et cum eis tuæ criminationis inanem patiatur invidiam: dum tamen cum eis contra novitiam pestem vestram, medicinalem proferat et ipse sententiam. » Hæc de Gregorio nostro Augustinus; qui, prolatis pluribus Gregorii testimoniis, ita prosequitur (d): « An tibi parva in uno Gregorio episcoporum Orientalium videtur auctoritas? Est quidem tanta persona, ut neque ille hoc nisi ex fide Christiana omnibus notissima diceret; nec illi eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi hæc ab illo dicta ex regula notissimæ veritatis agnoscerent. »

CLXXVII. Translatio.

Sacræ Gregorii reliquiæ e Cappadocia Constantinopolim translatae sunt, imperante Constantino Porphyrogenito, qui epistolam a se Gregorio Nazianzeno scriptam iis tradidit, quibus sacri thesauri Constantinopolim devehendi cura fuerat commendata. Hac autem epistola Gregorium rogabat, ut ne Constantinopolim venire gravaretur. « Tu ad nos accedere ne dubita, a quibus spiritu ac favore tuo nunquam absis, qui plane orphanus et essemus non es passus... Votis igitur piis annue, ad nos te inclina, revertere ad eum qui tanto tui desiderio tenetur gregem, populum tuum benignus revise, in urbem eam ingredi, in qua periclitantem religionis orthodoxæ causam egregie quondam confirmasti. » Exstat hæc epistola in oratione habita de translatione, quam orationem ex ms. Græco regis Sardiniae Latine vulgaverunt Bollandistæ, p. 448, etc., Græco quoque, p. 769, etc. hi vero qui missi fuerant, Gregorii ossa plane integra reppererunt, insolitam et inexplicabilem odoris fragrantiam spirantia, eaque loculo ad id parato imposita læti detulerunt. Imperator cum sacerdotibus, omnibusque magnæ urbis incolis, honorifice obviam profecti sunt sacris reliquiis, quæ primum intra regias ædes, in palatii ecclesia, seu oratorio, depositæ, posteaque in Apostolorum templo juxta sancti Chrysostomi corpus repositæ sunt.

CLXXVIII. Altera translatio corporis Gregorii CP. Romam.

Alteram corporis sancti Gregorii translationem Constantinopoli Romam factam, firma certa que traditione didicimus, inquit Baronius (e), eam ob causam, quod grassantibus barbaris in eas regiones, sanctimonialia feminæ, in quarum ecclesia tantus thesaurus erat conditus, fuga suæ pudicitiae consulentes, acceptum venerandum corpus, impositumque navigio, ad tutum pietatis asylum Romam confugientes, detulerunt; atque in templo Sanctæ Mariæ in Campo Martio, sibi ab apostolica sede concessa, condiderunt; ibique in adjacente domo, in qua habitabant, more patrio divinas laudes per dies singulos persolvebant. Quibus jam vita

(d) Ibid., n. 16.

(e) Boll., 9 Maii, p. 454.

functis, cessit locus Romanis virginibus, quæ A ibidem non sub Regula sancti Basilii, ut illæ olim, sed sub institutis sancti Benedicti hactenus perseverant. Hæc Baronius, qui addit hanc translationem « subobscuram » fuisse. Subobscura sane; nam tam densis tenebris involuta, tam gravibus intricata difficultatibus, ut eas depellere et solvere difficillimum sit.

CLXXIX. *Translatio corporis Gregorii facta a Gregor. XIII summo pontifice.*

Denique alia est, et celeberrima quidem illa, translatio corporis Gregorii, quod Gregorius XIII, summus pontifex, ex ecclesia Dei Genitricis ad Campum Martium, in capellam a se in basilica Sancti Petri magnificentissime exornatam, summa celebritate transtulit 1x mensis Junii anni 1578. Hujus translationis historiam ex ms. libro bibliothecæ Vaticanæ vulgarunt Bollandistæ ad diem nonam Maii, p. 457. Veneti tamen corpus Gregorii Nazianzeni integrum Constantinopoli devectum Venetias apud se in ecclesia Sancti Zachariæ asservari gloriantur. Alterutrum ex his corporibus forsitan esse Gregorii patris corpus cum Bollandistis dicere fas est.

CLXXX. *Sanctorum Basilii et Gregorii characteres adumbrantur.*

Ad hujus historiæ coronidem consentaneum forte quibusdam videbitur, ut cum in ea frequens adeo Basilii mentio injecta fuerit, arctissimoque doctor eximius societatis vinculo, veritatis amore ac virtutum digna æmulatione Gregorio conglutinatus fuerit, diversos utriusque, comparatione quadam inter eos instituta, characteres adumbremus; ut sic singulis eorum velut collectis lineamentis, amborum perfectam imaginem, quantum tenui penicillo fas est, exprimamus.

Illud quidem patiatum scriptorum profanorum conditio, ut quorum virtutes nihil excedunt humanæ naturæ vires, eos ratio inter se mutuo conferre utcumque possit. Sed longe major est mea erga sanctissimos illos præsentis veneratio et observantia, quam ut id oneris in me suscipiam. Quibus enim inter se conveniant quibusve differant dotibus, solus hic novit qui eos, quibus voluit, pro summa sua sapientia distinxit donis, vel pares fecit.

Nemo tamen non mirabitur quæ in eorum libris solidum eloquentiæ robur, quam ingeniose politèque scribendi copia, quam acuta sententiarum venustas, eam ut solitudo non obscuraverit, non exstinxerit austerioris vitæ asperitas. Quanquam hoc quidem inter utrumque discrimen reperitur, quod plus admodum seria sit Basilii oratio, Gregorii vero plus habeat vivi salis, plus gratiæ.

Id sibi magis sumebat ille, ut animos moveret flecteretque; hic vero magis etiam ut delectaret. Orationem ille magis copiosam, uberibusque sententiis plenioribus effundebat; hic vero plus abundabat lepore, plus argutiis. Suavis quidem et fortis, sed nativa plane, et nihil ab arte mutuata præsidii, sese ultro Basilii prodebat eloquentia. Iluc vero

etiam adjiciebat animum, et quasi in parte officii ponebat Gregorius, ut suam alioqui splendidissimam exereret.

Ille in exigendis ad Christianæ disciplinæ rigorem moribus adeo religiosus fuit, ut vel severior videretur. Hic vero summam vitæ austeritatem divino delibutus gaudio adeo colebat, eam ut omnibus esse vel maxime amabilem insinuaret.

Majestatem spirabat moderata lenisque Basilii iudoles: contra micabat in Gregorio ignea quædam ingenii vis, et vivax perspicacia. Gravitate alter et modestiæ adeo diligens fuit, ut quamvis ipsi suppeteret argutissimus in jocando lepos, ab iis tamen prorsus abhorruerit quæ vel levissimam joci speciem præ se ferrent. Jocos alter eo pietatis succo respersit, ut sales inter et facetias virtutem animis instillaret. Basilii denique hominum observantiam sibi magis conciliabat, ac pene cultum; Gregorius vero suavi morum amœnitate omnium amorem sibi et studia magis promerebatur.

Elucet divina quædam in Gregorii orationibus majestas, nihil ut videam aut ornatus aut sublimius quod fieri unquam potuerit, quo sua mysteriis nostris vindicetur auctoritas, sua servetur reverentia, suum decus asseratur. Quorum vis et robor quanta sint, vel ex hoc intelligi maxime potest, quod inde Theologus, quasi omnium exceptione major, fuerit appellatus. Atque adeo male quis ex Gregorii litteris nativum ejus characterem duxerit.

C Secus vero Basilium suæ totum referunt litteræ, quæ tam suaves illecebras habent, eas ut omnes vincant quas Græca retro omnis antiquitas ad nos usque transmisit.

Nihil hic stricta oratione condidit, sed quidquid politioris humanitatis hocce scribendi genere veteres consignarunt, sagaci cum judicio et exquisito delectu lustravit, pluraque disseruit saluberrimis præceptis referta, quibus tutam in legendis hujusmodi libris juvenibus viam sterneret; ne vel, ut sæpe fit, latentibus undequaque scopulis impingerent, vel nihil inde perciperent utilitatis. Neque hoc satis.

Longe etiam majora nobis Gregorius adjumenta contulit. Utile enim dulci miscuit, ut sanctissimas virtutis præceptiones, dulci quodam voluptatis sapore conditas libentius degustaremus; atque adeo varia ipse eaque excultissima scripsit poemata, quorum si ad argumentum spectas, omnia prorsus seria, nil nisi Christum pietatemque spirant: si ad stylum, nihil concinnius faciliusve, ut Homerum possis agnoscere. Carmina vero Gregorii cum appello, ea non appello, quæ micant fictitio poetarum fuco, mendacibusque fabularum pigmentis illita, sed quæ sincera veritatis luce splendescunt; quæ miram, simplice sub cultu, promunt artificis inventionem cum singulari sermonis elegantia conjunctam; quæ demum nativam sapientiam felicitis cujusdam ingenii amœnitatem, nemini facile parabilem,

quæ tamen in Gregorio non labore quæsita, sed a que amplificanda ærumnæ, spectata denique orbi innata atque insita videatur. Christiano sanctitatis fama felicissime consociarunt; in id etiam quasi mutuo inter se animo diceres conspirasse, ut ne quid in studiis peccemus, leges alter nobis statueret quas tuto sequeremur; nobis alter pietatis plenam studendi materiam subministraret.

Hinc adeo doctissimos illos Ecclesiæ Patres quos morum sanctimonia atque integritas vitæ, solitudinis litterarumque amor, veritatis studium, eloquentiæ laus eximia, sudati pro Christo in episcopali munere labores, haustæ pro religione tutanda at-

que amplificanda ærumnæ, spectata denique orbi Christiano sanctitatis fama felicissime consociarunt; in id etiam quasi mutuo inter se animo diceres conspirasse, ut ne quid in studiis peccemus, leges alter nobis statueret quas tuto sequeremur; nobis alter pietatis plenam studendi materiam subministraret.

MONITUM IN VITAM SEQUEMTEM

A Gregorio presbytero scriptam.

Quis sit ille Gregorius, plures exquisierunt et disputarunt; sed nihil certi aut de persona aut de ejus ætate proditum est. Bollandus (a), Vossius et alii Vitam hanc ascribunt Georgio Cæsareæ Cappadociæ presbytero, qui in *laudem Patrum Nicænorum* orationem habuit. At quo tempore vixerit Georgius iste, auctores inter se non consentiunt. Bollandus quidem, ineunte septimo vixisse putat; Vossius vero (b), cui favent Henschenius et Papebrochius (c), medio circiter sæculo decimo floruisse probare nititur, sed frustra; nec ad nos spectat hæc disceptatio, cum nulla saltem probabili ratione concludi possit Georgium hunc nostrum esse Gregorium Theologi biographum. Interea licet quo tempore scripta fuerit ejus vita non pateat, constat tamen sæculo decimo eruditis optime notam fuisse, ut satis enuntiat oratio, sub initium hujus sæculi, in prima sancti doctoris translatione recitata, quæ hanc ipsius vitam sic commendat: « Hic igitur (de Theologo loquitur [d]), ut conscriptæ de ipso Vita discere cupientibus manifestum facit, natale solum nactus Cappadociam. » Liqueat hinc jamdudum editam fuisse hanc Vitam, lateque diffusam tunc temporis. In magno Ecclesiæ consessu, encomii vice, jubente episcopo lecta est, quod exordii verba referunt. Male suspicatur Adrianus Baillet in translationis gratiam decimo sæculo peractæ adornatam fuisse, cum ne minimis quidem momentis hoc colligi possit. Mox ut vulgata, cito e Græco in Latinum versa est; sed ad nos usque non pervenit ejus interpretatio, de qua Billius hæc edidit: « Hanc Gregorii Vitam sexaginta plus minus annis post nongentesimum a Christo nato annum primus, quanquam prorsus barbare, transtulit Anastasius quidam, ut annotatum vidi in libro quodam manuscripto Dionysianæ bibliothecæ. » Potuit tamen advertere Billius, ut observat Combefisius, Anastasium hunc Bibliothecarium esse, qui multa alia Latine reddidit Græca monumenta, nec prorsus ita barbare, ut ipsius labor non desideretur aut sit inutilis. Vixit Anastasius ille sæculo nono; hinc recte conjicitur, cum interpretationis sit auctor, Gregorii Vitam saltem sæculo octavo fuisse conscriptam.

(a) 13 Januar., p. 781.

(b) *De historic. Græc. et Latin.*

(c) 9 Maii, p. 369.

(d) Bolland., 9 Maii, p. 450.

ΒΙΟΣ ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ

(1) ΤΟΥ ΘΕΟΛΟΓΟΥ, ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΝΑΖΙΑΝΖΗΝΟΥ,

Συγγραφεὶς ὑπὸ Γρηγορίου πρεσβυτέρου.

VITA S. PATRIS NOSTRI GREGORII

THEOLOGI, EPISCOPI NAZIANZENI,

A Gregorio presbytero Græce conscripta.

« Viri collegæ, et compastores sacrosancti gregis Christi, turpe fuerit, prorsusque a vobis alienum, si, qui ad pacem alios eruditus, intestinum ipsi bellum inter vos excitetis. Quonam enim modo alios ad concordiam adduxeritis, ipsi circa sententias vestras et decreta discrepantes? Ac vos per Trinitatem ipsam obsecro, ut vestra negotia præclare et pacifice inter vos transigatis. Quod si vobis ullo modo dissidii causa sum, Jonam prophetam vitæ integritate non supero. *Mittite me in mare, et cessabit a vobis tumultuum procella*¹⁷. Quidquid vobis visum fuerit, tametsi a culpa immunis, vestræ concordie causa, libenter perpetiar. Throno exturbate, urbe ejicite. *Tantum veritatem et pacem*, ut cum Zacharia loquar, *diligite*¹⁸. Valetate, sacri pastores, meorum laborum memoriam perpetuam conservate. » Hæc eo prolucato, pudore quodam ipsi tenebantur, ejus oratione compuncti. Tum ipse in Cappadociam perrecturus e concilio excessit, voluptate simul et mœnore affectus: illud, quod laborum requiem invenisset; hoc, propter gregem, quonam modo ipsum relinqueret.

In aulam autem profectus, beneficium ab Imperatore postulabat, his verbis prius eum affatus: « Tibi quidem, o Imperator, pro tuis erga Ecclesiam meritis retribuatur Christus in die retributionis. Beneficium autem, quod nunc a te peto, potentissime princeps, dare ne graveris. Non pro pecuniis tibi sum supplex; non pretiosa altarium tegumenta concupisco; non cognatis dignitates ambio; sed, ut laboribus liberer, obsecro. Cesset etiam invidia; pacem colant episcopi; tu maxime in eam rem admittere; sacerdotum bellum comprime, qui barbaro-

¹⁷ Jon. i 12. ¹⁸ Zach. viii, 19.

(8) Cod. Or. δράσει.

(9) Cod. Or. έπειθον.

(10) Ita cod. Or. Colb. 1, et 2. In edit. γνώμων· mox in eisdem δεδωκότες, sed lectionem cod. Or. amplectimur.

(11) *Μάρτων* deest in cod. Or.

(12) Cod. P. τῶν συλλόγων.

(13) Cod. Or αἰσχρὸν μὲν ἂν εἴη.

πατῆρ, ἐμαλάσσετε μὲν, ἤπόρει δὲ ὁ τι δράσει (8), καὶ τὸν Θεὸν ἐξελιπάρεῖ τὸ αὐτῷ πρέπον οἰκονομησαί. Τούτων ἐχόντων τὸν τρόπον τοῦτον, παρῆσαν ἐπίσκοποι: κεκλημένοι ἔκ τε Αἰγύπτου καὶ Μακεδονίας εἰς τὸ Βυζάντιον, ἔτι τῆς εἰρημένης ἐνδημούσης συνόδου. Καὶ δὴ οὗτοι, ὡς χωρὶς τῆς αὐτῶν γνώμης καθιδρυθέντος τοῦ μακαρίου Γρηγορίου, πάθει ἀνθρωπίνῳ κατασχεθέντες, ἀντέλεγον τῇ ψήφῳ οὐχὶ Γρηγόριον μισοῦντες (ὡς αὐτὸν συνέπειθον (9) κρυφίους δηλώμασιν), ἀλλὰ τοὺς καθιδρύσαντας ἀμυρόμενοι, ὡς διχα γνώμης (10) αὐτῶν δεδωκότες τὸν θρόνον. Ὁ δὲ μακάριος ἐπὶ τὸ αὐτὸ πάντων (11) συναθροισθέντων τῶν ἐπισκόπων, καταστάς ἐν μέσῳ τῷ συλλόγῳ (12), τάδε φησί·

beatus, omnibus episcopis in unum coactis, in medio

« Ἄνδρες συμποιμένες τῆς ἱερᾶς ποίμνης Χριστοῦ, αἰσχρὸν μὲν εἴη (13) καὶ παντελῶς οὐχ ὑμῶν, εἰ, τοὺς ἄλλους εἰρήνην παιδεύοντες, αὐτοὶ πρὸς ἀλλήλους πόλεμον ἤρασθε. Πῶς δ' ἂν ὁμοιοῦσιν ἑτέρους πείσητε (14), αὐτοὶ ὄντες περὶ τὰ δοκοῦντα ἀσύμφωνοι; Ἄλλ' ἰκετεύω ὑμᾶς πρὸς τῆς Τριάδος αὐτῆς καλῶς τε καὶ εἰρηνικῶς διαθέσθαι τὰ πρὸς ἀλλήλους. Εἰ δέ τι ὑμῖν ἐγὼ τῆς διαστάσεως αἰτίας, οὐκ εἰμὶ σεμνότερος Ἰωανῶ τοῦ προφήτου. *Βάλετέ με εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ παύσεται ἀφ' ὑμῶν ὁ κλύδων τῶν ταραχῶν* (15). Αἰροῦμαι παθεῖν ὁ τι ἂν βούλησθε, καίπερ ἀθῶος ὢν, τῆς ὑμῶν ἔνεκεν ὁμοιοῦσας. Θρόνον ἐξώσατε, πόλεως ἀπελάσατε. *Μόρον τὴν ἀλήθειαν καὶ τὴν εἰρήνην*, ὡς ὁ Ζαχαρίας φησὶν, *ἀγαπήσατε*. Ἐβῆσθε, ἱεροὶ ποιμένες, καὶ τῶν ἐμῶν πόνων μνημονεύοντες, μὴ ἀπολήξητε. » Ταῦτα εἰπόντος, αἰδέως τις αὐτοὺς εἶχε τοῖς εἰρημένοις καταναγένας (16). Ὁ μὲν οὖν ἐπὶ τὴν Καππαδοκῶν βαδιούμενος ἐξῆει (17) τοῦ συλλόγου, συμμιγῆς χαρᾶ τε καὶ κατηφείας· τὸ μὲν, ὅτι τῶν πόνων ἀνάπαυλαν ἤυρατο (18), τὸ δὲ τοῦ ποιμνίου χάριν, ὅπως αὐτὸ καταλείψειεν.

Ἐλθὼν δὲ εἰς τὰ βασίλεια, ἦγει χάριν τὸν αὐτοκράτορα, τοιάδε εἰπὼν πρότερον· « Σὺ μὲν, ὦ βασιλεῦ, ὢν τὴν Ἐκκλησίαν εὐηργέτησας, ἀντιμετρήσαι σοι Χριστὸς ἐν ἡμέρᾳ ἀναποδόσεως· ἦν δὲ νῦν αἰτῷ χάριν, ὦ κράτιστε, δοῦναι μὴ ἀπαρνήσῃ. Ὁ δὲ περὶ χρημάτων ἰκετεύω· οὐδὲ ποθῶ πολυτελεῖ θυσιαστηρίων σκεπάσματα, οὐ συγγενῶν ἀρχάς· ἀλλ' ἰκετεύω τῶν πόνων ἀνεθῆναι. Ληγέτω δὲ καὶ (19) φθόνος, εἰρηνεύετωσαν οἱ ἐπίσκοποι, σοῦ μάλιστα τοῦτο σπουδαίοντος. Παῦσον τῶν ἱερῶν τὸν πόλεμον, ὁ στήσας βαρβάρων θράσος· τὰ μέγιστα τρόπαια τοῦ σοῦ κράτους ἐνὶ κό-

(14) Colb. 1, πείσοιτε.

(15) Codd. Or. P. Colb. 1 et 2, τῶν συμφορῶν.

(16) Cod. Or. καταναγένας. Cod. P. κατανοίγένας.

(17) Cod. Or. ἐξῆει.

(18) Cod. Or. εὔρατο, Colb. 1. εὔρατο. Col. P. ἤρατο.

(19) Δὲ καὶ desunt in cod. Or.

σησον, τῆ συμφωνίᾳ (20) τῶν ἐπισκόπων. Ταύτην ἐγὼ δωρεάν αἰτούμαι· ταύτην τελευταίαν μοι (21) παρέχεις χάριν. » Θαυμάσας δὲ τὰ εἰρημένα ὁ τε (22) αὐτοκράτωρ καὶ οἱ τῆς συγκλήτου βουλῆς, οἷα (23) σφοδρῶ τῷ περὶ αὐτὸν πόθῳ συντετηκότες, μάλιστα ἀπέλυσαν αὐτὸν (24), τὴν ἔξοδον ἐπιτρέψαντες.

Ἐνδηροῦντος δὲ αὐτοῦ ἐτι τῆ βασιλίδι, καθίσταται εἰς τὴν αὐτοῦ Ἐκκλησίαν ὑπὸ τῆς συνόδου Νεκταρίου τις ἐπίσκοπος, Ταρσεὺς ὑπάρχων τῆς Κιλικίας. Αἰσθὺς δὲ προσκαλεσάμενος (25) τὸν κλῆρον καὶ τοῦ λαοῦ τοὺς ἐκκρίτους (26), νοθετήσας τε αὐτοὺς φυλάσσειν τὴν παρακαταθήκην τῆς πίστεως, καὶ τὰς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ κατεργάζεσθαι, ἀσπασάμενος, πολλὰ τε κινήσας ἅπασιν δάκρυα, τῆς ὁδοπορίας εἰχθετο. Ἐρχεται δὲ εἰς Ἀριανζὸν, χωρίον Καππαδοκίας, ὅπερ ἐκέκτητο (27) ἐκ πατρικοῦ κλήρου, κατελθὼν εἰς αὐτόν. Πολλοῦ δὲ χρόνου παρωχηκότος, ἀφ' οὗ Βασίλειος ὁ μέγας πρὸς τὸν Θεὸν ἐνεδήμησεν ἐκ τοῦ βίου τούτου, πρὸς ὑψηλοτέραν ζωὴν μεταθέμενος τὰ παρόντα, γράψας τὸν ἐπ' αὐτῷ ἐπιτάφιον, εἰς τὴν Καισαρέϊαν ἤκε τὴν ἱερὰν μητρόπολιν· καὶ προσφωνήσας τὸν λόγον τῆ Ἐκκλησίας, ἐδάδιζεν οὕτως καθε.

Χρόνον δὲ πλεῖστον τῆς πατρίδος αὐτοῦ ἀπολειφθέντος διὰ τὴν ἐν τῆ βασιλίδι διατριβὴν (δύο γὰρ καὶ δέκα ἔτη λόγος αὐτὸν ἐν τῷ Βυζαντίῳ πεποιηκέναι), συνέβη τῶν Ἀπολλιναρίου μαθητῶν τινος εἰς τὴν δευτέραν ἐπαρχίαν τῶν Καππαδοκῶν (28) πολλοὺς μὲν ἐξαπατήσασιν τοῖς λόγοις τῆς ἀσεβείας, τολμησάσιν δὲ μέχρι καὶ τοῦδε (29) προσελθεῖν, ὥστε καὶ ἐπισκόπους ἐν τῇ χώρᾳ χειροτονῆσαι, καὶ αὐτῆς δὲ τῆς Ναζιανζοῦ. Καθαίρει μὲν οὖν (30) τὴν Ναζιανζοῦ τοῦ τοιοῦτου ἄγους ὡς τάχιστα· λίαν δὲ ἰκετευόμενος προσετῆναι τῆς πατρίδος, οὐ δέχεται τὴν ἐπισκοπὴν (μάλα γὰρ τὸν ἡσύχιον μετεδίωκε βίον)· καὶ τινὰ Εὐλάλιον τῆς Ναζιανζοῦ ποιμένα κατέστησεν, ὃν ἔσχεν ἄγαν ἐν τοῖς τιμίαις, θεραπεύοντά τε αὐτὸν, καὶ μέτριον τὸ ἦθος τυγχάνοντα (31). Αὐτὸς δὲ ἐν ἀσθενείᾳ κρατούμενος, ἐν Ἀριανζοῖς ἀνέψυχεν (32).

Ὁδοιπορεῖν οὐκ ἐτι οἷός τε ὦν, ἐπέστελλε Κληδονίῳ τῷ πρεσβυτέρῳ, ἀνδρὶ θεοσεβεῖ καὶ θεράποντι γνησίῳ Θεοῦ, καὶ ἑτέροις τισίν, ὥστε μὴ παραδέχεσθαι τὸν λοιμὸν τῆς αἰρέσεως, τὰς τε χειροτονίας

A rum audaciam compescuisti : maxima imperii tui trophæa una re exorna, nimirum episcoporum concordia. Hoc ego donum a te peto : hoc mihi beneficium ultimum porrigere. » Hac oratione Imperator, et qui senatorii ordinis erant, in admirationem rapti, ut pote acerrimo ipsius amore contabescentes, abeundi facta facultate vix a se dimiserunt.

Cæterum illo adhuc in augusta urbe agente, Nectarius quidam, Tarso Ciliciæ civitate ortus, Ecclesiæ ipsius a synodo episcopus constituitur. Ipse autem cum clerum ac præstantissimum quemque ex populi multitudine accivisset, eosque, ut fidei depositum servarent, Deique præcepta exsequerentur, admonuisset, complexusque fuisset, multasque omnibus lacrymas movisset, itinere se dedit, tandemque Arianzum pervenit. Cappadoeciæ autem is locus est, quem ex paterna hæreditate ad se devotum possidebat. Cum autem multum temporis fluxisset, ex quo Basilius magnus ex hac vita ad Deum evolarat, ac præsentia cum sublimiore vita commutaret, funebri oratione in ipsius laudem conscripta sacram Cæsariensium metropolim adiit, Ecclesiæque nuncupata ac dicata ea oratione domum se recepit.

Sed cum per diu ipse a patria, propterea quod in imperatoria urbe commoraretur, abfuisset (duodecim namque ipsum Byzantii annos egisse ferunt), accidit ut quidam Apollinarii discipuli in secunda Cappadocum præfectura suis impietatis sermonibus multos in fraudem inducerent, eoque audaciæ progredierentur, ut ad hunc quoque accederent, atque episcopus in ea regione crearent, ne ipsi quidem Nazianzo parcentes. Ipse vero Nazianzum quidem hoc piaculo quam celerrime purgavit. Cum autem obnixis precibus rogetur, ut patriæ antistes esse vellet, adduci non potuit ut episcopatum acciperet (tranquillam enim vitam mirifice consecrabatur); verum Eulalium quemdam, quem, ut sui cultorem, moderatumque hominem, imprimis charum habebat, Nazianzi episcopum constituit. Ipse autem infirmitate pressus Arianzi corpus refocillabat.

Cum autem iam itar facere non valeret, Cleodonium presbyterum, virum pium, verumque Dei cultorem, aliosque nonnullos per litteras admonuit, ne hæresis pestem susciperent, sed Apollinarista-

(20) Ita volunt Montac. et alii edit. Ita codd. nostri. Or., Colb. 1, 2., P., Inconon et Comb. In edit. κόσμισον τὴν συμφωνίαν.

(21) Sic Colb. 1, et cod. Or. In edit. μοι deest : mox codd. P. et Colb. 1, παρέχοις, quam lectionem indicat Montac.

(22) Ita Colb. 1 et 2, ὅτε deest in edit.

(23) Cod. Or. οἷω σφοδρῶ, mox idem cod. συνεστηκότες.

(24) Μάλιστα ἀπέλυσαν αὐτόν, etc. Nobis Combesisii interpretatio magis arridet quam versio Billii qui sic reddidit : « vix discedendi potestatem ipsi fecerunt. »

(25) Sic Montac. et alii volunt edit. : sic codd. Or., P., Colb. 1, 2, et Combef. In edit. Αὐτὸν δὲ προσκαλεσάμενος.

(26) Cod. Or. ἐκκρίτους, νοθετήσας αὐτοὺς φυ-

D λάττειν τὴν παραθήκην.

(27) Ita Montac. et alii edit. volunt : ita codd. P., Or., Colb. 1 et 2. In edit. ἐκέκτησεν.

(28) Montac. cui non repugnant alii edit. : Forte, inquit, deest ἐπεισθόντας, αὐτὸς ἐπεισελθόντας· nam de iis in prima ad Cleodonium epistola Gregorius ait οἱ νῦν ἐπεισθόντες, vel ut est in scriptis, ἐπεισελθόντες.

(29) Sic Montac. et alii edit. quorum lectionem confirmant codd. P., Or., Colb. 1 et 2, in quibusdam προσελθεῖν.

(30) Ita Montac. et alii edit. Ita codd. Colb. 1 et 2. In edit. οὖν deest.

(31) Montac. et alii edit. ὑπάρχοντα, ita etiam codd. P., Colb. 1, 2. Mox duo posteriores habent, αὐτὸς δὲ ἀσθενεῖα.

(32) Cod. P. ἀνέψυχεν.

rum ordinationes, ut nefarias et ab Ecclesia Catholica alienas, pro irritis haberent. Nec vero satis habebat nuda et simpliciter contestatione ad eos uti: verum plenius uberiusque scribebat, singula abortivæ Apollinarii hæresis impietatisque capita evertens atque opprimens, quemadmodum liquido ostendunt tum duæ illæ ad Cleodonium epistolæ, tum præcipue tractatus poetici, quos reliquit. Porro in poeticis lucubrationibus, quarum etiam ante meminimus, duplex illi scopus propositus erat: alter, ut impiam tyranni Juliani legem, qua Christiani a profanis disciplinis arcebantur, puerilem atque infirmam et ridiculam esse ostenderet: alter, quoniam Apollinarium multos libros variis carminum generibus texuisse, iisque, utpote eruditum hominem, dicendique facultate præstantem, multos ad hæresim suam illexisse perspiciendam, necessario sibi faciendum putavit, ut Ariani post reditum suum quiescens, atque ab omnibus negotiis occupationibusque feriatas, cudendis versibus animum adjiceret. Atque hinc uberrima mihi lux orationis materia collecta est.

Cum autem nonnihil temporis illic solitarius egisset, vitamque philosophia purgasset, ac majori contemplationi animum addixisset, in extrema tandem senectute caducam hanc vitam cum meliori et sublimiori rerum statu, cujus hic pertenuis etiam species vix reperiri queant, permutavit. Atque ornandi quidem Gregorii munere pro virili mea perfunctus sum, quantum ad id attinebat, ut et boni Patris et eorum, qui vitam illius audire gestiebant, votis satisfacerem, atque ut exiguam quamdam vitæ descriptionem breviter comprehensam haberemus. Nam omnes illius laudes vitæque ornamenta exponere, aut pro rei dignitate tractare, adeo difficile atque arduum fuerit, ut haud scio an quisquam, eorum etiam qui summam eruditionis laudem consecuti sunt, hoc præstare possit. Tu vero, Pater beate, *verique illius tabernaculi*³³ inspector et conscie, ubi *exsultationis et salutis vox*³⁴ laudantium Deum angelorum pariter ac sanctorum, Gregorii tui, qui exiguam hanc orationem elaboravit, memor esto. Quamvis enim ob virum imbecillitatem virtutibus tuis parem orationem non attulerim, idque de te verba faciens; promptitudinem tamen animi haudquaquam accusabis. Tua enim vox illa sacra est, Deo id gratum esse, quod viribus respondet.

³³ Hebr. viii, 2. ³⁴ Psal. cxvii, 15.

(33) Montac. et alii edit. sic volunt, nec non codd. P. et Colb. 2. In edit. καταλέλιπε.

(34) Cod. P. πρῶτον μὲν.

(35) Cod. P. δεύτερον δέ.

(36) Montac. et alii edit. ac codd. Colb. 2, et P. γράψαντα.

(37) Ita Montac. et alii edit., nec non codd. P., Colb. 1, 2, ac Combef. In edit. ἄγων δεest.

(38) Codd. Colb. 1 et 2 μῆτις.

A ἀθετεῖν τῶν Ἀπολλιναριστῶν, ὡς ἀθέσμους καὶ ἀλοτρίας τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας. Ἦδη δὲ οὐ μέχρι τοῦ ψιλλῆ διαμαρτυρία πρὸς αὐτοὺς χρήσασθαι, ἀλλὰ καὶ διεξοδικώτερον ἔγραφε, καθ' ἐν ἀνάτρεπτον τὰ τῆς ἀσεθείας Ἀπολλιναρίου ἀμβλώματα. Τοῦτο δὲ δεικνύουσι σαφῶς αἱ τε πρὸς Κληδόνιον δύο ἐπιστολαὶ, οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ οἱ ἔμμετροι λόγοι, οὓς καταλέλοιπε (33). Περὶ δὲ τῶν ἔμμετρων, ὧν ἐμνήσθη καὶ πρῶτον, διττὸς αὐτῷ γέγονεν ὁ σκοπός· πρῶτος μὲν (34), ὅπως τὴν ἀθεσμον Ἰουλιανοῦ τοῦ τυράννου νομοθεσίαν μειρακιώδη καὶ ἀνίσχυρον ἀπελέγξῃ, κελεύουσαν μὴ μετεῖναι Χριστιανοῖς τῆς Ἑλλήνων παιδείας· δεύτερος δὲ (35), ἐπεὶ ἔώρα Ἀπολλινάριον γράψαντα (36) πολυστίχους βίβλους ἐκ διαφόρων μέτρων, καὶ τούτοις κλέψαντα τοὺς πολλοὺς εἰς τὴν αἵρεσιν, ὡς ἐλλόγιμον δῆθεν, ἀναγκαῖον ψῆθῃ, ἐν Ἀριανοῖς ἡσυχάζων μετὰ τὴν ὑποστροφὴν καὶ σχολὴν ἄγων (37), ὅσα πραγμάτων ἀπληλαγμένους, ττηνικαῦτα γράψαι τὰ ἔμμετρα, ὅθεν μοι εὐρηται ἡ πλείστη ὕλη τῆσδε τῆς ὑποθέσεως-

Ἐνταῦθα ἡρεμήσας χρόνον, καὶ καθάρας τὸν βίον φιλοσοφίᾳ, γενόμενός τε ἐν θεωρίᾳ μέλζον, μετατίθεται τὴν ἐπίκηρον τήνδε ζωὴν ἐν βαθείᾳ τῇ πολιᾷ πρὸς τὴν ἀμείνω καὶ ὑψηλοτέραν κατάστασιν, ἧς ἐνταῦθα μόλις (38) ἀν εὐρεθείη καὶ τὰ ἰνδάλματα Ἔμοι μὲν οὖν (39) τῆς εἰς αὐτὸν τιμῆς εἰς δύναμιν ἀφωσλίωται ὅσον τὸν πόθον ἀποπληρῶσαι Πατρός τε ἀγαθοῦ καὶ τῶν τὰ ἐκείνου ποθοῦντων, καὶ ὥστε, ἐν ὀλίγῳ συνειληφότας, ἔχειν βραχεῖάν τινα τοῦ βίου ἀναγραφῆν. Τὸ γὰρ ἅπαντα ἐκδιηγείσθαι, ἢ πρὸς ἀξίαν, οὐκ οἶδα εἰ τις καὶ τῶν ἄγαν ἐπὶ σοφίᾳ θαυμαζομένων ποιῆσαι ἰσχύσειεν· σὺ δὲ μοι, ὦ μακάριε Πάτερ, καὶ τῆς σκηρῆς τῆς ἀληθινῆς ἐπόπτε καὶ μύστα, ἐνθα φωνῆ ἀγαλλιᾶσεως καὶ σωτηρίας, ὕμνουμένων Θεῶν ἀγγέλων τε καὶ ἀγίων (40), μέμνησο Γρηγορίου τοῦ σοῦ, βραχέα σοι τάδε φιλοσοφῆσαντος. Εἰ γὰρ καὶ τῆς δυνάμεως ἐνδένω (41) τῆς ἀξίας ἀπολιμπάνομαι, καὶ (42) ταῦτα περὶ σοῦ (43) λέγων, ἀλλ' οὐ μέμψη τῇ προθυμίᾳ. Σὴ γάρ ἐστιν ἐκείνη ἡ ἐερά φωνή, καὶ Θεῷ λέγουσα φίλον εἶναι τὸ κατὰ δύναμιν (44).

attulerim, idque de te verba faciens; promptitudinem tamen animi haudquaquam accusabis. Tua enim vox illa sacra est, Deo id gratum esse, quod

D

(39) Colb. 1 et 2, ac Combef. habent τὰ τῆς εἰς. Mox cod. P. κατὰ δύναμιν.

(40) Cod. P. καὶ ἀνθρώπων.

(41) Ἐνδένω δεest in cod. P.

(42) Orat. in Basilium.

(43) Colb. 2, ὑπὲρ σοῦ. Mox cod. P. αλλ' οὖν οὐ μέμψη.

(44) Cod. P. addit, ὅτι αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

SELECTA VETERUM TESTIMONIA.

IN LAUDEM SANCTI GREGORII.

Ex Basilio (epist. 8).

Σκεῦος ἐκλογῆς καὶ φρέαρ βαθύ· λέγω δὲ τὸ τοῦ Ἀ
Χριστοῦ στόμα Γρηγόριον.

Vas electionis, et puteus profundus, os dico Christi
Gregorium:

Ex Hieronymo, Catalogo script. eccles., n. cxvii, tom. IV, part. II, pag. 126.

Gregorius, primum Sasimorum, deinde Nazian-
zenus episcopus, vir eloquentissimus, præceptor
meus, a quo Scripturas explanante didici, ad tri-
ginta millia versuum omnia opera sua composuit,
e quibus illa sunt: *De morte fratris Cæsarii; Περὶ
φιλοπρωχίας· Laudes Machabæorum; Laudes Atha-
nasii; Laudes Maximi philosophi*, post exsilium re-
versi, quem falso nomine quidam Heronis super-
scripserunt: quia est et alius liber vituperationem
eiusdem Maximi continens; quasi non licuerit eum-

dem et laudare et vituperare pro tempore. Et liber
hexametro versu, virginitatis et nuptiarum contra
se disserentium. *Adversum Eunomium* liber unus;
De Spiritu sancto liber unus; *contra Julianum impe-
ratorem* libri duo. Secutus est autem Polemonem
dicendi caractere: vivoque se episcopum in loco
suo ordinans, ruri vitam monachi exercuit. De-
cessitque ante hoc ferme triennium, sub Theodosio
principe.

Ex Rufino. Prologo in orat. Gregorii, quas Latine reddidit.

Gregorius, vir per omnia incomparabilis, qui
verbo et operibus clarus; splendidissimum lumen
scientiæ Christi Ecclesiis præbuit, dum ea docuit
quæ fecit, nec seipsum condemnavit agendo con-
traria quam docebat. *Et nullis interjectis*: Hujus
neque vita aliquid probabilis et sanctius, neque
eloquentia clarius et illustrius, neque fide purius
et rectius, neque scientia plenius et perfectius in-

veniri potest, utpote qui solus sit de cuius fide ne
dissidentes quidem inter se (ut fieri solet) partes et
studia disputare potuerint: sed id obtinuerit apud
Dominum et Ecclesias Dei meriti, ut quicumque au-
sus fuerit doctrinæ ejus in aliquo refragari, ex hoc
ipso quia ipse magis sit hæreticus arguatur. Mani-
festum namque indicium est, non esse rectæ fidei
hominem, qui in fide Gregorio non concordat.

Ex Theodoro Studita. Iamb. LXVII, pag. 766, edit. Sirmondi.

Ἐροτῶν τὰ θεία τῇ βοῇ τῶν δογμάτων,
Ἦγησας ὄντως τὴν ὑπογράμιον· μάκαρ
καὶ πάσας ἀπρίξ μωράνας τὰς αἰρέσεις,
τὸν κόσμον ἐστήριξας ἐν τοῖς σοῖς λόγοις.

Que tu potenti voce fudisti tonans
Oracula, omnis, dive, mundus audiit:
Perimensque cunctas hæreses radicitus,
Orbem universum sermo firmavit tuus.

Idem ibid. Antirrhethico II adversus Iconomachos, pag. 123.

καὶ ἴδη ἀκουσόμεθα τῶν κορυφασιότατων Πατέρων,
Γρηγορίου μὲν τοῦ Θεολόγου. . . . Βασιλείου δὲ τοῦ
Μεγάλου.

Audiemus certe ipsos Patrum coryphæos, Grego-
rium Theologum. . . . Basilium quoque Magnum.

Ex τῶν Σουῖδα.

Γρηγόριος, Ναζιανζοῦ ἐπίσκοπος (σταθμὸς δὲ
ἐστὶν οὗτος Καππαδοκίας), ἀνὴρ ἐλλογιμώτατος,
ἀναγκαῖος φίλος Βασιλείου τοῦ τῆς Καισαρείας ἐπι-
σκόπου, τῆς ἐν Καππαδοκίᾳ. Οὗτος οὐ μόνον γραμ-
ματικὸς καὶ τὰ ἐς τὴν ποίησιν δεξιὸς, ἀλλὰ πολλῶ
πλείον καὶ εἰς φιλοσοφίαν ἐξήσκητο, καὶ ῥήτωρ ἦν
ἀμφιδέξιος. Οὗτος ἔγραψε καταλογάδην πολλὰ. Εἰς
γὰρ τρεῖς μυριάδας στίχων τὰ συντάγματα αὐτοῦ
συνέθεκεν· ἀφ' ὧν εἰσι τὰδε· *Περὶ τῆς τελευταίας
τοῦ ἀδελφοῦ Καισαρέλου*, ἐπιτάφιος εἰς τὸν αὐτοῦ
πατέρα, ἕτερος εἰς τὴν ἀδελφὴν Γοργονίαν, *Περὶ φι-
λοπρωχίας*, *Ἐπαινοὶ τῶν Μακκαβαίων*, *Ἐπαινοὶ
Κυπριανοῦ*, *Ἐπαινοὶ Ἀθανασίου*, *Ἐπαινοὶ Ἡρω-
νος φιλοσόφου*. Κατὰ Ἰουλιανοῦ τοῦ βασιλέως
λόγοι δύο, *Περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος* λόγος εἰς,
πανηγυρικοὶ λόγοι δέκα, καὶ ἕτεροι πλείστοι, καὶ
πᾶσι γινώριμοι. Ἠκολούθησε δὲ τῷ Πολέμωνος γα-

Ex Suida, Lexic. tom. I, pag. 496.

Gregorius, episcopus Nazianzenus (est autem Na-
zianzus statio Cappadociæ), vir eloquentissimus, sum-
mus amicus Basilii Cæsareæ Cappadociæ urbis epi-
scopi. Hic non modo grammaticæ poeticesque laude
florebat, sed multo magis philosophiam excoluerat,
atque in oratoria facultate insignis erat. Prosa ora-
tione permulta conscripsit. Ad triginta enim ver-
suum millia opera sua contexuit, ex quibus sunt
hæc: *De morte Cæsarii fratris*, funebris oratio in
obitu patris, altera in funere Gorgoniæ sororis, *De
pauperum amore*, *Laudes Machabæorum*, *Cypriani*,
Athanasii, *Heronis philosophi*, *adversus Julianum*
orationes duæ, *De Spiritu sancto* liber unus, pæne-
gyricæ orationes decem, aliæque complures ac cui-
vis notæ. Secutus est in scribendi genere Polemo-
nem Laodicensem, qui Smyrnæ rhetoricam docuit,
atque Aristidis oratoris præceptor exstitit. Alium:

quoque tractatum heroico carmine scripsit, in quo virginitatem et vitam conjugatam per se disserentes inducit, aliaque etiam argumenta omni carminum genere complexus est, quæ quidem ad summam subducta, triginta versuum millia conficiunt. Hujus porro Gregorii Arianus quoque Philostorgius in sui temporis historia mentionem facit his verbis: « Ea tempestate Gregorius in urbe Nazianzena florebat (est autem Nazianzus statio Cappadociæ), Basilus in Cæsarea Cappadociæ urbe, et Apollinarius in Laodicea Syriæ. Hi tres viri pro homouoio, id est consubstantiali, adversus eos qui Filii essentiam a Patris essentia diversam esse protulerant, decertabant, longeque omnes eos antecellebant, qui vel prius vel post, ad meam usque ætatem hujusce sectæ patrocinium susceperunt: adeo ut præ ipsis Athanasius puer censeretur. Namque et in summam illi externæ doctrinæ magnitudinem evaserant, et in sacris Scripturis, quantum ad lectionem et expeditam memoriam conducebat, non vulgarem experientiam habebant, ac potissimum Gregorius. Jam vero in suo quisque scribendi genere maxima facultate præditus erat. Apollinarius quippe in commentario dicendi genere præcellebat. Basilus autem in panegyrico insigniter eminebat. At vero Gregorio in utroque licet exercitato, ad conscriptionem tamen magis tendebat oratio. Atque ut Apollinario in dicendo grandior ac plenior, ita rursus Basilio firmior erat. Cumque tanta eorum esset tum in dicendo tum in scribendo facultas, tum vero ita moribus comparati erant, ut vel solo aspectu plerosque ad se allicere facillime possent. Itaque partim ipso intuitu, partim sermonibus, partim editis lucubrationibus ad suas partes familiaritatemque suam eos pertrahabant, qui aliqua harum rerum facilius capi poterant. Hæc de illis obiter Philostorgius, isque Arianus, litteris mandavit. Adhuc porro superstes Gregorius, subrogato sibi in Ecclesia Nazianzena episcopo, ruri vitam monasticam egit. Atque ad nonaginta annos et ultra ætate provecus, Theodosio decimum tertium imperii annum agente, vitam cum morte commutavit, hoc unum indignum virtute sua passus, quod principis urbis cathedra expulsus est, improbique potius electi sunt, quam qui virtute ac vitæ splendore omnes anteibat.

A ρακτῆρι τοῦ Λαοδικεύως, τοῦ σοφιστεῦσαντος ἐν Σμύρνῃ, ὃς ἐγεγονεὶ διδάσκαλος Ἀριστείδου τοῦ ῥητοροῦ. Ἐγράφη δὲ αὐτῷ καὶ ἑτέρα βιβλος δι' ἐξαμέτρων, παρθενίας καὶ γάμου καθ' ἑαυτοὺς διαλεγόμενων· καὶ εἰς ἑτέρας ὑποθέσεις ἐν παντοίοις καὶ διαφόροις μέτροις, ἅτινα συνάγονται εἰς ἐπὶ ἑπτὰ μυριάδας τρεῖς. Τοῦ δὲ Γρηγορίου τούτου καὶ Φιλοστόργιος ὁ Ἀρειανὸς ἐν τῇ κατ' αὐτὸν ἱστορίᾳ μνήμην πεποιήται, καὶ φησὶ· « Γρηγόριος γὰρ ἤκμαζε κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους ἐν τῇ Ναζιανζῷ (σταθμὸς δὲ οὗτος ὁ τόπος Καππαδοκίας), καὶ Βασίλειος ἐν Καισαρείᾳ τῆς Καππαδοκίας, καὶ Ἀπολλινάριος ἐν τῇ Λαοδικείᾳ τῆς Συρίας. Τρεῖς δὲ οὗτοι τότε ἄνδρες τοῦ ὁμοουοίου προῦμάχου κατὰ τοῦ ἑτερουοίου, μακρῷ πάντας παρενεχόντες τοὺς πρότερον καὶ ὕστερον ἄχρισ ἐμοῦ τῆς αὐτῆς αἰρέσεως προστάτας· ὡς καί τῃ παρ' αὐτοῖς κριθῆναι τὸν Ἀθανάσιον. Τῆς τε γὰρ ἐξωθεν καλουμένης παιδεύσεως ἐπιπλεῖστον οὗτοι προσηλύθεισαν, καὶ τῶν ἱερῶν Γραφῶν, ὅποσα εἰς ἀνάγνωσιν καὶ τὴν πράξειρον μνήμην ἐτέλει, πολλὴν εἶχον τὴν ἐμπειρίαν, καὶ μάλιστα γὰρ αὐτῶν ὁ Γρηγόριος. Καὶ μὴν καὶ συγγράφειν ἕκαστος αὐτῶν εἰς τὸν αὐτοῦ τρόπον ἦν ἱκανώτατος. Τῷ μὲν γὰρ Ἀπολλινάριῳ τὸ ὑπομνηματικὸν εἶδος τῆς λέξεως μακρῷ ἄριστα εἶχε· Βασίλειος δὲ πανηγυρίσαι λαμπρότατος ἦν· τῷ δὲ γὰρ Γρηγορίῳ, καὶ παρ' ἀμφοτέροις ἐξεταζόμενῳ, μείζω βάσιν εἰς συγγραφὴν εἶχεν ὁ λόγος. Καὶ ἦν εἰπεῖν Ἀπολλινάριου μὲν ἀρότερος, Βασίλειου δὲ σταθερώτερος. Τσαύτης δὲ αὐτοῦ ἐν τῷ λέγειν καὶ γράφειν δυναμείως οὔσης, καὶ τὸ ἦθος οὐδὲν ἤττον οἱ ἄνδρες παρείχοντο πρὸς τὴν τῶν πολλῶν θεῶν ἐπαγωγότατον. Ὅστε καὶ οἷς ἐρωῶντο, καὶ οἷς ἔλεγον καὶ ὅποσα γράφοντες διεδίδουσαν, διὰ πάντων ἤρουν εἰς τὴν ἑαυτῶν κοινωνίαν τοὺς καθ' ὅτι οὐκ αὐτῶν εὐμαρέστερον ἀλλοκεσθαι δυναμένους. Τσαῦτα περὶ αὐτῶν ὡς ἐν παραδρομῇ Φιλοστόργιος, καὶ ταῦτα Ἀρειανὸς ἔν, ἔγραψεν. Ἔει γοῦν περιῶν εἰς τὸν οἰκίον τόπον ὁ Γρηγόριος, ἐπίσκοπον καταστήσας ἐν τῇ λαχούσῃ αὐτὸν Ἐκκλησίᾳ, αὐτὸς ἐν ἀργῷ τινὶ βίῳ μοναδικῶν ἀπηνέγκατο. Ἐλάσας δὲ περὶ τὰ ἐννενηκόντα ἔτη καὶ ἐπέκεινα, Θεοδοσίῳ τρίτῳ καὶ δέκατον ἔτος ἄγοντος, καταλίπει τὸν βίον, ἀνάξιον τοῦτο τῆς αὐτοῦ παθῶν ἀρετῆς, καὶ τῆς καθέδρας ἀποκρουσθῆναι τῆς βασιλευούσης τῶν πόλεων, καὶ προκριθῆναι μᾶλλον τοὺς φαυλοτέρους, ἢ τὸν ἐπ' ἀρετῇ καὶ λαμπρότητι βίου πάντων μᾶλλον ὑπερέχοντα.

Ex Simeone Metaphraste.

Magnus hic Gregorius Theologus vitam ipse suam exposuit in iis funebribus orationibus, quibus Basilium Magnum, Gregorium patrem, Cæsarium fratrem, et Gorgoniam sororem ornat. Ac proinde qui vitam illius conscripserunt, non aliunde quam ex ipsius operibus dicendi argumentum acceperunt. Hoc unum necessario dicendum, quod siquidem apud homines existere necesse erat effigiem quandam et columnam ex omnibus virtutibus constantem, hoc erat Gregorius. Nam cum vitæ splendore

eos qui actionis laude florebant, superasset, eo rursus contemplationis progressus est, ut omnes illi sapientiæ doctrinæque laude cederent, tam ejus quæ in verbis quam quæ in fidei dogmatibus versatur. Unde etiam Theologi cognomentum adeptus est. Quantum autem ad corporis formam aminor, statura mediocri erat, pallidus aliquantulum, non tamen citra venustatem, depresso naso, superciliis in rectum protensis, aspectu blando et suavi, altero oculo, nempe dextro, subtristis, quem etiam cica-

tuix quædam contraherat, barba non promissa, A calvus erat) albos crines habebat, summas item densa tamen. Qua parte calvus non erat (nam sub- barbæ partes velut fumo obsitas ostendebat.

Canon de sancto Basilio, apud Bolland. Append. ad tom. II Junii, ode VII.

Ἡ σύμπνοια τοῦ ἱερά τε ἑνωρῆς, ἡ ὡσπερ μὲν ψυχὴ ἐν δυοῖν σώμασιν ἀδιάρητος, ἐν Γρηγορίῳ Βασίλειος, πόθῳ θεϊκῷ συνημμένοι, ἐν Βασιλεῖ Γρηγόριος· νῦν ἔχετεύσατε Χριστὸν ὑπὲρ τῆς ποίμνης ἡμῶν.

O consensio animorum et sancta societas! qua velut unus et individuus in gemino corpore spiritus, in Gregorio Basilius divino amore unitus, in Basilio Gregorius fuit. Orate nunc pro grege nostro Christum.

His subnectere potuissem testimonia Haimonis Halberstatensis, cap. 4, lib. x. Histor. Eccles.; Adonis Viennensis episcopi in Chronic. ætate sexta; Goffridi Viterb. Chronic. parte sexta, ubi de Juliano verba facit; Petri de Natalibus in catalogo sanctorum, lib. 11, cap. 69; Petri Crinitii, lib. VII, cap. 4, De honest. discipl.: Trithemii De scriptor. ecclesiast.; Mantuani, lib. 1, Fast. Sabellici Enneade 7, lib. 1x. Sed quia hi omnes non aliunde haurire potuerunt, quam ex his quos supra citavimus, nulla mihi causa visa est, quam-obrem eandem crambem toties tibi obruderem. Quare hic finem imponam, non tamen ante quam Pselli Cyri Græci scriptoris epigramma de Nazianzeno nostro Latine utcumque reddidero, ac coronidis vice, magni illius Erasmi de eodem iudicium apposuero.

PSELLI EPIGRAMMA.

Divinæ sophiæ decus immortale canamus
Gregorium, viguit quo nova Roma duce.
Viribus eloquii valuit, linguæque disertæ:
Mellifluos dulci protulit ore sonos.
Maxima laus in eo doctrinæ utriusque refulsit,
Sive profana velis dogmata, sive sacra.
O salve conjunx charissimæ virginitalis,
Quæ prius in summo numine, deinde choris
Angelicis, purisque hominum complexibus hæret:
Assidueque tuum læta cubile fovet.

B Christicolæ columen defensor maxime gentis;
Stentoreo Triadis numen in ore ferens.
Hæreticæ salve manijæ certissima pestis,
Qua simul oppressi Lybs Macedoque cadunt.
Quæque Arium perimis, cujus sanctissima primum est.
Horribili ac stygio secta furore Trias.
Salve doctrinæ Antistes, atque unica cura
Pieridum, eloquii rhetoricesque decus.
Saltator lugens, Triadis qui numine plenus
Hanc quoque terrigēnis omnibus eloqueris.

ERASMI DE GREGORIO NAZIANZENO JUDICIUM.

Epist. præfixa edit. Claudii Chevallonii, an. 1532.

In Gregorio Nazianzeno pietas propemodum ex C modavit, eoque fusior est, ac simplicior; et in lo-
aquo certat cum facundia; sed amat significantes cis communibus spatari maluit, quam in difficilli-
argutias, quas eo difficilium est Latine reddere, quod nis versari quæstionibus. Hos triumviros una tulit
pleræque sunt in verbis sitæ. Tota vero phrasis ætas apud Græcos, pietate pares, nec dispares eru-
nonnihil accedit ad structuram Isocraticam. Adde ditione, sed dictionis caractere dissimiles. Quos si
quod de rebus divinis, quæ vix ullis verbis huma- cum nostris conferre velis, Chrysostomus non dissi-
nisi explicari possunt, libenter ac frequenter philo- milis est Augustino, Gregorius Ambrosio, qui si
sophatur. Frater hujus Basilius suavi quodam et Græce scripsisset, plurimum negotii fuisset exhibi-
inaffectato dictionis fluxu, et pietatem, et eruditio- turus interpreti. Quem Basilio conferam nondum
nem, et acumen, sicubi res postulat, et perspicui- invenio, nisi si quis Scripturarum cognitionem,
tatem, et jucunditatem, et si quam aliam virtutem quam habuit Hieronymus, cum Lactantii felici faci-
in oratore Christiano quisquam desiderare possit, litate copulet. Me certe a vertendo Gregorio semper
complectitur. Joannes Chrysostomus Basilius quem- deterruit dictionis argutia, et rerum sublimitas, et
admodum in litteris, sic etiam in professione sin- allusiones subobscuræ. Eam provinciam eximio
cerioris vitæ socius, atque (ut ita loquar) Achates, quodam pietatis ardore sibi sumpsit Bilibaldus no-
quidquid fere scripsit, ad popularem captum accom- D ster, cui et immortalis est.

Qui apud veteres auctores Nazianzeni meminerint ex illiusque scriptis testimonium protulerint.

Vix ullus in tota Græcia scriptor exstitit, de ecclesiasticis loquor, qui non perhonorificam Gregorii mentionem fecerit, ex ipsiusque operibus testimonia produxerit. Damascenus certe non contentus scripta sua ipsius auctoritate sæpenumero confirmare, sexcentis locis ita eum compila-

vit, ut bonam partem librorum suorum de fide Orthodoxa ex ejus libris consuerit, totas plerumque periodos nullis verbis immutatis in volumina sua transferens. Id quod productis quibusdam locis planum facere constitueram, ni id ipsi tam frequens esse comperissem, ut prima fronte furtum depre-

hendi posset. Quid de Theodoro dicam, qui ipsam quoque theologi phrasim affectavit? Quemadmodum ex unico capite libri quarti *Hæret. subularum* apertissime liquet, ubi ex variis Gregorii scriptis orationem suam concinnavit. De Nestorio enim loquens (45), "Ἄλλην ἐξ ἑλλης ἀμείβων χώραν, καθάπερ Αἰγυπτιακή τις μάστιξ, τῇ μεγάλῃ τῶν Ἀντιοχείων ἐνέσκηψε πόλει· ἐν ταύτῃ λόγων ἐλευθερίων μετρίως μετεσχικώς...., τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ προῦτων εἰσεφθάρη. Et paulo inferius: Ἐνταῦθα μοι λοιπὸν καὶ τὰ δράματα, ὧν μικροῦ πλήρης πᾶσα γῆ τε καὶ θάλαττα. Annon hæc duo loca ad verbum transcripta sunt ex Athanasiana Gregorii oratione? Rursus hæc verba, Τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν τῶν ὀρθοδόξων καθολικῆς Ἐκκλησίας τὴν προεδρίαν πιστεύεται, οὐδὲν δὲ ἤττον καὶ τῆς οἰκουμένης ἀπάσης. Ipsissima sunt verba Gregorii, etsi locum nunc non satis memini. Quod et aliis verbis ita effert in Basiliana, Διὰ μιᾶς τῆς Καισαρείως πόλεως τῇ οἰκουμένῃ πάσῃ πυρσεύειν. Jam cum idem Theod. eodem loco ait, Ὡς γὰρ τὸν μέγιστον ἐξείνων κατέλαβε θρόνον, καθάπερ τινὰ τυραννίδα τῆς ἀρχιερωσύνης τὴν προστασίαν ἀρπάσας· proculdubio hæc a Gregorio accepit, cujus in Athanasiana hæc verba sunt, Οὐ γὰρ ἐμοῦ τε καταλαμβάνει τὸν θρόνον, ὥσπερ οἱ τυραννίδα τινὰ τῇ κληρονομίαν παράδοξον ἀρπάσαντες. Rursus illa, οἱκοὶ τὰ πολλὰ βέλτοις προσανέχων, καὶ καθ' ἡσυχίαν ἑαυτῷ συγγινόμενος, ex oratione ad Arianos sumpta sunt. Sed de hoc satis. Quantæ autem famæ atque auctoritatis in universa Ecclesia ipsius monumenta fuerint, nullo argumento apertius demonstrari potest, quam quod Latini ne punctum quidem temporis iis carere sustinuerint, sed statim in Latium transferenda curarint, eorumque testimoniis libros suos illustrarint. Nos cæteris omissis ipsa tantum lumina proferemus.

Hieronymus (46) eum præceptorem suum facit in *Catalogo scriptorum ecclesiast.* et in *Apologia priore adversus Rufinum*: « An injuria, inquit, tibi facta est, quod pro te Apollinarium, Didymumque sectatus sum? Nunquid in illa epistola Gregorium virum eloquentissimum non potui nominare? Quis apud Latinos par sui est? Quo ego magistro glorior et exulto. » Sui autem imparem apud Latinos Gregorium videtur dicere, ut notet Rufinum: qui cum ipse apud suos esset eloquentissimus, Rufinus in interpretatione aliquot illius orationum parum gnæviter se gesserat, neque satis feliciter tantæ eloquentiæ responderat.

Idem Hieronymus (47), explicans illud Ephes. v. 32, *Sacramentum hoc magnum est: ego autem, etc.* « Gregorius Nazianzenus, inquit, vir valde eloquens, et in Scripturis apprime eruditus, cum de hoc mecum tractaret loco, solebat dicere: Vide quantum istius capituli sacramentum sit, ut Apostolus in

A Christo illud, et in Ecclesia interpretans, non se ita asserat, ut testimonii postulabat dignitas, expressisse, sed quodammodo dixerit: Scio quia locus iste ineffabilibus plenus sit sacramentis, et dividum corquerat interpretis. »

Augustinus (48) epistola cXLVIII ad Fortunatianum, citatis quibusdam ex Athanasio, « Gregorius etiam, inquit, sanctus episcopus Orientalis apertissime dicit, Deum natura invisibilem, quando patribus visus est, sicut Moysi, cum quo facie ad faciem loquebatur, alicujus conspicibilis materiæ dispositione assumpta, salva sua invisibilitate videri potuisse. » Citat postea Ambrosium.

Idem (49) lib. I *Contra Julianum Pelagianum*, de peccato originali, post citatos Occidentis episcopos, sic de Gregorio Nazianzeno, quem primum inter Orientis episcopos nominat: « Sed non tibi deerit magni nominis et fama celeberrima illustris episcopus etiam de partibus Orientis, cujus eloquia ingentis merito gratiæ, etiam in linguam Latinam translata usquequaque claruerunt. Sedeat ergo cum istis Patribus (Latinis scilicet) etiam sanctus Gregorius, et cum eis tuæ criminacionis inanem patiatur invidiam: dum tamen cum eis contra novitiam pestem vestram, medicinalem et ipse proferat sententiam. Audi ergo quid dicat: Imago, inquit, Dei labem corporeæ inundationis expurget, et conjunctam sibi carnem Verbi Dei sublevet pennis. Et quamvis, » etc. Citat et postea ex oratione *De baptismo*, « An tibi parva in uno Gregorio episcoporum Orientalium videtur auctoritas? Est quidem tanta persona, ut neque ille hoc nisi ex fide Christiana omnibus notissima diceret: nec illi eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi hæc ab illo dicta ex regula notissimæ veritatis agnoscerent. »

Idem lib. II adversus eundem pag. 530 citat et explicat Nazianzenum ex lib. *Apologetico*. Et lib. *De dono perseverantiæ* cap. 19, ex oratione in *Pentecosten* testimonium profert: ubi tamen pro « deprecabitur, » vertendum fuerat, « deprecabimur. »

Gregorius Papa (50), in prologo tertiæ partis *Pastoralis curæ*, Theologum nostrum ita citat: « Ut longe ante nos reverendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit. Non una eademque cunctis exhortatio congruit, quia non cunctos par morum qualitas astringit. » Hæc porro verba sunt Gregorii nostri: *Apologet.*

Leo Papa (51), Magni cognomento honoratus, qui pontificatum suscepit circa annum Domini 441, epistola cXXXIV ad Leonem Augustum contra blasphemias Nestorii et Eutychetis, sancti Gregorii episcopi Nazianzeni in homilia *De Epiphania* hæc verba citat: « Cum ergo processisset ex Virgine Deus, in ea, quam assumpserat humana natura, unum et duobus sibi invicem contrariis existens, carne et

(45) Tom. IV, pag. 244.

(46) Tom. IV, part. II, p. 363.

(47) Tom. IV, part. I, p. 393.

(48) Tom. II, p. 500.

(49) Tom. X, p. 504.

(50) Tom. II, p. 33.

(51) S. Leo, edit. in-fol. p. 353.

spiritu, aliud in Deum assumitur, aliud deitatis gratia præstat. Idem infra : Missus est quidem, sed ut homo. Duplex enim erat in eo natura. Inde denique et laboravit ex itinere, inde et esuriit, et sitivit, et contristatus est, et flevit, humani corporis lege. » Citat postea Basilium episcopum Cappadocum.

Vincentius Lirinensis fere ad finem libri, quem docte adversus profanas novitates conscripsit, in Ephesina synodo suo tempore contra Nestorium celebrata, scripta Nazianzeni recitata scribit. « Adhibita sunt etiam, inquit, illa Cappadociæ lumina, sanctus Gregorius episcopus et confessor de Naziando vel Nazianzo : sanctus Basilius Cæsareæ Cappadociæ episcopus et confessor. »

Quæ autem in ea synodo ex Nazianzeno recitata sint, sic Rusticus diaconus contra Accephalos commemorat, ubi de differentia inter Unus et Unum, Alius et Aliud. « Sua, inquit (52), dogmata confirmavit (Ephesina scilicet synodus) inter beati Nazianzeni Gregorii lectiones, dicens ita : Alius quidem et Aliud ex quibus Salvator : siquidem non idem invisibile visibili, et id quod intemporale illi quod subtemporale. » Quæ verba ex priore ad Cleodonium epistola sumpta sunt, quam in eodem libro pluribus locis citat; atque etiam hæreticos (ut illi nihil intentatum et incorruptum relinquunt) et maxime Nestorianos Nazianzeni sententias quasdam ad sui erroris confirmationem detorquere tentasse. Sic enim ibi hæreticus, qui loquens inducitur, objicit : « Hominem quem Apostolus velut in duo partitus est, sanctæ memoriæ Gregorius unum modis omnibus nominat, ne Christo eum conferens, duos videatur Christos asserere, » etc. Et post : « Dixit alicubi Apostolus : *Quia quanto iis qui foris* ²¹, » etc. Subjicitur inde explicatio locorum Pauli et Nazianzeni. Ibi enim contra hæreticos pluribus explicatur ista Theologi sententia : Sic ex duabus naturis Christus, sicut ex anima et corpore homo. Illam enim hæreticus ut a suis partibus stantem in medium proponebat, ut et nonnullas alias, quas Rusticus ipse eodem libro pluribus explicat.

De operibus et scriptis Nazianzeni.

Omnia quæ Nazianzeni nomine inscribuntur, citra controversiam ipsius sunt præter metaphrasin in *Ecclesiasten*, quæ ipsi falso tribuitur, ut in argumento ex Hieronymo docuimus : et significationem in *Ezechielem*, quæ aut illius non est, aut certe ab eo non edita.

Duæ exstant orationes illius a Rufino Latine factæ, quæ non sunt in Græco exemplari. (Perperam Gregorio orationes istas tribuit Billius, ut in præloquio notavimus.)

Ex docta illius in dictum Evangelii homilia videtur multas alias ejus generis composuisse : ut quem certum sit et Nazianzi et Constantinopoli et alibi

²¹ I Cor. v, 13.

(52) *Bibl. Patr.* tom. IV.

(53) *Id. ibid.*

Gelasius de duabus in Christo naturis adversus Eutychem et Nestorium, multa veterum theologorum, ut Ignatii, Eustathii, Hippolyti, Athanasii, Eusebii Pamphili citans testimonia, et hæc Gregorii Nazianzeni in Natali Domini laudat (53) : « Duplex erat Christus, homo quidem quod videbatur, Deus vero quod non videbatur, comedens quidem ut homo vere et sicuti nos. Habuit enim carnis similem passibilitatem sicuti nos. » Ibidem etiam ex ejusdem priore ad Cleodonium epistola permulta profert, quemadmodum et ex epistola ad Nectarium.

Joannes episcopus Romanus, tribus Justiniani imperatoris quæstionibus respondens, ut probet Christum unam esse ex personis Trinitatis, post Augustinum hæc Gregorii Nazianzeni ex sermone de Epiphania citat (54) : « Deum cum dico, omnino uno lumine illustramur simul et tribus, uno quidem secundum uniuscujusque proprietates sive substantias, sicut placet aliquibus dicere, sive personas (nihil enim pro vocabulorum diversitate dissidendum est, cum ad eundem sensum nominum diversitas provocet et intellectum) unum autem secundum substantiam, vel deitatis ratione. Dividitur ergo, ut ita dicam indivisibiliter, conjungitur divisibiliter, una est in tribus deitas. »

Justinianus Imperator, Edict. adversus tria Capitula, ut duas naturas et unitatem personæ asserat in Christo, sanctum Gregorium Theologum semel et iterum nominat. *Concil.* tom. V, p. 695, 698.

Sanctus Theodorus Studita pluribus in locis (55) Gregorii profert testimonia, vel in suæ sententiæ patrocinium, vel ut verba sancti doctoris a pravus hæreticorum interpretationibus vindicet. Sic Antirrhético II *adversus Iconomachos*, tom. V Oper. Sirmondi, p. 107. Item, *ibid.* pag. 125, 126, 127. Item *Refutatione impiorum poematum*, pag. 193. Rursus *Adversus Iconomachos*, cap. VI et VII, pag. 213 et seq. Iterum epist. lib. II, epist. XXXVI, pag. 445. Ac deum epist. CLIV, p. 623.

sæpius e suggestu ad populum concionatum. Ac fortasse in sacros libros commentarios edidit, Epistolamque Pauli ad Philippenses videtur scriptis suis illustrasse. In fine enim Anathematis morum Cyrilli sic legitur, D. Gregorii episcopi in *Epistola ad Philippenses*. Atque hoc fragmentum hic ascribitur : *Hoc sapiatur, inquit, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit, formam servi suscipiens* ²². « Quid pauperius in Deo, quam forma servi? Quid humilior in Rege cunctorum, quam ad communionem pauperis nostræ naturæ sponte venire? Rex regum et Domi-

²² Philipp. II, 5-7.

(54) *Epist. 3 ad Sen.*, t. IV *Conc.*, p. 1751.

(55) *Edit. Sirm.*

nus dominantium induitur forma servi : iudex omnium fit subditus postestatis creaturæ : Dominus in spelunca deponitur : qui omnia continet, in diversorio non invenit locum, sed in præsepe projicitur jumentorum ; mundus et immaculatus sordes suscipit humanæ naturæ, et per omnia paupertatem nostram transiens, usque ad mortis venit experimentum. Considerate paupertatis spontanæ mensuram : vita mortem gustat : Judex deducitur ad iudicium ; vitæ omnium existentium Dominus subditur sententiæ judicantis ; rex omnium virtutum, quæ ultra mundum sunt, spiculatorum non respuit manus. » Hæc ibi ex Gregorio episcopo, qui videri

A possit Nazianzenus noster, quando statim aliud subjicitur ex Basilio Magno, de fructu passionis Christi testimonium. Nyssenus autem et Neocæsariensis, quod sciam, nihil in hanc Pauli Epistolam scripserunt.

Baptista Guarinus Guarini viri doctissimi filius in Latinum vertisse dicitur Gregorii Nazianzeni ad Christum et Mariam orationes in appendice : *Catalogi scriptorum ecclesiasticorum* Trithemii et Bibliotheca Lycosthenis, ut et beatus Rhenanus duas epistolas ejusdem ad Themistium. At illæ neque Græce neque Latine in manus meas adhuc incidere poterunt.

Hæc sunt quæ Billius collegit et aornavit in laudem et illustrationem esimii Doctoris. Pauca adjecimus, Billio vel ignota, vel nondum in lucem edita. Jam superest ut Billii, Leuvenklaii, Genebrardi, et aliorum qui Gregorii operibus manum adhibuerunt præfationes hic subjiciamus. Billii epistolam Carolo Lotharingo cardinali nuncupatam, priorique editioni præfixam, forsitan detrahere licuisset. At tanti viri reverentia, libellum in quo calamitosas tempestates sui ævi tam eleganter describit, tam amare luget, cæteris ejus ingenii monumentis connectere decrevimus, maxime ut ne minimum quid vel ex antiquis editionibus desiderare lectorem sinamus.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO D. CAROLO LOTHARINGO
CARDINALI, AC PRINCIPI ILLUSTRISSIMO,
JACOBUS BILLIUS ABBAS S. MICHAELIS IN EREMO, S. D.

Quod ait ille totius philosophiæ antistes Plato (56), summæ atque effrenatæ libertatis extremam plerumque servitutem assecutam esse, quod etiam Hippocrates (57), corporum habitudines ad extremum bonitatis perductas, periculosas esse : hoc in Christiana nostra republica non sine maximo piorum omnium dolore hæc misera tempestate unusquisque nostrum experitur. Nam si quis florentissimum illum statum, quo Patrum memoria religio erat, cum eo quem his perditissimis temporibus videmus, composuerit, profecto quantum distat *Ortus ab Occidente* ⁵⁵, tantum inter utrumque statum interesse comperiet. Nec vero in re adeo manifesta longa oratione opus esse puto. Illud potius dolendum atque ingemiscendum, nos tam præclaram hæreditatem a majoribus acceptam tenere non potuisse. Sed scilicet verum est quod dici solet, satietatem contumeliæ atque insolentiæ matrem esse.

Nos prosperarum rerum velut nectare quodam obruti, bona nostra ignoravimus, nec μέγαν ἔλεον, ut de Tantalò ait Pindarus (58), καταπέψαι (59) potuimus : idemque nobis accidit quod Judæis olim sæpe usu venisse legimus, qui simulatque *incrassati, impinguati, dilatati* sunt, protinus *recalcitrarunt* ⁵⁶, ut quod Appius ille de Romanis dicebat, negotium illis melius, quam otium committi posse, in nos non immerito torqueri possit, Ecclesiæque his Ezechiæ verbis commode uti queat : *Ecce in*

C *pace amaritudo mea amarissima* ⁵⁵. In tanta tranquillitate somnus iis obrepsit, qui ad Ecclesiæ gubernacula sedebant. Non litterarum sacrarum studiis incumbere, non plebem sibi commissam salutifera doctrina pascere, non vitæ integritate ac sanctimonia cæteris prælucere ; sed vel dormire, vel sibi ipsis tantum vigilare, et quidem ita vigilare, ut altum dormire præstiterit. Qualis porro gubernator, tales prætore, tales nautæ, tales vectores ; et, ut ait Scriptura, *qualis sacerdos, talis et populus* ⁵⁶, malæ sementis mala seges, malorum magistrorum mali discipuli, mali exempli mala expressio. Omnes declinavimus, et inutiles facti sumus ⁵⁷. Pastores inertia languerunt : populus quales merebatur, talés pastores habuit.

D Interim versipellis noster inimicus, « (59) qui inferioris hujus mundi scabiem ac languentium ulcera scalpit atque ablingit, qui ubi quid vitii et corruptelæ est, cadaveribus assidet putredinesque contractat, » pastoribus in officio cessantibus, in agrum Domini furim ingressus zizania superseminavit ⁵⁸, tantamque justissimo Dei judicio tempestatem rerumque omnium perturbationem excitavit, ut a jactis religionis nostræ fundamentis, vix ulla gravior acerbiorque exstiterit : quoque majorem stragem in Dei castris ederet, angeli lucis personam sibi induendam putavit, ut quo tectius, hoc quoque nocentius perniciosiusque virus suum sim-

⁵⁵ Psal. cii, 12.

⁵⁶ Deut. xxxii, 15.

⁵⁷ Isa. xxxviii, 17.

⁵⁸ Ose. iv, 9.

⁵⁹ Psal. lxi, 4.

⁶⁰ Matth. xiii, 25.

(56) Lib. *De rep.*, c.

(57) Lib. i, aph. 3.

(58) *Olymp.*, od. 1.

(59) Id est *ingentem felicitatem conquære.*

(59) Ap. Cyprian., in *App.*, p. cvii.

plicioribus animis instillaret. Sub hac larva ita omnia confudit ac sursum deorsumque jactavit, ut in antiquum chaos pene reciderint, *facti que simus quasi in principio cum Deus nostri non dominaretur, nec invocaretur nomen ejus super nos* ²². Terris salutem longam dixisse videtur charitas; improbitati atque impudentiæ habentiæ omnes remissæ sunt. Plena omnia odii, rixarum et maledicentiæ, plena livoris et virulentæ contentionis. Amicorum et hostium nullum discrimen. Nemo seipsum propius inspicit, sed salutem suam in tuto versari existimat, dum alios omni animi acerbitate atque amarulentia insectetur. «Pereunt bona, ut ait noster Gregorius (60), nuda et aperta sunt mala, navigatio in nocte, fax nusquam, Christus dormit.» *Refrigescente* vel potius *extincta charitate abundat in orbe iniquitas* ²³. Exundante porro atque in immensum excrecente iniquitate, vindicem Dei gladium ardentisque illas sagittas ²⁴ in nos cadere non est mirum.

Itaque haud scio an non multo commodius de hoc nostro tempore dicere nobis liceat, quod Epiphanius (61) olim de sua tempestate ob eandem causam dicebat. «Mirandum est hoc tempore, et non mirandum. Mirandum, quod nostro sæculo omnia implentur: non autem mirandum, quia impleri ea necesse est.» Et paucis verbis interjectis: «Quo progressa est meus hominis prona ad malum ab adolescentia sua? Quas fidei partes non perdidit? In quibus disputationibus utilitatem non perturbavit consilii perversitas?» Quid enim? An non deploratissimam hanc ætatem velut digito indicare videtur vir ille sanctissimus, in qua vel nova quotidie dogmata feruntur, vel jam olim oppressa et sepulta in lucem revocantur? Neque enim satis habuit Satan inferioribus telis adversus nos uti, nisi etiam venena, ut ait ille, cœlo peteret, atque ex saluberrimis vitæ fontibus a se vitiatas, mortem nobis propinaret, sagittaque illa per diem volante ²⁵, hoc est, ut per hæreticos in sanctarum intelligentia Scripturarum, Ecclesiam convulneret.

Hinc illæ tot tamque dissectæ sectæ, quas per suos satellites toto orbe Christiano spargit, qui utinam ipsi tum suæ tum aliorum salutis minus prodigi essent! Utinam fastum illum suum atque arrogantiam comprimerent, nec antiquitatem universam cæcitate atque ignorantia damnare mallent, quam errorem suum confiteri! Sed habet hoc imprimis *φλαυτα*, hæresum omnium parens certissima, quod iis, qui hoc vitio infecti sunt, oculos prorsus morbi que sensum omnem eripit, planeque eodem modo eos afficit, quo Harpastem fatuam suam Seneca (62) laborasse scribit, quæ cum vi-

dere desiisset, se tamen cæcam esse nesciebat, sed in domum tenebrosam id rejiciebat, alioque migrare velle dicebat. Ex quo efficitur ut nemini prorsus cedere sustineant, verum cerebri sui fligmenta ita perditæ ament atque amplectentur, ut a visceribus suis potius avelli, quam a concepta semel opinione abstrahi patiantur. (63) «Ita perditæ perdunt, et depravati errorem pravitatis infundunt,» ac virus suum quaquaversum spargere moliantur: ut non abs re Cyprius ille episcopus (64) eos *ἐκθαμβητάς τῶν προβάτων καὶ πύργας τῶν περιστερῶν, καὶ σοβητάς τῶν τοῦ Χριστοῦ ἀρνητῶν καὶ θρημμάτων* vocet. Sic impurus hostis fructum omnem memorabilis illius supplicii, quod Christus in cruce pertulit, *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum* ²⁶, funditus tollere atque evelere modis omnibus conatur. Nihil enim eum gravius angit et excruciat, quam pax aliorum et concordia, cujus se suo scelere expertem videt. Nihil est quod avidius expetat, atque in quo vehementius elaboret, quam ut nobile illud amoris ac benevolentia legatum, quod Christus Ecclesie suæ testamento reliquit, nobis extorqueat. Ac proinde quas potest contentiones in domo Dei serit, et quod de morte Hieronymus aiebat (65), «fratres dividit, et charissima inter se nomina crudelis et durus dissociat.»

Hæc proh dolor! non jam auribus, sed oculis ipsis haurimus: non jam legimus, sed sentimus, quamque *κακίστην δαιμόνων*, ut Euripidis verbo utar, sit hæresis, non tam ex annalium memoria, quam ex nostrismet ipsi calamitatibus cognoscimus. Multas quidem gravesque hæresum procellas in veterum monumentis descriptas videmus: sed multo gravius nos afficiunt, quas ipsi cernimus ac sentimus. Ut enim res procul ab oculis dissita multo minores videntur, quam quæ propiori intervallo spectantur, eodem modo fieri non potest, quin præsens calamitas multo graviorem nobis dolorem inurat, quam quas in historicorum libris velut in tabula quadam pictas intuemur. Et sane æquum erat, ut qui vicinorum nostrorum tristissimis exemplis erudiri negleximus, ipsi tandem aliis in exemplum proponeremur, cæterique ex nobis documentum caperent, quid sibi esset in eadem causa pertimescendum. Atque utinam verberibus saltem, ut Phryges, et quidem iterum ac tertio repetitis, meliores efficeremur, ac non potius ad tam duras plagas obstupesceremus. Sed, quod vix sine lacrymis dici potest, ad doloris sensum obdruisse videmur. *Dissipati enim sumus*, ut inquit Propheta, *et non compuncti* ²⁷. *Percussit nos Dominus, et non doluimus; attrivit nos, et tenuimus ac-*

²² Isa. LXIII, 19. ²³ Matth. XXIV, 12. ²⁴ Psal. VII, 17. ²⁵ Psal. XC, 6. ²⁶ Joan. XI, 52. ²⁷ Psal. XXXIV, 16.

(60) *Epist. ad Eudoxium*. al. XXXIX.

(61) *Lib. III, tom. II, Adversus Antidic.*, p. 1054.

(62) *Senec. in Hercul. Orlæo*.

(63) *Cyprian. lib. De idol. van.*, p. 226.

(64) *Epiph. lib. III, tom. II, p. 1009.*

(65) *Epist. 35, t. IV, part. II, p. 267.*

capere disciplinam ³⁶. Bellæ si quando e laqueis evaserint, ea omnia loca, in quibus laqueos esse suspicantur, sedulo fugiunt; nos hardi et vecordes ad eundem quotidie lapidem impingimus, et pyraustarum in morem, ambusta jam toties ac fere jam adusta corpora flammis adhuc admovemus.

Quotusquisque est enim, qui in tam denso calamitatum agmine meliorem mentem induat, et concipiat, ac quasi parturiat spiritum salutis ³⁶? Omnes pene hisdem vestigiis insistimus, vitiis nostris indulgemus, ea mordicus retinemus, novisque quotidie flagitiis cumulamus, nec, ut cum lyrico loquar (66), per nostrum patimur scelus iracunda Jovem ponere fulmina. Hanc rerum acerbitatem deploramus, hanc temporis infelicitatem accusamus, cujus ipsi unici fabri atque artifices sumus. Ad flagra murmuramus, qui scorpionum ³⁷ ictus memur. Dolemus omnia plus quam feralibus odiis ardere, et cum Deo in gratiam redire non curamus. Quasi vero certa pax inter eos coalescere queat, qui a Deo pacis sese averterunt; atque ii membra tenere queant, qui *caput*, ut est apud Apostolum ³⁸, *non tenent*. Ut enim in circulo quo longius a centro lineæ protrahuntur, hoc quoque longioribus intervallis inter se distant: ad eundem modum quo quisque longius a Deo discedit, eo etiam magis a fraterna charitate, imo etiam a seipso removetur.

Nam quid de iis dicam, qui ab Ecclesiæ corpore nefarie se præciderunt, qui *inconsultem* ³⁹ illam Christi vestem, cui immanissimi etiam carnifices perpercerant, in infinitas partes sciderunt, tantaque amentia præcipites feruntur, ut quemadmodum salamandra in igne, sic ipsi in dissidiis funestisque conflictationibus vivant, atque adversus publicam orbis concordiam conjurasse videantur? « (67) Nisi enim pacem odissent, in unitate certe permansissent. » I. summa miseria summam felicitatem, in maxima perturbatione jucundissimam quamdam quietem vel simulat, vel opinionis errore sibi confingunt. Extra arcam esse gaudent, ac velut de certa salute sibi gratulantur. Sic nimirum ægroti quidam nusquam non quietiores se fore, quam in stratis suis arbitrantur. Perire miseri non recusant, dum alios in eandem secum perniciem trahant. Idemque si non ore, reipsa tamen clamant, quod ille apud tragicum (68), « Hæc ipsa pollens inelyti Pelopis domus ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat. »

Itaque qui non ita pridem (tantum in eis simulationis artificium erat) nil nisi pacem concordiamque spirare plerisque videbantur, iidem nunc aperta fronte, et regno Parides, et optimo cuique Phalarides, sacri etiam ordinis hominibus plus quam

³⁶ Jer. v, 3. ³⁶ Isa. xxvi, 18. ³⁷ III Reg. xii, 14. ³⁸ Matth. iii, 7. ³⁹ Psal. lxxix, 14. ⁴⁰ I Petr. v, 8, xi, 4.

(66) Horat., lib. i *Carm.*, od. 3.

(67) August. in *psal.* cxix, l. IV, p. 1371.

A tigrides se præbent. Christi, cujus admirabilem quemdam zelum præ se ferebant, templa disurbant, patrimonium diripiunt, ministros obruncant. Regis, cujus auctoritatem imperiumque sibi sacrosanctum esse alternis prope verbis affirmabant, urbes vi atque armis expugnant, tributa legunt, sceptrum etiam, si possint, extorquere contendunt. Populi, cujus causa, populares videlicet homines, anno superiori ad arma se invitos trahi testabantur, fortunas omnes per crudelissimum latrocinium eripiunt, eique pro libertate promissa gravissimam tyrannidem invexerunt, pro ligneo jugo ferreum imposuerunt? Unde autem fures agnosceremus, nisi furarentur, et maclarent, et perderent ⁴⁰? Unde lupos, nisi sanguinem sitirent? Unde viperarum progeniem ⁴¹, nisi matrem arroderent? Unde apros solitarios ⁴², nisi pulcherrimam illam vineam pervastarent? Unde leonis rugientis ⁴³ catulos, nisi obvium quemque devorarent? Unde denique ejus, qui jam inde a prima rerum origine homicida fuit ⁴⁴, liberos, nisi cruore atque omni feritatis genere pascerebantur?

Quis interpretari potest iniquiusne bellum susceperint, an crudelius et rapacius gerant? Quibus opibus hæc barathra, quo sanguine hæc hirudines, ante quas, ut Scripturæ verbis utar, *quasi nihilum est sanguis* ⁴⁵, expleri queant? Habent certe unde in confusione sua glorientur. Vicerunt omnes omnium artatum hæreticos. Vicerunt impudentia, scelere, impertunitate, rapinis, crudelitate. Non extruendo, ut Babylonici ædificatores ⁴⁶, sed vastando, evertendo, exurendo nomen suum celebrare, immortalemque sui memoriam posteris relinquere moluntur. Quanquam credetne unquam posteritas tantum furoris in Francis hominibus, iisque defæcatæ religionis titulo sese venditantibus, exstitisse? Non credet, imposturam sibi factam clamabit, nisi expressa tantæ amentię monimenta in templorum ruinis viderit. Mihi quidem non in publica modo, sed etiam in privata calamitate, quam nihil in illis, non dicam Christiani, sed ne hominis quidem esset, abunde experiri contigit. Nam, ut Regiensis insulæ vastitatem præteream (in qua, quandiu superiores fuimus, licuit illis suo ritu vivere, facultatibus suis libere tranquilleque frui: simulatque autem vicinæ Rupellæ perfidia basiliscum illum, quem tot annis parturierat, peperit, illico templis flammæ injectæ, fortunis nostris, domesticisque omnibus, quos quidem arripere poterunt, manus allatæ sunt), quis Michaelini nostri cœnobii cladem ulla quamlibet tragica oratione pro rei atrocitate deplorare queat?

Domus ea antiquissima et illustrissima erat, at que ipsa quoque structuræ specie religionem quan-

⁴⁰ Coloss. ii, 19. ⁴¹ Joan. xix, 23. ⁴² Joan. x, 10. ⁴³ Joan. viii, 44. ⁴⁴ Eccli. viii, 19. ⁴⁵ Genes.

(68) Senec. in *Thyesti*.

dam spectatoribus incullebat. Ea multis calamitosis solatio, pietatis causa exsulantibus perfugio ac præsidio, et ut cum Job ⁴⁷ dicam, *oculus cæco, pes claudo, mater pauperi* plerumque fuerat. Præcipuum autem ipsius decus erat, quod in hoc animarum diluvio sola pene, velut arca Noe, diluvii vim minime senserat. Bis obsessa, bis de hostibus triumpharat.

Felix heu! nimium, felix si littora tantum

Anglorum nunquam tetigissent nostra carinæ.

Quamprimum enim Rupellani pro vino et sale aliisque rebus ad vitæ usum necessariis, æneas machinas ingentis magnitudinis ab Anglis acceperunt, statim tertia expeditio adversus domum nostram suscipitur. Accurrunt undique hostes ex oppidis et pagis, ex insulis, Deus bone, quam truci vultu, quam impotenti furore, quam inaudita animorum rabie! Nostris quidem primo nec animus ad resistendum, nec vires deerant. Sed, posteaquam immanes illæ bombardæ dirutis omnibus propugnaculis muros jam ipsos dejicere cœperunt: quemcunque Deus voluisset eventum exspectare maluerunt, quam ultimum deditiois verbum apud eos habere, quos quidquid promisissent non alia quam Punica fide præstituros esse certissimum habebant. Idibus ergo Januarii, quem diem Rupellæ defectio superiore anno toti Galliæ nefastum reddidit, hostis per disjectas muri partes irrumpens, promiscuam cœnobitarum, domesticorum meorum, ac rusticorum stragem edidit. Optato tamen nox adveniens finem cædibus attulisset, si cum iis hostibus res nostris fuisset, qui non nisi in primis expugnationis tumultibus, animi ferociam adhibere consueverunt. Sed cum monstris, cum furiis, cum terribis omnis humanitatis hostibus res erat.

Itaque postero die, cum jam per noctis quietem ira deferbuisse debuerat, inchoatas cædes sequuntur, ac fusos per templum, passimque tota domo, nequidquam eorum misericordiam, quæ nulla in ferreis pectoribus erat, implorantes necant. Multi, quibuscum de vita pretio redimenda transactum fuerat, statim jussu ducum contra jus belli, fasque omne, trucidati. Multis etiam ad importunam victoris libidinem laqueo fractæ cervices. Direpta mox, atque incensa domus: direptus etiam pagus, et quidem tam inhumane, ut viduis et orphanis, quibus nunc solis propemodum constat, nihil præter acerbissimam famem lacrymasque relictum sit. Sed, o beatos, qui propter Christum (nam is quoque, ut veris et sempiternis opibus nos cumularet, in egestate vixit ⁴⁸) facultatum suarum naufragium æquo animo ferunt! Longe vero beatiores, qui stolas suas in agni sanguine laverunt, quibusque non alia mortis causa fuit, quam quod nec adulteram pro sponsa, nec semen Chanaan pro semine Juda, nec Absalomem aut Jeroboam aut Ta-

A belehem pro legitimo principe agnoscere voluerunt. At tu, filia Babylonis misera, tu vesana carnis, tu mortis filia, atque in medio umbræ mortis habitans, quid egisti? Ubi est victoria tua? Diruendo ruisti, perdendo periisti. Cælum habent, quibus terram; patriam habent, quibus exilium invidisti. O beatæ animæ, quam pretiosus in conspectu Domini transitus vester, a luto facis ad locum pascuæ, a terra deserta invia et inaquosa ad terram fluentem lacte et melle, a torrente amaritudinis ad torrentem voluptatis, ab igne et aqua ad refrigerium! Quam dulce est vobis in Agni comitatu esse, Christo frui, sub magnæ illius gallinæ alis requiescere, nulla jam scandala, nullam gladiatorum aciem, nullos venantium laqueos, nullam vim bombardarum extimescere! Quam præclarum negotiationis genus, pro exiguis sanguinis guttis regnum cœlorum, pro carbonibus thesaurum, pro stercoribus margaritam accipere!

Sed profecto (ne diutius extra curriculum feratur epistola) nec nostra domus, nec tot templorum millia in hoc regno conflagrassent, nisi *vulpibus* istis, quæ vineas demoliuntur ⁴⁹, *foveas habere* ⁵⁰, vespis istis favos (69), id est, hæreticis Ecclesias facere nimium diu licuisset. Hinc gravissima illa apud Basilium Magnum querela: Baptizant, inquit (70), illi, mortuos efferunt, ægrotos invisunt, etc. Quis hic non ingemiscat? Quis non lacrymarum fontem cum Jeremia ⁵¹ requirat, ut tantam calamitatem pari fletu prosequatur? Hic enim tota vis mali versatur. Nam cum altare adversus altare erigitur, ac veræ sponsæ loco pellex inducitur, infirmi quique addubitare incipiunt, utram tandem pro vera conjugæ agnoscant: idemque propemodum aiunt, quod Tullius ex tragœdia, Πῶς σάφος τὸ τῶν Ἀτρείδων; Ex quo efficitur, ut velut duabus sellis sedeant, quodque de Dioscuris antiquitas finxit, nunc apud superos sint, nunc apud inferos: ac desultoria quadam levitate nunc ad hos nunc ad illos se conferant. Nunc Deum Israel sequuntur, nunc Baal; nunc de mensa Domini comedunt, nunc de mensa Jezabel, imo dæmoniorum; nunc filiorum vel potius angelorum pane vescuntur, nunc porcorum siliquis herbisque illis amaris, quæ in mortis olla coquantur; nunc de Jordane bibunt, nunc de Mara, de Amana et Pharphar fluviis Damasci; nunc de fontibus Salvatoris aquas hauriunt, nunc de cisternis dissipatis. Et quemadmodum animalia quædam sunt, quæ in utroque elemento degunt, ob eamque causam a Græcis ἀμφίβια nominantur, et monstra quædam interdum existunt, altera corporis parte humanam, altera belluinam formam præferentia; eodem modo ipsi nec plane orthodoxi, nec aperte hæretici sunt, sed mediam quamdam inter utrosque conditionem tenent. Ita vel cum Zacharia obmutescunt, vel cum dubitante Petro incergi incipiunt,

⁴⁷ Job xxix, 15. ⁴⁸ II Cor. viii, 9. ⁴⁹ Cant. ii 15. ⁵⁰ Luc. ix, 58. ⁵¹ Jerem. ix, 1.

(69) Tertul., l. iv *adv. Marc.*

(70) Basil. 1 epist.

jam jamque naud dubie pessum ituri, nisi Christus A eos manu arreptos in naviculam retraxerit.

Sunt alii, qui tametsi ab omni hæresi abhorreant, perinde tamen atque eos orthodoxiæ pudeat, veritatis patrocinium deserunt, ac ne quid odii sibi apud homines conflent, impias adversus Deum blasphemias surdis auribus transmittunt : quasi vero non ut corde ad justitiam creditur, sic ore quoque confessio ad salutem fieri⁵⁵ debeat. Ad quos accedunt, qui ad adversariorum gratiam aditum sibi muniunt, ac velut amicos parant, qui, si forte defecerint, recipiant eos in sua tabernacula⁵⁶. His non paulo sceleratioribus habendi sunt, qui sub ovium pelle lupos celant; quorum vox quidem vox Jacob est, sed et manus et animus Esau sunt; qui in Ecclesiæ corpore ita sunt, ut Sinon in urbe Trojana, vel ut Judas in cæna. Nemo est qui oratione assequi possit, quantam isti versutis suis consiliis perniciem reipublicæ Christianæ quotidie afferant. Plus artibus suis efficiunt, quam ferrum omne, quam vis omnis armorum. Ac propterea illis cum totius mundi scandalo a suis coryphæis permittitur, religionem, quam morte pejus oderunt, simulare, orthodoxorum templa adire, rei sacræ interesse, aliaque omnia, quæ secta exsecratur, facere; dummodo hac simulatione factionem provehant. Hic profecto mihi succurrit illud Augusti, qui ex tota ea suppellectile quam moriens quidam Romanus immenso ære alieno obrutus reliquerat, lectum solum emendum curavit, quod fieri non posse diceret, quin longe optimus esset, in quo homo tanta æris alieni mole oppressus somno frueretur. Consimili enim modo firmissimas ac robore triplicique ære, ut ille ait (71), obsequias esse hujusmodi conscientias necesse est, quæ in tanto scelere securæ conquiescunt.

Est aliud hominum genus quorum salus spe exigua extremaque pendet, ac prope deplorata est, ut non tam medico, quam Christo, qui mortuos suscitavit, opus habere videantur. De his loquitur quos aptissimo nomine ἀποληγνύστας Apostolus vocat⁵⁸, qui ut in Nili catadupis ad ruentis fluminis fragorem incolæ obsurdescunt : ita illi perpetuarum disputationum tædio fracti atque enecti, omnes in universum religiones peræque aversantur, atque in pestilenti derisorum cathedra sibi sedem figunt⁵⁹. Hi tantum abest ut hac rerum omnium perturbatione commoveantur, ut etiam ex publicis calamitatibus uberrimam risus messem faciant. Omnes, quos Ecclesiæ causa serio afficit, pro stultis et insanis habent, ac de lana caprina contendere atque inter se altercari aiunt. Compendiarium viam ad tranquillitatem esse censent ἀθέτως, ejusque beneficio se ex gravissima servitute in li-

bertatem vindicatos esse gloriantur, eum qui emit eos negantes, ac superducentes sibi celerem perditionem⁵⁶. Ridendo pereunt, jocando serium exitium sibi accersunt. Hi sunt veri gigantes, qui blasphemam linguam in cælum mittunt, ac Deum omnipotentem impio bello lacescunt : quos in Satanæ peculio jam esse quispiam non immerito dixerit, quippe qui æternas inimicitias cum eo susceperint, qui solus ipsis mederi poterat. Hos non minus quam Epiphanius Anomæos (72), « virgini corruptæ, cæcæ, surdæ, et mutæ comparare possumus, quam nemo corruptam esse nescit : » rogata autem a quo corrupta sit, non audit, quia surda, nec eum vidit, quia cæca, nec dicere potest, quia muta.

Quantum quid mutos eos appello, qui non jam, ut olim, impietatem pectore clausam tenent, non in angulis, ut nuper, effundunt, sed in omnium plerumque oculis atque conspectu ex ore terribissimo evolvunt, portasque aperiant non justitiæ⁵⁷, sed atheismi. Hi si superis placet, Scripturas quoque proferunt, quas rident, nec serio se agant, sed tantum disputare velle profitentur : ac Christum osculantur, ut prodant; hoc est, doctrinam sacram allegant, ut evertant. Quorum hac tempestate tantus proventus est, ut non sine causa apud nostrates in proverbium abierit, Noxias herbas cito excrescere. « (73) Sic inanes palæ tempestate jactantur, et invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur. » Sed quantum nulla capitalior pestis ab infestissimo generis nostri hoste excogitari potest, quam hæresis : ex ea tamen hoc commodi percipitur, quod hinc elucet, qui probi, qui fucati atque adulterini Christiani sint. Necesse est, inquit Apostolus⁵⁸, hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant. Rebus tranquillis et pacatis, fortis et generosus miles ab ignavo et timido internosci non potest. At exorto bello quid inter utrumque discriminis sit facile perspicitur. Alter statim abjecto scuto turpiter se in fugam conjicit : alter periculis omnibus magno atque intrepido animo sese offert. Quot homines superioribus hisce annis vidimus, qui cum orthodoxiæ speciem omni vita præ se tulissent, ad primas noctis tenebras in Christo scandalizati sunt, eoque relicto fugerunt⁵⁹, imo transfugerunt? Et qui plus quam trabali, ut aiunt, clavo in Ecclesia fixi esse videbantur, seque Israeli pro muro futuros ostendebant, ipsi primi fœdissime corruerunt?

Hoc ergo bonum attulit hæresis, quod et horum simulationem prodidit, et bonorum constantiam animique magnitudinem declaravit. Fuit ergo illa quasi lapis quidam heraclius verum aurum a falso discernens, quasi ignis contrarias materias distin-

⁵⁵ Rom. x, 10. ⁵⁶ Luc. xvi, 9. ⁵⁷ Ephes. iv, 19. ⁵⁸ I Cor. xi, 19. ⁵⁹ Math. xxvi, 56.

(71) Horat. l. i Carm., od. 5.
(72) Lib. iii, t. i, pag. 990.

(73) Cypr., De unit. Eccl., p. 197.

guens, quasi ventiflabrum paleam a tritico separans ⁶⁰, denique quasi ventus et pluvia quibus perspicuum fieret, qui in levi arena, qui in firma petra fidei suæ fundamenta jecissent ⁶¹. Rebus lætis in adulatorum turba sinceri amici latent: æstate qui parietes, quæ tecti partes vitiosæ sunt, quæ contra vitio careant non facile dignoscitur: tranquillo mari vix discerni potest, quæ pars navis integra sit, quæ naufragium minetur. Rebus autem afflictis, et orta hieme, atque urgente tempestate statim discrimen effucescit, tolliturque omnis dubitatio. Certus Christianus in re incerta cernitur: hieme non ruit, sed firmiore etiam quam antea gradu consistit, periculisque ipsis roboratur, atque ut eleganter ait poeta (74), Ab ipso ducit opes animumque ferro. Et quemadmodum egregiæ gemmæ in noctis tenebris clarius quam in mediâ luce micant: sic ille in persecutionum caligine illustriora pietatis suæ documenta præbet. Etiam si in Ecclesia zizania videat: non ideo tamen Ecclesiam deserit. Expectandam esse messem non ignorat: alioqui periculum impendere, ne simul cum zizaniis triticum etiam evellatur. Delet quidem ipsi noxias herbas in optimo agro pullulare: sed non hoc sibi temere superbe arrogat, quod soli Dei Filio reservatur, nimirum zizania a tritico separare, areamque perpergare. Scit quidem ea in area esse posse, in horreo non posse. Quoties hæreses enatas videt, toties declarandæ virtutis constantiæque suæ occasionem sibi oblatam sentit.

Cur autem ob hæreses nutet illius fides, quæ nisi existerent, verbis Christi fides non constaret, veritasque ipsa falsi convinceretur? Nonne Christus ne nos inopinata mala perturbarent, exsurrecturos pseudochristos et pseudopphetas prædixit, tantaque etiam miracula edituros, ut si fieri possit, electi quoque in errorem impellantur ⁶²? Ut quisquis miretur hæreses esse, idem nihil aliud mirari videatur, quam rem a Christo tanto ante prædictam repræsentari. Quid quod expedit plerumque hæreses exoriri, ut intermortuum pietatis studium remouetur, collapsa ac prope deleta morum disciplina erigatur et instauretur, ac denique, quod ait Augustinus, pigritia hominum excutitur. Certe cum Themistocle nobis optimo jure dicere licet, Perieramus, nisi periissemus. Tanto veterno oppressi tenebamur, ut non nisi durissimo hoc baculo expergefieri possemus, atque ab inertia ad laborem doctrinæque studium revocari. Hæc itaque tempestas nobis innumerabiles heroas procreavit, qui partim optimæ ac probatissimæ vitæ exemplo, partim eruditissimis suis lucubrationibus Ecclesiam adversus furiosos hæreticorum impetus acerrime defenderunt. Quos equidem ipse pro eo ac meretur singularis eorum pietas et virtus, unice admiror ac su-

A spicio, immortalique laude dignos existimo: quippe qui omnes ingenii doctrinæque opes ad ornatum templi Dei, hoc est Ecclesiæ conferant, nulla hominum odia, nullam invidiam extimescant, nullas hostium minas insidiasque reformident, modo rempublicam Christianam ab omni errore puram atque integram tueantur. O quantam illis laboris operæque mercedem propheta pollicetur: *Fulgebunt, inquit, quasi splendor firmamenti, et quasi stellæ in perpetuas æternitates* ⁶³.

Quid igitur de iis dicemus qui in summa juveniæ Ecclesiæ facultate, dum præsentis otio consulunt, aut, quod sceleratius est, hominibus displicere timent, sacri hujus belli otiosos se spectatores præbent, nec ad hujusmodi incendium restinguendum guttulam unam aquæ afferre curant? Sed ut his omissis ad institutum sermonem redeam, eximium illud ac singulare erga nos Christi beneficium fuit, quod hæreses fore prænuntiavit, ut adversus eas, tanquam adversus infestissimum atque immanissimum hostem animi nostri arcem multo ante muneremus. Accedit etiam illa, et quidem maxima consolatio, cum cogitamus ab Ecclesiæ incunabulis usque ad hanc ætatem vix ullum tempus exstitisse, quo non ei adversus fidei hostes decertandum fuerit: ut non sine causa militans Ecclesia appelletur. Ne aurea quidem ætas ab hujusmodi fluctibus immunis fuit. Ipsa quoque suos habuit Hymenæos et Alexandros, suos Nicolaos et Cerinthos, qui vix in lucem editam adhucque lactentem opprimere ac de medio tollere conati sunt. Vix ex his fluctibus emergerat, cum aliis aliisque subinde procellis jactari cœpit. *Sæpe, inquit, expugnaverunt me a juventute mea, sed quid? non potuerunt mihi* ⁶⁴. *Adversum me ne ipsæ quidem inferi portæ prævaluerunt, nec unquam prævalebunt* ⁶⁵.

Quanto ergo solatio perfundi debet Christiani pectus, cum tristissimam hujusce tempestatum imaginem in veterum monumentis ita ad vivum depictam videt, ut sub eorum persona res nostra geri videatur? Nam si ægroto ea demum consolatio gratissima esse solet, quæ ab eo affertur, qui eodem morbi genere aliquando conflictatus est: quid tandem causæ esse potest, quin in gravissima hac calamitate magno solatio Christiani hominis dolor mitigetur, cum mentis oculos ad prisca sæcula convertit, ac cum sanctissimis viris, qui in iisdem rerum acerbitatibus versati sunt, velut colloquitur? Nam cum illos ex tot tantisque afflictionibus Dei benignitate tandem aliquando extractos fuisse legit, tamne impie vel de summi numinis potentia, vel de ipsius erga nos amore cogitabit, ut aut manum ejus abbreviatam esse ⁶⁶, nec jam salvare posse, aut ejus ergo nos charitatem refrixisse arbitretur? Quid in hujusmodi librorum lectione aliis accidat, pronun-

⁶⁰ Matth. III, 12. ⁶¹ Matth. VII, 25-27. ⁶² Matth. XXIV, 11-24. ⁶³ Dan. XII, 3. ⁶⁴ Psal. CXXVIII, 2.
⁶⁵ Matth. XVI, 18. ⁶⁶ Isai. I, 2.

is nequeo. De me certe affirmare possum, eam mihi plerumque magno solatio atque utilitati fuisse. Ex quo factum est, ut Græcos Latinis conjungens, in nobile illud amicorum par tandem incidere, Basilium Magnum et Gregorium Nazianzenum dico: in quorum scriptis tantum veræ pietatis, tantum doctrinæ atque eloquentiæ lucret, ut nescio an apud Græcos Latinosque inveniri possint, qui plus eruditionis cum majori dicendi facultate copularint.

Me certe Nazianzenus gravi illo ac sublimi scribendi genere ita affecit, ut incredibilem quamdam oblectationem ex ejus lectione semper ceperim. Quocirca mihi jampridem haud mediocriter dolebat, tantum virum minus frequenter hominum manibus teri, quam singularis ipsius facundia atque doctrina merebatur. Cujus rei cum eam causam esse intellexissem, quod ita Latinitate donatus esset, ut theologorum studia minimum juvare posset, operam suscepi, quam rei theologicæ utilem nescio, mihi certe admodum arduam ac difficilem, ut quantum labore ac diligentia consequi possem, hunc auctorem ita verterem, ut si non elegantior, minus saltem obscurus in lucem prodiret. Potui certe in anterioribus, mihi que longe gravioribus scribendi argumentis versari, sed vicit publicæ utilitatis studium, cui pro virili parte optimus quisque inservire debet. Nec vero eorum labores, qui in hoc pistrino ante me desudarunt, elevabo ac suggillabo, ad quorum eloquentiam doctrinæque laudem me minime aspirare posse sentio, ingenueque fateor. Hoc tantum dicam eos gravioribus studiis addictos, nec fortasse nisi recreandi animi causa in hac translatione versatos, tot locis ab auctoris sententia recessisse, ut mihi neminem fore persuadeam, qui inutilem ac supervacaneam hanc secundam versionem fuisse dicat. Hunc porro laborem cum, cujus potissimum nomini consecrarem, necum ipse dispicerem, statim unus occurristi, cui pluribus de causis merito nuncupandus videretur.

Primum enim, si personas ipsas spectemus, cui nam quæso congruentius offerri potuit hoc optimi, eruditissimi, atque imprimis eloquentis episcopi volumen, quam archiepiscopo et cardinali, singulari virtute, doctrina ac rara quadam et eximia dicendi facultate prædito? Deinde cum eos omnes, qui de re litteraria bene mereri student; benevolentia tua et comitate semper complexus fueris, quacunque potueris ratione juveris, exveris; profecto litteræ ipsæ in tuum, tanquam in optimi parentis et patroni sinum confugere gestiunt: non tam ut te illustrent (nec enim aquis Oceanus eget) quam ut ex illustrissimo tuo nomine splendorem ipsæ trahant. Huc accedunt multa tua et præclara in quosdam meorum beneficia, quos cum æque ac vitam ipsam amem, non minus certe me magnitudini tuæ debere censeo, quam si in meipsum ea contulisses. Sed nullo

A nomine me tibi obstrictiorem agnosco, quam quod in Ecclesiæ, Christianissimi regis, totiusque hujus afflictissimi regni causam tanta animi sollicitudine incumbis, tot curas, tot æumnas suscipis, eo denique omnia tua studia refers, ut truncatis (quandoquidem nec sanari volunt, nec sine certa corporis perniciæ ultra retineri queunt) putridis membris, reliquæ partes conserventur. Quis autem non videt, quantum tibi laboris perferendum sit, quantum dimicationis subeundum, ut tot Achitophelium sub vulpe latentium consilia dissipet; et dum alii in aperto bello egregiam reipublicæ operam navant, provideas interim, ne quid ab occultis hostibus ea detrimenti patiatur? Est quidem omnino grave ac molestum ei, qui ex publicorum negotiorum tumultibus ad studiorum vitæque tranquillitatem (cujus dulcedinem nemo scit, nisi qui gustavit) sese assuerit, ex hoc quietis velut paradiso quodam exturbari, atque ad publicarum rerum administrationem, tot molestiis refertam, tot hominum odiis, invidiæque expositam, trahi.

Verum hominis est vere Christiani, cum Paulo quærere, non quod sibi, sed quod multis utile est⁶⁷, seque totum reipublicæ Christianæ commodis devovere. Atque illud satis animadvertit insignis tua prudentia, multiplices illas omnis generis dotes, quibus te Dominus exornavit, non in hoc tibi creditas fuisse, ut eas vel sudario obvolutas ac reconditas habeas, vel terræ infodias; sed ut magno sænore augeas et amplifices, atque ut fabulosus ille Atlas cælum, sic tu Ecclesiam, quæ regnum cælorum a Christo appellatur⁶⁸ quæque te in cardinum suorum numerum ascivit, pro virili tua parte sustinere cures. Id quod sane summo studio facis: et quia facis, idcirco improborum omnium oïlia in te concitasti. Quotusquisque enim est hodie patriæ fideique hostis, qui non simul quoque te acerbissimo odio insectetur? Quis famosus libellus his novem annis in lucem prodiit, in quo nominis tui fama perpetuis sædissimisque conviciis non sit lacerata? Quanquam quid mirum te virulentis linguis peti, cum et Elias Israelis perturbator, et apostoli temulenti, et Paulus insanus, et paterfamilias ipse Beelzebub, appellati sint? Quid autem, per Deum immortalem, tibi ad laudem illustrius accidere queat, quam quod eosdem hostes habes, quos Christus, quos religio, quos patria, quos omnes boni? Quod iis displices, quibus placere nemo sine perfidia possit? Quod ab iis omni conviciorum genere proscinderis, qui Ecclesiam prius, vel potius seipsos ab Ecclesia sciderunt? Quos tu optima hercule ratione ulcisceris, cum impurissima eorum maledicta contemnis, teterrimasque linguas, quæ bene loqui non didicerunt, male loqui sinis. Disrumpuntur enim miseri, cum te nihilo magis eorum calumniis, quam elephantos Indicos pulicum morsibus, commoveri vident. Satis graves iniquissimi in te

⁶⁷ I Cor. x, 33. ⁶⁸ Matth. xiii, 41, 33, 45.

odii pœnas pendunt, cum te, quem de summæ auctoritatis gradu deicere, atque omnibus hominibus invisum reddere conati sunt, et stare et florere, quodque Palladium Trojæ, id te Franciæ nostræ esse conspiciunt.

Quocirca noctuis istis, quæ, quoniam male agunt, merito lucem oderunt, nec nisi in tenebris mordent, forti animo contemptis, in pulcherrimo eo munere, quod tibi, tanquam pœoni, languens patria imposuit, constanter persevera. Medicis illis obsiste, qui non tam imperitia, quam malitia, vulnus nostrum nondum suppuratione ac percuratum, cicatrice obducere nituntur, ac cinere doloso ignem obtegere, quo mox tota Gallia rursus exardescat. Chananæos in medio Israelis habitantes observa. Bonum certamen certa⁶⁹: pugna consilio, auctoritate, opibus omnibus, adversus eos, qui tot jam cladibus patriam affecerunt, ut stultitiæ sit sperare, iis salvis rempublicam salvam esse posse. Maneant qui volent in Siceleg, subsistant etiam ignavi ad sarcinas: tu nec oculis tuis somnum, nec palpebris dormitationem prius dato⁷⁰, quam cum Davide Amalecitas, regni spoliis exultantes, assecutus fueris⁷¹, atque ita freezeris, ut non levem tantum pacis umbram et inane simulacrum, sed veram ac solidam pacem videamus.

Sed quid ego hæc ad te? Quasi vero aut mea, aut cujusquam cohortatione opus habeas, qui tua sponte curris, et ut vaccæ illæ Palæstinæ, arcam Dei gestantes, in directum graderis, nec ad dextram aut sinistram declinas⁷²: in hoc certe cum alios omnes fratres tuos clarissimos principes, tum præsertim incomparabilem illum heroem, illud belli fulmen, illum Israelis currum et aurigam⁷³, domusque Dei murum haud dubie abeneum⁷⁴ referens, Martium, inquam, illum Franciscum, qui simul et Domini et regis sui prælia præliabatur, aquila velocior, leone fortior, rupe firmiter, plenus victoriis ac triumphis. Cujus nisi singularis quædam ac prope divina virtus incredibilem hostibus terrorem attulisset, nunquam sane tam nefarie paricidio sese devinxissent, nec toties salutare

A Galliæ sidus exstinxissent. Qui si cothurnus, si Euripus, si Proteus quispiam, aut arundo vento agitata⁷⁵ exstitisset, viveret quidem adhuc fortasse in hoc fœcis luto, sed turpis et inglorius, et ut illi qui vitam suam in mundo diligere malunt, quam in vitam æternam custodire⁷⁶. Quod quia non fuit, per summum scelus nobis ereptus est: ita tamen, ut quemadmodum Elias melotem⁷⁷, vel, ut aptiori exemplo utar, Judas Machabæus Jonathan⁷⁸, sic ipse nobis Aumalæum fratrem, præstantissimum belli ducem reliquerit, qui per eadem vestigia ad eandem immortalitatem grassatur, nuncque adversus Germanicas Harpyas (quæ Franciæ vulneribus feros ungues intigunt, acetum pro oleo infundunt, eique pene jam œsangui, quidquid reliquum erat sanguinis, detrahunt) cum militum robore procedit, ita animo comparatus, ut etiamsi in hoc belli discrimine vita ipsi ponenda sit, præclare secum actum iri putet, dum hujusmodi pestes a patriæ cervicibus avertat.

Perge itaque, amplissime cardinalis, cum fortissimo tuo germano, senescentem Galliam fovere, atque, ut Græci dicunt, ἀντιπελαργεῖν. Quod autem ad Nazianzenam nostram translationem attinet, tametsi non eram nescius, eam haud admodum dignam esse, quæ in tuo nomine appareret, ob idque, ne ad te cum tantillo munere accederem, pudore nonnullo deterrebar: fecit tamen perpetua tua humanitas, propensaque erga studiosos omnes voluntas, ut hunc metum abstergerem, cum mecum cogitasset, magnorum principum esse, non minus libenter parva accipere, quam magna dare, diisque, ut quidam in simili causa dicebat (75), non solum thure, sed etiam mola salsa litari. Accipe ergo grato ac libenti animo hoc quidquid est muneris, illustrissime cardinalis, mihi que, si importuna quadam tui interpellatione publicis commotis moram attuli, velim ignoscas. Dominus Jesus te quam diutissime Ecclesiæ suæ incolumem servet. Nannetibus 15 Kalend. Januar. anno a saluti-fero partu quingentesimo sexagesimo nono supra millesimum.

Πρὸς τὸν αὐτὸν ἐπιφανέστατον τῆς κατὰ τὴν Φραγκίαν Ἐκκλησίας προστάτην καὶ εὐγενέστατον ἀρχοντα, τοῦ αὐτοῦ.

Ἔργα Θεοῦ κομέεις, κομέεις δὲ τε καὶ βασιλῆος,
• Ὡστε ῥόος ποταμοῦ ἀνδιχα τεμνόμενος.

Πιστὸν ἔχει θεράποντα Θεός, καὶ πιστὸν ἀνάκτωρ,

Πιστὸν ἔχει πρόμαχον πίστις, ἔρισμα πατρις.

Ἡ δ' ἀρετὴ μελέτημα τῶν, Χριστοῦ τε σώμα

Σχίζοντας βαλέειν, αἰμοχαρεῖς τε λύκους.

Τοῦνεκεν, εἰ πάντεςσιν ἀπήχθεο τοῖσι κακίστοις,

Οὐδὲν θαῦμα· κύνας γὰρ στυγέουσι λύκοι.

D Idem ad eundem illustrissimum Ecclesiæ Gallicanæ antistitem et nobilissimum principem.

Res cœli tractas, tractasque negotia regni,

Ambas in paries finditur ut fluvius.

Fidum te præbes regisque Deique ministrum,

Tu vallum fidei, tu columen patriæ.

Hæc tua cura, decus virtutis, sternere Christi

Corpus scindentes, mortiferosque lupos.

At te non moveant odii turbata veneno

Corda: lupum jungunt foedera nulla cani.

⁶⁹ I Tim. vi, 12. ⁷⁰ Psal. cxxxi, 4. ⁷¹ I Reg. xxx, 4 sqq. ⁷² I Reg. vi, 12. ⁷³ IV Reg. ii, 12. ⁷⁴ Jer. i, 18. ⁷⁵ Matth. xi, 7. ⁷⁶ Joan. xii, 25. ⁷⁷ IV Reg. ii, 15. ⁷⁸ I Machab. ix, 30, 31.

In te non mirum livor si torqueat arma :
 Virtuti semper tristia bella ciet.
 Invida tabescant vis agmina; turba dolore
 Angatur rabido dogmata prava serens?
 Certamen certa fidei; virtutis, ut olim,
 Perge viam; fer opem consiliumque throno.
 Igne suos uret livor: disrupta, furoris
 Occidet esca sui, gens inimica Deo.

Ejusdem alia.

Pandoram divum donavit copia mundo :
 Pandorum nobis te dedit Omnipotens.
 Illi in perniciem nostram (nam perniciosos
 Perniciosa decet mittere dona deos).
 Hic vero ad generis certissima commoda nostri :
 Commoda quippe bonus dat sua dona Deus.

*In Nazianzenam D. Jacobi Billii abbatis Michaelini translationem God. Billius frater,
 abbas Vincentius.*

Gregorius quondam patria tellure fugatus,
 Appulerat sedes exsul ad Occiduas.
 Excepere virum quidam: sed balba loquentes
 Hunc etiam balbe conducuere loqui.

*G Genebrardus Theologus Parisiensis, ad D. Jacobum Billium cœnobiarcham, trium
 linguarum peritissimum, Gregorii Nazianzeni interpretem.*

Gregorium ob versum nostra te voce salutat
 Pieris et Charitum nuda corona trium.
 Quin et Gregorius tanto pro munere summas
 Cum superum grates agmine gratus agit.
 Nam cum barbaricis olim graderetur in arvis,
 Arte tua jam nunc regna Latina tenet.

*Joannis Chatardi Aquipersani ad Mecœnatem suum D. Jacobum Billium, Sancti Michaelis in
 Eremo Abbatem ornatissimum, et D. Gregorii episcopi Nazianzeni interpretem fidelissimum,
 epigramma.*

Ut Tobiaꝝ lucem soboles perchara parenti
 Restituit¹⁰, sic tu lumina Gregorio.
 Ille quidem patris ex oculis caligine pulsa,
 Tu vero a toto corpore Gregorii.
 Illum nam veluti fœde cæcarat hirundo,
 Hunc ita mendorum versio plena prior.

Ejusdem Chatardi ad lectorem.

Squalidus in cæce Iosephus carcere, dignus
 Vix erat aspectu régis, et alloquio.
 Inde sed eductus, lædo squallore remoto,
 Principis et populi dignus amore fuit.
 Sic quoque Gregorius dum sordidus ante jaceret
 Obsitus, indignus qui legeretur, erat.
 Nulla etenim gravibus vitis pagella carebat
 Et sine mente sonum singula verba dabant.
 Ast tibi purus adest, et quovis purior auro,
 Ut primum accessit Biblica docta manus.
 Nunc oculis regum, nunc summo dignus honore,

A Οὐδὲ, τὴν ἀρετὴν ὅτι βράσκανον ὄμμα τιταίνει,
 Θαυμά μ' ἔχει· καλοῖς ὁ φθόνος ἔχθρὸς ἀεί.
 Τήκεσθαι φθονερούς ἐθέλεις, καὶ ἀνάσσει φύλα
 Αἰρετικῶν κρατεροῖς ἄλγεσιν ἐμπελάειν;
 Εὐσεβεῖ προμάχιζε λόγῳ· χαλαρήσων ἀνακτι·
 Παντοῖης ἀρετῆς, ὡς τοπάρουθεν, ἔχου.
 Δὴ τότε καὶ φθονερούς τήξει φθόνος· ἀντιθέους τε
 Ὅψεται αὐτοφόνῳ βοσκομένους μανίη.

Τοῦ αὐτοῦ ἕτερον.

Πανδῶρην ποτὲ δῶκε θεῶν χορὸς ἡμεροῖσι·
 Πάνδωρὸν σε μέγας ἡμῖν ἔδωκε Θεός.
 Οἱ μὲν ἐπ' ἀργαλέῳ μερῶπων κακῷ· ὡς γὰρ ἐψέει,
 Οὐλομένους πέμπειν οὐλῖα δῶρα θεοῦ·
 B Ὅς δ' ἐπὶ τῷ πάντων ἀγαθῷ· καὶ γὰρ παναρτίστου
 Πάντα Θεοῦ χθονίοις χρήσιμα δῶρα πέλει.

Condoluit frater profugo, docuitque rogantem
 Mollius Ausoniis verba sonare modis.
 Miratur jam Gregorius, dubitatque Pelasgum
 Dicere se posthac debeat, an Latium.

Διάν σου κεφαλὴν ἀσπάζοντ' ἐννέ' ἀδελφαί,
 C Ταυτὶ τε γυμνοχρόων δρῶσι γένη Χαρῖτων.
 Γρηγόριος δ' αὐτὸς ζαθέαν δι' ἐμοῦ χάριν οἶδεν,
 Ὅττι μὲν ὡς Ἑρμῆν ἔσχε σε Αὐσόνιον.
 Ἐν χώραις πρόπλαι γὰρ ἐνψέει βαρβαροφώνους,
 Νῦν δὲ ἔχει διὰ σοῦ σκῆνα Ῥωμαϊκά.

Sed tu præterea vocem cum lumine reddis,
 Ut modo cum Græcis verba Latina sonet.
 Sic per te (præclara duo miracula) nuper
 Cæcus et elinguis nunc videt, et loquitur.
 Vis referam majus? Toto jam fulget in orbe,
 Qui velut in tenebris ante sepultus erat.

D Dignus qui volitet cuncta per ora virum.
 Billius, idque libens magno sudore peregit
 Unus, quod multi non potuere simul.
 Præstitis hic labor est, quo non præstantior alter,
 Pluresque ingenii qui tibi servet opes :
 Ex his quas facile fulvum velut ungue leonem
 Primitis, lector candide, nosse potes.
 Noscit et extinctus (dictu mirabile) præsul,
 Præsulis alterius jam redivivus ope.
 Atque ita qui clara florebat in Hellade tantum,
 Nunc etiam tota floret in Ausonia.

¹⁰ Tob. xi, 13-15.

JACOBUS BILLIUS, ABBAS S. MICHAELIS IN EREMO,

PIO LECTORI S

En habes, pie Lector, eximium illum Orientalis Ecclesiæ doctorem Gregorium a nobis Latinitate donatum : ex cujus lectione utinam tantum fructus tibi capere contingat, quantum laboris ac molestiæ fuit nobis in eo vertendo subeundum. Vix enim cuiquam credibile futurum est, quam invitus hic auctor apud nos peregrinetur, nisi qui hujus rei periculum fecerit. Hoc vero te exorandum habeo, ne me aut nimis supini cujusdam otii notandum censeas, qui velut rem actam, ut dici solet, non sine magno temporis dispendio rursus egerim ; aut parum candidi animi esse judices, qui in labores aliorum introierim, ipsisque meritiæ laudis argumentum eripere sim conatus. Quorum utrumque facile, a te, ut opinor, obtinebo, si modo tantum tibi a gravioribus tuis studiis otii fuerit, ut eorum, qui ante me in hoc negotio versati sunt, translationem cum hac nostra, et utramque ad exemplar Græcum, tanquam ad Lydium lapidem, explorare vacet. Quod si feceris, non equidem dubito, quin ita sis existimaturus, laborem hunc nostrum non modo non inane ac supervacaneum, sed etiam prope necessarium fuisse. Neminem insector, nullius errata traduco. Barbarum est sugillandis aliorum laboribus ingenii doctrinæque laudem aucupari. Monstrum, non hominem esse statuo, qui piis aliorum conatibus studiisque non favere, sed obtractare cupit, eorumque lapsus crudeliter potius detegere atque omnium oculis exponere conatur, quam fraterne obvelare, vel saltem excusare. Sed ut nefarium in primis habendum est, ex alienarum lucubrationum insectatione ac depressione crescere, aditumque sibi ad hominum famam munire velle : ita cum publici commodi causa id postulat, nemini vitio verti debet, rem ab aliis tractatam retractare, ac velut sub incudem revocare. Nimis enim profecto sibi arrogat qui contumelia se affici censeat, si quis vel quæ ipse scripserit, emendare ac perpolire, vel etiam eidem materiæ, si id e re litteraria fore videatur, secundam manum admoliri audeat : modo duæ illæ teterrimæ pestes procul arceantur, livor et obtractandi studium. Quod cum in omni scriptorum genere hactenus licuerit (nec enim sine causa Græcorum proverbio dicitur, δευτέρας φροντίδας σοφωτέρας εἶναι), tum vero in traductionibus multo justius concedendum est ; quarum copia atque diversitas, ut nihil aliud utilitatis pariat, hoc certe commodi affert, quod ex plurium interpretum collatione auctoris sententia clarius elucescit. Sic videmus a priscis illis Ecclesiæ doctoribus libenter factitatum esse, ut præter nobilem illam septuaginta

A Interpretum translationem, cujus tum toto orbe sacrosancta erat auctoritas, Aquilam etiam et Symmachum et Theodotionem plerumque consulerent : ut si quid ipsis caliginis oboriretur, hujusmodi collatione discuti posset.

B Quod quidem ad me attinet, potui hoc tempus, quod Gregorianæ versionis datum est, longe amœnioribus mihi que jucundioribus studiis impendere : sed quorundam consilio atque auctoritati cedendum putavi, qui doctissimo quidem viro, cæterum apud Latinos nimis, ut aiebant, obscuro, sui que, ut Hieronymus loquitur, dispari, lucis aliquid ex hac nostra traductione accessurum mihi certo pollicebantur. Hanc itaque provinciam suscepi, quam utilem nescio, mihi certe ita gravem ac molestam, ut inchoatum opus abrumpere ac perpetuis tenebris damnare non semel cogitarim. Quod si vires meas probe exploratas habuissem, atque ut Dominus in Evangelio admonet, sumptus ad rem hujusmodi necessarios computassem⁶⁰ ; si summam operis difficultatem, corporis plusquam vitream valetudinem, doctrinæque tenuitatem animo perpendissem, nunquam, ita me Deus amet, huic traductioni manum adjecissem. Sed vera est Thucydidis sententia, Ἀμαθία θράσος, ὁ λογισμὸς δ' ἄδικρον φέρει. Nec abs re τὸ Γνωθὶ σεαυτὸν, tanti ab erudita antiquitate factum est, ut id non mortali cuiquam, sed Deo, et deorum sapientissimo attribuendum existimaret. Ac mihi idem prorsus accidisse sentio, quod navigandi insolentibus usu venire solet ; qui allubescente e terra maris aspectu mira cum animi voluptate navim ingrediuntur, læti etiam et alacres littora legunt, quoad in altum pervecti, subducta jam omni illa amœnitatis specie, in gravissimos capitis dolores incidunt, nauseaque misere divexantur. Ad eundem enim ipse quoque modum in hac traductione, cum primi aditus facilitate illectus et inescatus, juvenili quodam animi ardore ac præcipiti impetu stadium unum atque alterum emensus fuissem : ita repente lubrica omnia gressumque fallentia, ita aspera et salebrosa reperi, ut nec regredi jam præ pudore, nec progredi sine periculo possem. Tantum in me temeritas valuit, quæ non minus quam ebrietas, spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem ! Inermem enim plane me esse fateor, quod quidem ad id attinet, ut cum tanto Mitouæ quantus est noster Gregorius facundiæ certamine dimicare queam, eximiasque ipsius dotes Latina oratione repræsentare. Atque haud scio an quisquam sit tanta dicendi facultate ac verborum copia præditus, qui tam uberes et profusas eloquentiæ opes ita e Græcia in Latium

⁶⁰ Luc. xiv, 28.

asportare possit, ut non mutuum illis gratiæ pretii- que ex hujusmodi transvectione decedat, cogaturque tandem hoc Homeri versu uti,

Δυστήνων δέ τε παῖδες ἐπὶ μένει ἀντιώωσι.

Nam cum nulla lingua tam inops atque jejuna sit, quin permultas voces habeat, quæ in aliam linguam sine molesto verborum circuitu atque elegantizæ dispendio transferri nequeant, quid hic cum eo auctore interpretes faciet, qui in copiosissima ac sine dubio omnium locupletissima lingua verborum argutias undecunque captat : ut quot ejusmodi voces orationi asperserit, tot pene cruce interpreti fixisse videatur.

Quid de prolixis illis periodis dicam, quæ ut Græco sermone ob connectendi facilitatem non parum gratiæ atque ornamenti afferunt, ita cum Latine efferruntur, nimium diu suspensum lectoris animum tenent, nec sine quodam fastidio transmittuntur. Jam vero brevissimæ illæ allusiones quæ toto opere undique sparsæ sunt, quam attentum ac diligentem, quam non modo multæ lectionis, sed etiam felicitis cujusdam memoriæ interpretem requirunt, utpote quæ vel ignoratæ vel neglectim transcursæ, tantas nonnunquam interpreti tenebras offundunt, ut psittaci more quid loquatur nesciat, atque ut Jobi verbis utar, ἄλλοις νήχεται λόγοις, seque velut in alieno cælo esse arbitretur? Ex quo satis apparet quibus præsiidiis instructum eum esse oporteat, qui in hujusmodi scriptis transferendis specimen sui præbere cupit. Huc accedit, quod peculiarem quamdam phrasim habet Gregorius, disertissimam quidem illam atque in primis eruditam, sed quæ vel perspicacissimos interpretis oculos sæpenumero perstringat, ut nisi summam curam animadversionemque adhibuerit, quemadmodum Ixion ille pro adamata Junone nubem, sic ipse pro vera auctoris sententia non nisi levem quamdam et inanem verborum umbram amplectatur. Ut enim Dædali statuas, nisi firmissimis vinculis astringerentur, fugam corripere solitas esse scribit Plato : ita germanus Theologi sensus nisi arctissima attentione ac diligentia vinciatur, interpreti quasi de manibus elabitur. Quæ omnia cum me miris modis torserint, tum illud longe vehementius animum excruciauit, quod Her-
vagianus codex, qui unus suppetebat, tot tamque fœdis erroribus scatebat, ut ad hoc Augiæ stabulum repurgandum non uno Hercule opus esset. Nulla oratio, nulla propemodum pagina gravissimis mendis vacabat; ὀλοώματος, ut ita dicam, erat hæc plæga. Quocirca cum deploratis morbis medicam manu amovere medici velent, ne ipse quidem causam ullam esse putavi, cur in tam corrupto atque insanabili codice diutius me inani labore conficerem.

Tantisper itaque mihi ab incepta versione quietem imperavi, quoad ab amico quodam certior fa-

ctus sum, permulta eaque castigatissima exemplaria in illustrissimæ reginæ bibliotheca esse, quorum ope atque adjumento insanabilibus alioqui vulneribus medicinam afferre possem. Quo nuntio supra quam dici queat oblectatus, per doctissimum atque humanissimum virum Ludovicum Ruzæum, regium confessorem, haud magno negotio a regina impetravi, ut mihi liceret codicem unum (nec enim plures simul passa est) ex ipsius bibliotheca mecum efferre. Tuli igitur amplissimum codicem capitalibus litteris exaratum, tantum antiquitatis præ se ferentem, ut ipsius propemodum Gregorii ætate scriptus esse videretur : qui, præter epistolas et versus, omnia ipsius opera continebat. Quem cum paucissimis diebus incredibili celeritate perlegissem, ex eoque innumera loca quæ in impresso vitiose legébantur, integritati suæ restituissim, statim eum Athenas (quo enim alio nomine incomparabile illud bonarum omnium litterarum gazophylacium appellem?) referendum habui, ut alterum exemplar inde rursus auferrem. In hoc sexdecim duntaxat orationes erant, doctissimis Nicetæ Serronii commentariis illustratæ, intextis etiam quibusdam Pselli enarrationibus in obscuriora loca secundæ orationis *De Paschate*. Quo quidem volumine cum mihi pro animi arbitratu uti liceret, non modo ad ea quæ inchoaveram ac velut pro derelictis habebam, prosequenda, sed ad ea etiam quæ Nicetas commentatus fuerat Romano sermone donanda me accinxi. Nec enim a publicis commodis alienum fore putavi, si commentator Latine loqueretur, qui Græcum hominem Græcus ipse interpretandum duxisset. Quod autem non omnes ejus commentarios, sed eos solum, quos in panegyricas orationes ediderat, in totum converti, hoc non tam laboris fugiendi causa feci, quam quod vererem, ne nimia hæc nostra sedulitas plus tibi tædii quam utilitatis afferret. Sic itaque negotium temperavi, ut eas quidem enarrationes, quæ ad rem potius quam verborum explicationem facere videbantur, totas Latinas facerem : ex iis autem quæ non tam res ipsas exponebant, quam orationis verba aliis verbis exprimebant, utilissima tantum exciperem, atque in scholiorum formam redigerem. Ubi etiam si quid mihi occurrit, quod Nicetæ expositioni non incommode adjici posse videretur, id quoque inserere non dubitavi : affixo tamen fere semper asterisco, ut nostra a Nicetanis facilius internoscantur. Quod quidem consilium nostrum tibi facile probatum iri confido. Atque hic quoque verum esse comperi quod proverbio Græco dicitur (76), Πόνος πόνῳ πόνον φέρει. Ut enim primus ille Gregorianæ versionis labor alterum laborem suscipere, hoc est, Nicetam Latinis auribus exhibere me coegit : ita secundus hic labor, quasi quidam Eurysteus, mihi novi laboris suscipiendi necessitatem imposuit. Venit enim in mentem subverendum esse, ne parum sibi constaret hic noster labor, si quibusdam orationibus, partim

(76) Soph., *Ajac.*, v. s. 878.

contractiore expositione, partim integro commentario explanatis, reliquæ velut nothæ sine ullo annotationum comitatu prodirent, cum tamen ipsæ quoque compluribus locis lumen aliquod explicationis haud dubie flaglarent.

Ergo in has etiam scholla elucubravi, prolixitatem ubique quantum licuit vitans: ut si forte Nicetæ interpretatio prolixitate aliqua animum tuum interdum suboffendat, hæc molestia scholiorum nostrorum brevitate diluatur. De quibus nihil aliud dicam, nisi me summa cura diligentiaque contēdisse, ut hic auctor aliquanto clarior et apertior in manus tuas perveniret. Adjeci præterea Nonni opusculum, quo profanas historias et fabulas exponit, de quibus in Invectivis adversus Julianum Apostatam mentionem facit Gregorius: quod etiam ipsum de Græco in Latinum convertimus. Illud autem velim, mihi fraudi ne sit, quod multa loca Veteris Testamenti aliter verti, quam in Vulgata traductione habeantur. Nam cum mihi cum eo homine res esset, qui non alia quam LXX Interpretum translatione uteretur, decuit me profecto, imo omnino oportuit, ipsius vestigiis in versione mea insistere, atque eandem translationem sequi. Alioqui innumeris prope locis nec Gregorii explicatio cum Scripturæ textu, nec Nicetæ expositio cum Gregorii, Scripturæque verbis ullo modo quadrasset; verum aliud tibi, ut vulgo dici solet, cecinisset, aliud pes saltasset.

Hæc sunt, Lector, quæ ad D. Gregorii, imo ad templi Dei, cujus ille lapis vivus fuit, exornationem a nobis collata sunt: quæ si ad virium nostrarum modulum exigantur, non parva fortasse; si autem ad excellentem auctoris dignitatem perpendantur, minus quam pili caprarum, pellesque arietum ru-

bricatæ futura sunt, atque ut Græci aiunt: Οὐδὲν ὁ βωμὸς πρὸς τὸ ἱερόν. Ingenuè enim et sine ullo verborum furo fatëor, tantum inter Græcum Nazianzenum et nostram versionem interesse, ut si res in contentionem veniat, non magis hæc ad illius splendorem, quam noctua ad meridianos solis radios consistere possit. Sed cum Christus duo illa pauperis viduæ minuta, amplissimis etiam divitum muneribus, quæ opum nonnisi περισσεύματα, et, ut Plauti verbo utar, præsegmina quædam erant, pluris æstimarit: debet profecto tibi quoque gratum esse τὸ κατὰ δύναμιν libet enim hoc loco Gregorii nostri verba usurpare. Iniqua enim prorsus mihi abs te gratia rependetur, si pro tanto labore utilitatis tuæ causa suscepto, nihil aliud quam obtrectationem laborisque nostri suggillationem referas. Longe enim æquius ac Christiano homine dignius est ob multa bene dicta ad quædam errata connivere, quam ob quædam errata totum opus lacerare, ac scarabæos imitari, qui unguentis minus delectati putida consectantur. Quanquam non tam peto ut ad errores lapsusque nostros conniveas, quam ut ab obtrectatione et maledicentia temperes. Admonendo vel etiam corrigendo ea in quibus errasse videbimur, rem et mihi non ingratam, et aliis utilem facies: oblatrando et calumniando nec aliis præderis, et gravi crimine teipsum obstringes. Nam cum Christus iis etiam a quibus injuria nobis orta est, vicem referre prohibeat: quanto tandem atrocior eos pœna manet, qui bene de se merentes, aut certe mereri studentes rabido dente insectantur? A quo vitio utinam te Deus semper incolumem servet. Bene vale, optime Lector, et laborem hunc nostrum boni consule.

ΙΑΚΟΒΟΣ Ο ΒΙΛΛΙΟΣ ΤΟΙΣ ΕΝΤΕΥΞΟΜΕΝΟΙΣ ΕΥ ΗΠΑΤΤΕΙΝ.

Κάλλιστα μὲν καὶ φιλοσοφώτατα τῷ Σιράχ εἴρηται, Μὴ βιάζεσθαι δεῖν ροῦν ποταμοῦ· ἐγὼ δὲ προσθεῖην ἂν οὐκ ἀπεικόντως, ὅτι μὴδὲ τὴν φύσιν. Τοῦτο δὲ λέγω οὐχ ἀπλῶς εἰκάζων, οὐδὲ τοῖς ἄλλων ὑποδείγμασι πεισθεὶς, ἀλλ' αὐτῇ τῇ πείρᾳ μαθὼν, ὅσῃ ἐστὶν εὐηθείας καὶ ματαιότητος τὴν πρὸς ἐπιτήδευμά τι προσφόρως καὶ οικειῶς ἔχουσαν ψυχὴν ἐφ' ἐτέραν τινὰ τοῦ βίου ἰδέαν ἀποτρέπειν, καὶ βίᾳ μεθέλκειν.

Ἐπειδὴ γὰρ τρίτον ἦδη ἔτος εἰς τὰ οἴκοι διδασκαλεῖα φοιτήσας ἄλλῃ ἔχειν ἔδοξα τῆς ἐγγωρίου στοιχειώσεως, ἐπὶ τὴν Λουτηκίαν ἐπέμφθη, ὡς δὴ μεθέξων τελειώτερας παιδείσεως, καὶ μείζονα τὴν ἀπὸ τῶν λόγων ὠφέλειαν καρπωσόμενος. Ἐγὼγε οὖν αὐτίκα μὲν τοῖς τὴν Ῥωμαίων, ὀλίγω δ' ὕστερον καὶ τοῖς τὴν Ἑλλήνων διδάσκουσιν ἑμαυτὸν φέρων παρέδουκα. Καὶ ἤδη καὶ ἐντὸς οὐ πολλοῦ χρόνου, εἰ μὴ περιττὴν τινὰ καὶ θαυμασίαν, ἀλλὰ τσαφῆ τὴν γε ἐν

JACOBUS BILLIUS LECTORIBUS FELICITATEM (77).

Rectissime et sapientissime Sirach dicit: *Ne coneris contra ictum fluvii* ⁶¹. subjunxissem, non absurde, neque contra naturam et indolem. Illud autem non ex conjectura temere profero, non aliorum edoctus exemplis; ipsa namque experientia didici quam inane sit et iniquum retrahere mentem ab utilibus amicisque studiis, et invitam ad aliud D vitæ genus convertere.

Jam domi per tres annos scholas frequentaveram, cum patriis rudimentis, aliorum judicio, satis instructus, Lutetiam missus sum, ut perfectioris institutionis socius et particeps majorem ex studiis fructum utilitatemque perciperem. Protinus igitur Latine et paulo post Græce docentibus libenter memetipsum tradidi. Et quidem intra breve tempus, si non supra modum admirationemque, at certe tantum in utraque lingua profeci, ut, absit a me

⁶¹ Eccli. iv, 32.

arrogantia, nec Tempensi mei causa pretii parentes, nec suscepti ut me informarent laboris institutores ac ludimagistros peniteret. Integros sex annos postquam illis in scholis perseverassem, accersivit me pater, et apud se haud diu detentum Pictavium misit, urbem his diebus in omni Gallia præstantissimam florentissimamque jurisprudentiæ scientia.

Ecquis exprimeret verbo quæ mihi voluptas et quæ fuerit lætitia in societatem jus legesque colentium ascribi? Hoc enim fere juvenum vitium est, ut assuetis satiati nova semper captent et totis insequantur viribus. Sed evanescere cito voluptatis illecebræ. Primis legum elementis imbutus (nam sua Themis non aperit mysteria nisi prius initiatis) intus quasi transgresso limine admissus sum: verum in interiora penetranti sic aspera omnia, sic ardua et inaccessa præter spem apparuere, ut quod venerim Pictavium, mihi nequaquam ignoscerem, urbemque illam vocarem vanæ sedem felicitatis. Ipsi tamen ingenio vim inferens, ultra progredi omni ope tentabam, et juxta illud Apostoli, *ad ea quæ anteriora erant meipsum extendere*⁹¹. At illa quid mihi profuit animi contentio? Ad expetitam non perveni juris scientiam; quin et ipsa prior institutio plurimum detrimenti pertulit. Spem enim meam non modo sefellit jurisprudentia, pene totum etiam effluxit quod in magna urbe comparaveram. Et idem fere mihi contigit quod iis quibus vitiatum est palatum: cibum aliquem illis offeras, ægre ferunt; quemlibet deinde apposueris, pariter respiciunt aspernantes: sic et nos spe sublata jurisprudentiæ, et erga eam male affecti, omnes ex æquo litteras aversati sumus et horruimus, cujuslibet eruditionis fastidiosi.

Longum igitur valere studio cum dixissem litterarum, meipsum deliciis et comessionibus totum addixi, mollitiei voluptatique serviens omnino, pro musæis frequentans sphæristeria, donec prava et immoderata vivendi consuetudine in gravem obstinatumque morbum incidi, qui me per quatuor menses in lecto retinuit jacentem et pene confecit. Morbo quiescente et fugata feбри, vehiculo, nec enim equitare præ nimia infirmitate poteram, impositus sum et domum paternam relatus. Illic et multo tempore, et cura non minima, necnon arte medicorum opus habui ut deperdita valetudo reficeretur. Vix autem e morbo recreatum, corporis viribus reparatis, ad studium litterarum continuis sermonibus incitavit me pater: etsi enim illitteratus, at certe litteratorum amantissimus et fervens laudator, ut si quispiam alius. Cui inter alia reponendam ad excolendas, altiores scientias me paratum

Ἀκατέρα τῶν γλωττῶν προκοπῆν ἐποιήσαμην, ὥστε, ἴνα μηδὲν φορτικὸν εἶπω, μηδὲ τοῖς γονεῦσι μεταμέλειν τῆς ἐπ' ἐμοὶ θαπάρης, μηδὲ τοῖς καθηγγηταῖς καὶ διδασκάλοις ὧν ἐπὶ τῇ ἡμετέρᾳ παιδεύσει ἐμόχθησαν. Ἐξ δὲ ἔτεσιν ὅλοις ἐναπομείναντά με τοῖς ἐκεῖσε παιδευτηρίοις μεταπεμφόμενος ὁ πατήρ, καὶ βραχὺν τινα χρόνον παρ' ἐαυτῷ κατασχών, ἐπὶ τὸ Πικτάδιον ἀπέστειλεν, πόλιν τῆς κατὰ τὴν νομικὴν ἐπιστήμην εὐκλείας τότε τὰ πρωτεῖα φερομένην ἐν ἀπάσῃ τῇ Γαλλίᾳ.

Καὶ τίς ἂν τῷ λόγῳ παραστήσειεν ὡς ἡδέως καὶ μεθ' ὄσης τῆς περιχαρείας τοῖς τὴν τέχνην τῆδε μετιούσιν ἐμαυτὸν ἐγκατέλεξα; Φιλεῖ γὰρ ἡ νεότης, τοῖς εἰθισμένοις ἀπαρσχομένη, τὸ καινὸν ἀεὶ θηρᾶσθαι καὶ κατὰ κράτος διώκειν. Ἄλλ' οὐκ ἐπὶ πολλῷ παρετάθη μοι τὸ τῆς ἡδονῆς. Ὡς γὰρ, τὰ προτέλεια τῆς τέχνης κατηχηθεὶς (οὐ γὰρ θέμις κοινωρεῖν τῶν μυστηρίων τοῖς μὴ πρότερον μυηθεῖσι), καὶ οἶονεὶ τὰ πρόθυρα διαβάς, ἔυδον ἐγενόμενῃ, τοῖς βαθέσιν αὐτοῖς ἐμβατεύων, οὕτω δύσκολα πάντα, οὕτω τραχέα καὶ δυσέφικτα παρὰ τὴν ἐμὴν ἐλπίδα κατέλαβον, ὥστε πολλὰ ἐμαυτὸν μέμφεσθαι τῆς ἐπὶ τὸ Πικτάδιον ἐπιδημίας, καὶ κενὴν μακαρίαν τὴν πόλιν ἐκεῖνην ἀποκαλεῖν. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὴν φύσιν αὐτὴν βιαζόμενος ἐς τὸ πρόσω χωρεῖν, καὶ, τὸ τοῦ Ἀποστόλου, εἰς τὰ ἔμπροσθεν ἐπακτείνεσθαι, κατὰ πάντα τρόπον ἐπεχειρῶν. Τί δὲ τῆς βεβιασμένης ταύτης σπουδῆς ὀνόμα; Πρὸς τῷ τῆς διωχθείσης τέχνης ἀποτυχεῖν, ἐτι καὶ εἰς τὴν ἀρχαίαν παιδευσιν ἐζημιώθη· οὐ μόνον γὰρ τῆς ἐπισθεθείσης ἐπιστήμης διήμαρτον, ἀλλὰ καὶ σχεδὸν τι διεβρύθη πᾶν τοῦτο, ὅπερ μοι συνειλεγμένον ἦν ἐν τῇ μεγαλοπόλει. Καὶ παραπλήσιόν τι πέπονθα τοῖς τὴν γεῦσιν διεφθαρμένοις, οἱ, ἐπειδὴν πρὸς τι τῶν ἐδωδῶν εἶδος δυσχεράνωσι, καὶ πρὸς ὀτιοῦν ὁμοίως τῶν προσφερομένων ἀηδῶς ἔχουσι· τοῦτον γὰρ καὶ ἡμεῖς τρόπον τῆς ἡλιπίζομεν νομικῆς ἀποσφαλέντες, καὶ πρὸς ταύτην θυσαρσθήσαντες, πάντας ἐπίσης τοὺς λόγους ἐμισήσαμεν, καὶ ἀπεστρεψάμεθα, καὶ πρὸς πᾶν παιδείας γένος κακοσῶτως διετέθημεν.

Πολλὰ τοίνυν χαίρειν φρόσας τῇ φιλολογίᾳ, ὅλον ἐμαυτὸν τρυφῇ καὶ κώμοις ἐκδοτὸν ἐποίησα, τὸ ἀβρὸν καὶ ἐφῆδον ἐξ ἅπαντος θεραπεύων, καὶ τὰ σφαιριστήρια ἀντὶ τῶν μουσείων ἐλόμενος, ἀχρις οὐ ἐκ μοχθηρᾶς καὶ πλημμυλοῦς διαίτης εἰς χαλεπὴν τινα καὶ δύσμαχον ἀβρωστίαν ἐνέπεσον, ἐξ ἧς τέτταρας μῆνας ἐπὶ κλίνης κατακείσθαι μοι συνέθη καὶ παρὰ μικρὸν ἀποθανεῖν. Λωφθάνοντες δὲ τοῦ ἀβρωσθηματος, καὶ τοῦ πυρετοῦ ἐκ ποδῶν γενομένου, φορέϊν τινὲν ἐντεθεῖς· οὐ γὰρ ἱππεύειν οἶδός τε ἦν ὑπὸ τῆς ἄγαν ἀσθενείας· ἐς τὸν πατρῶον οἶκον ἀπηνέχθη. Ἐνθα μοι καὶ πολλοῦ χρόνου, καὶ πολλῆς ἐπιμελείας, καὶ παρὰ τῶν ἱατρῶν ἐπικουρίας ἐδέησε πρὸς τὸ τὴν ὑγίαιαν ἀπελθεῖν ἀνακαλέσασθαι. Μόλις δὲ ἐκ τῆς νόσου ἀνενεγκῶν, καὶ τὴν τοῦ σώματος δύναμιν ἀναλεξάμενος, συνεχέσει λόγοις παρορμῶντός με τοῦ γεννήσαντος πρὸς τὴν φιλολογίαν (ἦν γὰρ, εἰ καὶ λόγων ἄμοιρος, ἀλλ' οὖν τῶν περὶ λόγους ἐσπουδακῶτων

⁹¹ Philipp. iii, 15.

ἔραστῃ καὶ θερμῷ ἔπαινετῆς, εἰ καὶ τις ἄλλος), τὰ μὲν ἄλλα ἔτοιμος εἶναι ἔφασκον τοῖς καλλίστοις τῶν μαθημάτων ἐφιλοπονεῖν, τὴν δὲ νομικὴν μόνην παρητούμην, ἅτε πρὸς αὐτὴν ἄλλοτρίως καὶ παντελῶς ἀνεπιτηδείως ἔχων, καὶ μᾶτην αὐτῇ δύο ἔτη προσαναλώσας. Ἀντιτεινόντος δὲ τινος τῶν κατὰ γένος προσηκόντων, εἰκειν ἠναγκάσθη, καὶ τὴν ἐπαχθεστάτην μοι τέχνην αὐθις ἀσπάζεσθαι καὶ περιέπειν, ὡς μήποτε ὄφελον.

Ἀπὸ γὰρ τῶν προσφυστέρων ἐπὶ τὰ οὐκ οἰκεῖα μεθελκυσθεὶς, ἐπτά καὶ δέκα μῆνας ἐν τῇ Αὐρηλῳ εἰς οὐδὲν χρήσιμον ἀνήλωκα, τοῖς ἡλικιώταις συμμεινόμενος, καὶ, ἵνα συνελὼν εἴπω, τὸ παίξεν ἀντὶ σπουδῆς ἔχων, καὶ ταῖς τοῦ σώματος ἡδοναῖς ἐγκαλινοῦμενος. Ὁ δὲ πατήρ, τὰ κατ' ἐμὲ πυθόμενος, καὶ πάνυ μετανοῶν ἐφ' οἷς ἄκοντά με τῇ νομικῇ πάλιν συγκατείρξας ἔτυχεν, αὐτίκα δὴ μάλα πρὸς ἑαυτὸν ἐπανελθεῖν ἐκέλευσεν, ἵνα τὸ δυσάθεκτόν μου τῶν ὁρμῶν καὶ πρὸς πᾶν εἶδος φλυαρίας κεχυμένον οὕτως ἀναστείλῃ, καὶ οἴονεὶ δεσμοῖς τισιν ἐπισφίγγῃ.

Τότε δὴ ὡσπερ ἐκ βαθέος ὕπνου διαναστάς, καὶ τοῦ ἀθλίως ἀπολωλότος χρόνου εἰς συναίσθησιν ἐλθὼν, καὶ τῆς νεότητος πάσης ἐν τοῖς ματαίοις διατριφείσης ἔννοιαν λαμβάνων, μεγάλῳ πένθει συνεσχέθη, καὶ τῇ φιλολογίᾳ καταλλάττεσθαι καὶ ταύτης περιέχεσθαι διέγνω. Τοιγαροῦν ταῖς βίβλοις νύκτωρ καὶ μεθήμεραν συγγινόμενος, καὶ πρὸς τοδὶ τὸ ἔργον συνεχῶς ἐμαυτὸν κατεπειρών, ἐν βραχεῖ μετρίαν τινα τὴν ἐν τοῖς λόγοις δύναμιν συνέλεξα. Τό γε μὴν τῆς παροιμίας, τῆς ἀλωτὰ πάντα πόνῳ καὶ ἐπιμελείᾳ εἶναι λεγούσης, ἀληθῶς ἔχειν, ἐν τε τῇ τῶν Ἰταλῶν καὶ πολλῶ μᾶλλον ἐν τῇ τῶν Ἑλλήνων γλώττῃ κατέμαθον ἦν, παντάπασιν ἀπορρῦεισαν, καὶ τῷ τῆς λήθης βυθῷ καταποθείσαν, μεγίστοις πόνοις σὺν Θεῷ μόνῳ πάλιν ἐκτησάμην, ὅσον γε πρὸς τὸ τῶν Ἑλληνιστῶν φθεγγομένων συγγραμμάτων ὁπωσιεῖν ἐπατεῖν, καὶ οὐ πάνυ τι τοῦ ἐρμηνέως δεῖσθαι.

Τοῦ δὲ πατρὸς ἐν λιπαρῷ τῷ γήρᾳ τὸν βίον καταστρέψαντος, καὶ τὴν ἀναγκαίαν εἰσφορὰν τῇ φύσει λειτουργήσαντος, ἐπειδὴ πολλὰ ἦν τὰ τὸν ἡμέτερον νοῦν ὀρυβοῦντα, καὶ τῆς ἐρωμένης μοι φιλομαθείας πρὸς βίαν ἀποσπῶντα, οὐκ ἤνεγκα τυραννοῦμενος, καὶ τῶν κοσμικῶν πραγμάτων ἐν μέσῳ στρεφόμενος. Διὰ τοῦτο πάντας τοὺς ἀπὸ γένους μοι ὄντας λαθῶν, ὡς εἶχον τάχους, εἰς τὴν Ἀθηνῶνα φυγὰς ὤχόμην. Ἐκεῖ δὲ μακρὰ τινι νόσῳ προσπαλαίσας, καὶ τέλος αὐτὴν καταπαλαίσας, τοῖς βιβλίοις προσεχείμην, καὶ ἐπὶ μαθήσει λόγων ἐμαυτὸν τοῖς πόνοις κατέτρυχον.

Ἐν τούτοις δὲ ὄντι μοι, καὶ τῶν λόγων φιλοτιμίας ἀντιποιουμένῳ, ἀγαθῇ τινι τύχῃ ἐγνωρίσθη Πέτρος ὁ Γαλισαρδός, τῶν ἐκεῖ θεολογούντων ὁ κορυφαῖος, οὗ τὴν φίλιαν ἐν τῆς ἐμῆς εὐδαιμονίας μέρει τιθεὶς οὐ παύσομαι. Μὴ γὰρ πῶποτε γένοιτό με οὕτω μαίνεσθαι, ὥστε τῆς τιμῆς ἐκεῖνης κεφαλῆς ἀμνημονεῖν, καὶ ἐπιλανθάνεσθαι ὧν πρὸς αὐτοῦ εἰ πέπονθα. Οὗτος γὰρ πλανωμένην μου τὴν φιλοπορίαν, καὶ ἀτάκτως φερομένην εἰς εὐθείαν ὁδὸν καὶ ἀνήγαγε, καὶ, εἰ μὴ μέγα μοι τὸ τοῦ Αἰσχύλου εἰπεῖν, νήπιον ὄντα

A expeditumque, una tantum excepta legum disciplina, cum ad eam ineptus ab eaque alienus essem omnino, ipsique frustra duorum annorum labores impendissem. Sed repugnavit ex parentibus quidam: ideo cedere, mihi que molestissimas leges iterum salutare coactus sum et amplecti; quod ultimam non fecissem

Etenim remotis studiis in quæ propensior insoles, ut ipsi contrariis attenderem, Aureliæ septem et decem menses incassum perdidit, cum coætaneis simul insaniens, et, ut paucis dicam, ludi tantum flagrans amore, voluptatibusque corporis involutus. Hæc audit pater: statim qua decreverat ut invitum me rursus ad jurisprudentiam compelleret damnat sententiam, jubetque quam primum ad se reverti, ut effrenatas effusasque in omne petulantia genus tandem meas coerceat cupiditates, et velut quibusdam vinculis constringat.

His permotus excutior velut e gravi somno: mox infeliciter tritum tempus animo volvens, omnemque reputans nugis deditam juventutem, alto premor dolore, in gratiam redire cum litteris instituo easque colere. Nec mora: diu noctuque cum libris conversatus, et ad laborem sine intermissione memetipsum exacuens, brevi nonnullos litterarum fructus collegi. Quod autem dicit proverbium: Studio et opera facile omnia comparari possunt, illud verum esse cognovi ex Italica et maxime ex Græca lingua. Hanc quippe mortuam prorsus mersamque oblivionis profundo plurimis laboribus, Deo solo juvante, revocavi scivique quantum sane mihi opus erat ut Græcos auctores quomodocumque intelligerem et sine interpretis auxilio.

Porro cum pater in bona senectute vitæ finem implevisset, necessariumque solvisset naturæ tributum, eorum quæ mihi sæpius obstrepabant, et per vim allevabant mentem a familiari discendi cupiditate, non tuli tyrannidem, nec temporalium negotiorum quæ latus mihi cingebant molestiam. Ea propter, insciis omnibus cognatis, ut potui celerime, Avenionem profectus sum. Illic diuturno quodam cum morbo decertavi; quo tandem superato, impallui libris assiduus, invictusque vires exhausit labor.

Eo res devenerant: litteras autem appetens enixæ, benigna quadam fortuna consuetudinem junxi cum civitatis illius theologorum principe Petro Galisardo, cujus amicitiam in numerum eorum quæ felicitatem mihi pepererunt referre non desinam. Ea enim procul a me semper insipientia, ut honorandi illius viri obliviscar, et ex animo meo beneficiorum quibus me cumulavit excidat memoria. Nam in studiis ipse me vagantem inordinate reduxit in viam rectam; et, si mihi fas est illud

usurpare, ex stulto et imprudente prudentem reddidit et mentis compotem. Tanta erat illius in me humanitas, ut sæpe, depositis quæ habebat in manibus, mihi daret operam, et quæ utilitati meæ conducere suis ipsius studiis præponeret. Invisibam igitur eum quantum et quotiescunque mihi libebat, majoremque diei partem cum eo ducebam, plurimis variisque ditior semper eruditionibus.

Ille quidem, vir omni doctrina propemodum excultus, multa libenter, libentius vero rhetoricæ doctus rhetoricam me docebat. Ut autem a theologia, cujus erat arbiter, omnino non recederet, artis oratoricæ præcepta, de quibus inter nos colloquium, inspicienda monstrabat in interpretibus sacræ Scripturæ et iis qui pia orationis argumenta instituerunt. Hæc eadem laudabat indicabatque in aliis omnibus qui sermonis virtute et elegantia nomen sibi compararunt, at præcipue in Gregorio Nazianzeno cujus in dicendo eloquentiam et sublimitatem maxime mirabatur. Ipsi tamen operum Gregorii lectio molestiæ non nihil creabat. Eum enim dolore multum afficiebat obscuritate referta interpretatio, quæ pluribus in locis vitiosa, instar nulis cujusdam, offundebat viro doctissimo tenebras, et non solum facundiam ejus, sed scriptorum etiam sensum obnubilabat. Quandoque igitur librum indignabundus projiciebat in pavementum; quandoque etiam a me postulabat ut quæ obscura videbantur accuratius dilucidiusque redderem et explanarem. Denique cum omnis ei stomachum moveret versio, me rogabat ut secundam manum adjicerem Gregorio, et illud onus humeris imponerem, publicæ prospiciens utilitati. Ast ego meæ partim conscius imbecillitatis, quam ipse pro nimia in me benevolentia non persenserat, partim operis arduum metuens fugiensque, mente cæterum rebus aliis tunc intentus, nequaquam potui precibus flecti; sed quæ sæmel proposueram consertisque tenebam manibus, in his perstiti tenax. Illic igitur non modico tempore transacto domum me recepi.

Multis postea diversisque percussus vulneribus, simul ut remissionem quamdam et otium impetravi a Dei clementia, dimisi quæ mihi amœniora erant et arridebant magis, ad opus memet admovi deficiente meliori interprete, et in illud summa cum alacritate et diligentia incubui. Sed non multo post cognovi me miserum viribus impar onus suscepisse: hinc mihi succensebam quod illud tractare non reformidassem. Etenim mihi primum, velut e portu solventi, serena omnia tranquillaque videbantur, ita ut et mihi de incepto gratularer: at longius abductum tanta me tempestas tamque gravis jactavit procella, ut vicinum immineret naufragium. Et certe perissem submersus, nisi emendati quidam augustissimæ reginæ libri jam fluctibus abreptum reduxissent. Ubi adjutores mihi venere, tum secare undas, multis quidem cum sudoribus, et pelagus interpretationis trajicere.

Α τὸ πρῶτον, ἔνουν ἐθῆκε, καὶ φρενῶν ἐπίβολον. Τοσοῦτον γὰρ ἦν αὐτῷ τὸ περιὸν τῆς εἰς ἐμὲ φιλανθρωπίας, ὥστε καὶ τῶν ἐν χερσὶ πολλὰκις ἀφέμενον, ἐμοὶ σχολάζειν, καὶ πλείονα τῆς ἐμῆς ὠφελείας ἢ τῆς ἑαυτοῦ πραγματείας λόγον ποιήσασθαι. Χρῶμενος οὖν τάνδρῃ ὅσα καὶ ὁσάκις βουλομένη μοι ἦν, τὸ πολὺ τῆς ἡμέρας μετ' αὐτοῦ ἤμην, ἀεὶ τι κατὰ παιδείαν ἐμπορευόμενος.

Β Ὁ δὲ καὶ πολλὰ μὲν ἄλλα ἀσμένως ἐμοὶ παρεδίδου (πάσης γὰρ παιδείουσεως εἰς αὐτὴν σχεδὸν ἐφθάκει τὴν ἀκρότητα) ἀσμενέστερον δὲ τὴν ῥητορικὴν ἐδίδασκεν, ἧς πλείστην εἶχε τὴν ἐμπειρίαν. Ἴνα δὲ μὴ πάμπαν, ἧς ἐπέστρευεν, ἀποσταίη τῆς θεολογίας, τὰ τῆς τέχνης παραγγέλματα κινούμενα θεωρεῖν παρεῖχεν ἐν τοῖς τῆς ἱερᾶς Γραφῆς ἐξηγηταῖς, καὶ εὐσεβεῖς τῶν λόγων ὑποθέσεις ἐνοστησαμένοις. Ἐποίει δὲ τοῦτο καὶ ἐν πᾶσι μὲν ἄλλοις τοῖς ἐπὶ λόγων δυνάμει καὶ καλλιφωνίᾳ εὐδοκίμοῦσιν, ἐξαιρέτως δὲ ἐν τῷ Ναζιανζηνῷ Γρηγορίῳ. οὗ τὴν περὶ τὸ λέγειν δεινότητα καὶ ὑψηγορίαν διαφερόντως θαύμαζεν. Οὐ μὴν ἀμιγῆς ἀηδίας παντελῶς ἦν αὐτῷ τῶν τούτου συνταγμάτων ἢ ἀνάγνωσις. Ἐλύπει γὰρ αὐτὸν οὐ μετρίως ἢ μετὰ φρασὶς ἀσαφείας ἀνάπλευς οὔσα, καὶ ἐν πολλοῖς ἐσφαλμένη, νεφέλης τινὸς δίκην ἐλλογιμωτάτῳ ἀνδρὶ ἐπιπροσθῦσα, καὶ οὐχὶ τὴν εὐέπειαν αὐτοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν νοῦν τῶν γεγραμμένων συγκαλύπτουσα. Διὸ καὶ ἀγανακτῶν, ποτὲ μὲν καὶ αὐτὴν τὴν βίβλον εἰς τοῦδαφος ἀπέβριπτε, ποτὲ δὲ μετὰ σκοτεινῶς ἔχειν δοκοῦντα τρανώτερον ἐξηγεῖσθαι καὶ διασαφηνίζειν ἐκέλευε. τέλος δὲ καὶ πρὸς ὅλην τὴν μετὰ φρασιν δυσχεράνας, παρεκάλει με χεῖρα δευτέραν ἐπάγειν τῷ Γρηγορίῳ, καὶ τοῦ κοινῆ συμφέροντος χάριν τότε τὸ ἀχθος ἐπ' ὤμων ἄρασθαι. Ἐγὼ δὲ, πῆ μὲν πρὸς τὴν ἐμὴν ἀσθένειαν ἀφορῶν, ἦν αὐτὸς διὰ τὸ πρὸς μὲ φίλτρον οὐκ ἐσείδε, πῆ δὲ τὸ τοῦ ἔργου δυσχερὲς εὐλαδοῦμενος, καὶ ἄμα πρὸς ἄλλοις ἔγων τότε τὸν νοῦν, πρὸς τὴν αἰτησιν οὐκ ἐκάμθη. ἀλλ' οἷς ἅπας προειλόμην ἐνεκαρτέρησα, τῶν ἐν χερσὶν ἀπρὶξ ἐχόμενος· συχνοῦ δὲ χρόνου ἐκεῖ διεληλυθότος ἐπανῶν οἶκαδε.

Γ Πολλὰς τε καὶ ποικίλας παρὰ τοῦ καιροῦ προσβολαῖς πληγῆς, ἐπειδὴ ἀνέσειώς τινος καὶ σχολῆς παρὰ τοῦ φιλανθρώπου Θεοῦ τυχῶν, τῶν προὔργιατέρων ἀπηλλάγην, τηνικαῦτα δὴ κατὰ βελτίονος ἐρμηνέως ἐρημίαν τὸ ἔργον ἐπεθαλόμην, καὶ μετὰ πάσης προθυμίας ἐπὶ τούτῳ ἐπέκυψα. Μετ' οὐ πολὺ δὲ ἠσθόμην ἄθλιος, μεῖζον ἢ κατὰ μὲ φορτίον ἀράμενος, καὶ πολλὰ ἑμαυτὸν τῆς τολμηρᾶς ταύτης ἐγχειρήσεως κατεμεμψάμην· καὶ γὰρ τοι τι μὲν πρῶτον ὡσπερ ἐκ λιμένος ἀνάγοντί μοι εὐδία πάντα καὶ γαλήνης μεστὰ ἐφαίνετο, ὥστε καὶ τοῦ ἐγχειρήματος ἑμαυτῷ συνῆδεσθαι· πορρωτέρω δὲ προϊόντα με τοσοῦτος χειμῶν καὶ οὕτω δεινὴ ζάλη κατέλαβεν, ὥστε καὶ μικρὸν ἀπέλειπον τοῦ μὴ καταδύεσθαι. Καὶ πάντως ἂν καταδύομαι εἶδον, εἰ μὴ ἐπληρωμένα τινα τῆς πάνυ βασιλίσσης βιβλία καθ' ὑδάτων ἦδη φερόμενον ἐπεκούφισαν· ὑφ' ὧν βοηθούμενος, τοῦ κλύδωνος μόγις ὑπερῆρα, καὶ τὸ τῆσδε τῆς μεταφράσεως πέλαγος διεπέρασα.

Πολλοῦ δ' ἂν ἐτιμησάμην εὐρεῖν τινα τῶν τυπο- A
 γραφούντων, ὅστις ἅμα τῷ Ῥωμαίῳ καὶ τὸν Ἑλ-
 ληνικὸν Γρηγόριον ἐκτυποῦν ἐβούλετο, ἵνα τῶν ἐπ-
 ανορθώσεων ἐκεῖνων, ἃς ἐκ τῶν τῆς βασιλείας ἀντι-
 γράφων ἔλαβον, αὐτῷ μεταδοίην. Ἐπεὶ δὲ τοιοῦτω
 τινὶ ἐντυχεῖν οὐκ ἐξεγένετό μοι, ὃ λοιπὸν ἐστὶ, τὸν
 Ῥωμαῖον ἐκδίδομι, εἰ μὲν πρὸς τὴν τοῦ Γρηγορίου
 λογιώτητα καὶ μεγαλοφωνίαν παραμετροῖτο, παραβ-
 ριφθησόμενον, εὖ οἶδα, ὡς οὐδενὸς ἄξιον· εἰ δὲ πρὸς
 τὴν ἡμετέραν δύναμιν, οὐ μικρὸν ἰσως φανησόμενον.
 Ἐπεικῶν δὲ ἀνθρώπων ἐστὶ τὸ κατὰ δύναμιν ἀπαι-
 τεῖν, καὶ μηδὲν πῶρρον ἐπιζητεῖν. Ἐρρωσθε, ὦ φίλοι
 κεφαλαί, καὶ πρὸς τὴν ὀποιοῦν ἐργασίαν ἡμῶν
 εὐγνωμονεῖτε.

Mirum porro me tenuit desiderium typographi
 qui una cum versione prelo subficere vellet textum
 Gregorii Græcum, ut illas ipsi traderem quas erue-
 ram e reginæ exemplaribus emendationes. At voti
 minime compos, diligenter quæsitum non offendi :
 quod igitur superest, interpretationem Latinam
 emitto. Si perpendatur ad facundiam Gregorii et
 elocutionis dignitatem, nullus dubito quin repu-
 dietur, ut nullius pretii; si vero exigatur ad virium
 nostrarum modulum, non contemnenda fortasse
 videbitur. Vir bonus id exigit quod viribus respon-
 det, nihil ultra. Valet, amici, et qualiscunque
 nostri laboris memores vos gratosque præbeate.

JOANNIS LEUVENKLAII

*Ad reverendissimum et illustrissimum Principem D. Joannem, Monasteriensium, Osnabru-
 giorum et Paderboniorum antistitem, nobilissima comitum Hoianorum gente natum,
 dominum suum clementissimum, in Gregorii Nazianzeni editionem suam.*

PROCEMIUM.

Inter alia, quæ primis ab annis supra res cæte- B
 ras animo meo fuerunt in deliciis et amoribus,
 reverendissime ac illustrissime Princeps, semper
 occulta quadam et incredibili naturæ propensione
 tam litterarum, quam antiquitatis Græcæ studiosum
 me fuisse fateor : qua quidem lingua omnis generis
 doctrinarum, et sapientiæ thesaurus amplissimos
 contineri animadverterem. Hac usos tum priscos
 illos philosophos, tum recentiores eorum interpre-
 tes, qui se scholæ Platonice successores Athenis
 appellabant, quidquid de arte disserendi, de orato-
 ria, de civili prudentia, de moribus, de natura
 rerum, de geometricis astronomicisque disciplinis
 tradi potest, litterarum monumentis complexos esse
 videbam : hac maximarum per orbem gestarum
 rerum historias comprehendere : hac artis medicinæ C
 arcana memoriæ prodi : hac illustrium Ecclesiæ
 veteris hominum de sacris rebus accuratissimas
 disputationes esse expositas : in hanc denique juris
 etiam civilis, quo utimur, libros ita transcriptos
 esse, ut multa loca, cæteroque obscurissima, sin-
 gulare quoddam ex interpretatione Græcorum lumen
 accipiant. Quod sane postremum, tametsi de libris
 quibusdam hactenus editis perspicere satis possit; ta-
 men longe planius apparebit, ubi Lx librorum Βασι-
 λικῶν epitome locupletissima, quam a clarissimo
 viro, Joanne Sambueo, Cæsareæ familiæ domestico,
 homine mihi amicissimo nactus sum, in lucem opera
 nostra prodierit.

Hæc ego posteaquam Græcis contineri litteris per
 ætatem intelligere cœpi, sic ejus me linguæ studio
 dedi, nullam ut tempus abire cernerem, quo non
 aliquos in ea percipienda progressus facerem. Ista
 qualiquali diligentia mea cum tandem usum ejus

aliquem, aliorum quoque judicio, consecutus vide-
 rer : liberali quodam animi desiderio, et ambitiose
 honesta (fatebor enim quod res est) excitatus, in
 hoc totis viribus incumbendum duxi, ut si qui vete-
 rum Græcorum libri vel Latinam in linguam hacte-
 nus conversi non essent, vel in bibliothecarum
 tenebris delitescerent necdum lucis usuram acce-
 pissent, meo studio tum Latinam vestem induerent,
 tum ea exornati publice hominum oculis sese
 spectandos exhiberent. Hoc modo consecuturum
 me sperabam, ut non ignavæ pecudis in morem
 vitam hanc transirem, sed emolumentum aliquid affer-
 rem rei litterariæ, quam a puero meorum auctori-
 tate jussuque coluissem; et apud bonos optabilem
 mihi nominis existimationem pararem.

Itaque meum hoc institutum ut eo feliciter urge-
 rem, in hanc clarissimam urbem me contuli, quæ
 ob insignium typographorum officinas, non in Ger-
 mania modo nostra, sed omni etiam Europa longe
 lateque merito celebratur. Hic dum publicandis
 egregiis quibusdam priscorum monumentis invigilo,
 annus jam mihi quintus agitur (quo publica rei
 fructu nescio), non sine meis laboribus ærum-
 nisque maximis, quæ hactenus mihi cum aliquo
 nonnunquam valetudinis detrimento sunt exantlatæ.
 Inter alios autem scriptores, quos certo judicio
 delectos librorum non editorum accessione ampli-
 ficandos, et in sermonem Latinum transcribendos
 existimavi, facile principem sibi locum Gregorius
 hic noster vindicat, cui ob summam rerum divina-
 rum peritiam, secundum Joannem apostolum ex
 priscis doctoribus soli, Theologi cognomentum pecu-
 liariter est concessum. Ejus præclarissima ingenii
 monumenta, quæ quidem typis expressâ prodie-

raat, quia miserum in modum ab interprete sic tractata videbam, ut exiguo cum hominum fructu (ne quid gravius dicam), cæteroque longe utilissima, læctitarentur: cœpi tandem hortantibus amicis, qui tanti viri tam barbæ garrientis apud nos vicem dolerent, ad ejus interpretationem animum adjicere. Factum hoc est ante totos quatuor annos, id quod et Guillelmi Canteri, et Martini Crusii, clarissimorum virorum, ac plerorumque hujus academix doctorum testimoniis ostendere possum.

Cum autem id omnino facere cum animo meo constituiissem, ita mihi elaborandum hoc opus existimabam, ut et legentum exspectationi satisfaceret, et sui auctoris libros illos quoque secum in medium proferret, qui alicubi bibliothecarum adhuc carceribus clausi continerentur. Ad hanc rem perfiendam temporis aliquod spatium fuisse necessarium, perspicere facile abs quovis potest. Interim in Galliis vir doctissimus, Jacobus Billius, archimandrita Michaelinus, itidem uti nos, Gregorii sortem acerbam miseratus, eundem exornandi ejus scripta laborem, et quidem eodem mecum tempore suscipit. De hoc cum ex Canteri nostri litteris certior factus essem, eisi jam complures orationes Latine descripsissem, tamen de tabula (quod aiunt) manum tollere cogitabam, quod gauderem alterius labore scriptorem illum, qui aliam in linguam traduci se perinvite pateretur, in hominum manus pervenire. Nec deerant alia quædam scripta, de quibus certam mihi laureolam polliceri possem, præsertim antehac prorsus ignotis, et tamen apprimè utilibus.

Verum ubi deinceps edito labore Billii, satis cernerem, quam multa prius non visa, quibus ipse caruisset, hinc inde congeasissem; minime committendum putavi, ut viri boni ac Nazianzeni amantes egregio thesauro fraudarentur. Feci hoc eo quoque lubentius, quod Eliæ Cretensis archiepiscopi commentariorum in Nazianzenum libros XIX nactus, illis ipsis ducibus ad eruendos abstrusos in plerisque locis Nazianzeni sensus uti me posse magna cum utilitate viderem. Nec præterea parum erat, habere tot egregia Nazianzeni scriptorum exemplaria, pluribus ante sæculis manu exarata. Nam ut dem Billium etiam de bibliotheca reginx suæ libros vetustissimos accepisse, quemadmodum res ipsa docet: tamen longe nos integrioribus usos esse, vel inde perspicias licet, quod non solum ea, quæ Billius notat, in nostris reperiantur; verum etiam bene longæ periodi passim in versione Billiana desiderantur, quas exemplaria nostra suppeditant. Patebit hoc de Annotationibus nostris in Nazianzenum, quas sub tertii tomi finem lectori daturi sumus.

Inter alia vero exemplaria, quibus sumus usi, duo præcipue celebrari merentur. Eorum alterum scriptum est manu Choniatae Acominati ante aliquot sæcula, ejus qui imperatorum Byzantinorum res gestas compluribus libris est complexus, quos

A Hieronymus Wolfius, vir clarissimus, Græcæ et Latine ex interpretatione sua publicavit. In eo me minime falli, duobus argumentis docere possum. Primum ipse Choniatas quodam loco versiculum hunc ascripsit:

Θεοῦ τὸ δῶρον, καὶ πόνος Χωνιάτου.

Quo versu indicari, rem quidem ipsam Dei donum esse, verum scriptionis laborem Choniatae deberi, quivis animadvertere potest. Deinde sparsim more suo quædam epigrammata, senariis iambicis facta, Nazianzeni orationibus præstixit: quod ipsum in sua quoque fecit historia, sicut editio Wolfiana demonstrat. Ea nos Latine exposita suis locis inseruimus, in annotationibus Græca daturi, de quibus agnoscere Choniatas plane poterit. In eodem libro extremo fragmentum publicarum litterarum cernitur, quibus manu sua Joannes Cantacuzenus imperator rubrica, pro more, subscripsit, sequentibus etiam longa serie subscriptionibus antistitum: Callisti, patriarchæ Byzantini; Philothei Heracliensis, qui se *πρόεδρος τῶν ὑπερέμων* appellat, et πάσης *Θράκης καὶ Μακεδονίας ἐξάρχου* Gregorii Thessalonicensis, ἐξάρχου πάσης *Θεσσαλίας* Macarii Philadelphensis, ἐξάρχου πάσης *Λυδίας*, qui se etiam *καθολικὸν κριτὴν τῶν Ῥωμαίων* nuncupat: multorum denique aliorum, quorum nomina titulosque referre prolixum fuerit.

C Alterum autem exemplar longe hoc etiam videtur antiquius. Litterarum quidem elegantia multis modis præstat, cui plane respondet scriptionis integritas: etenim tanta exaratum est diligentia, nullum ut verbum in eo perperam scriptum reperitur. Ejus utendi potestas a Basiliensis academix doctoribus, viris et eruditione summa, et humanitate eximia præstantibus, quorum exstat in bibliotheca publica, benigne mihi facta est. Constat ante annos CL, tempore concilii Basiliensis huc allatum esse, ac deinceps magna veneratione asservatum. Interspersæ sunt passim picturæ quædam, quibus Græcorum vestitus et habitus eleganter exprimitur. Eodem imago Gregorii continetur, ita prorsus efficta, quemadmodum ejus tum faciei lineamenta, tum aliorum membrorum formam Simeon ille Metaphrastes descripsit, cujus verba Vitæ Nazianzeni subjecta sequentur. His ergo nos exemplaribus freti, et depravata plurima correximus, et mutila integritati suæ restituimus.

De Eliæ commentariis aliud nihil dicam, nisi opus ipsum bonitatem suam abunde demonstraturum. Fuit certe vir ille, quandocunque tandem vixit (nihil enim de hoc nobis constat), maximus et philosophus et theologus, qui omnium philosophorum, poetarum, oratorum, historicorum, aliorumque libros diligentissime lectitarat, tam veteres quam novos, præsertim Platonicos, Porphyrium, Iamblichum, Proclum, cæteros: id quod facile de thesinum communium, quam multis locis pulcherrimas et præclara doctrina refertas inseruit, tractatione deprehendi potest. Nihil commentario in ora-

tionem *De recta disserendi de Deo ratione*, quam nos in ordine secundam fecimus, legi perfectius eruditiusve potest. Et scripsit omnia phrasi sane pereleganti, munda, minime barbara, cujusmodi est Græcorum, qui proximis sæculis vixerunt, oratio : de quo licet æstimare, non usque adeo recentem Eliam hunc nostrum esse, sed ante pluscula sane sæcula vixisse.

Faciet ipsius commentariorum lectionem id quoque jucundiorē, quod eis fragmenta quædam scriptorum veterum contineantur, quorum nos hodie libros integros non habemus. Inter alios est summus ille Maximus, cujus Lutetiæ publicatus est in Dionysii scripta commentarius. Exstat ejusdem apud Græcos adhuc τῆς θείας λειτουργίας ἐρμηνεία. Liber ad Thalassium, ab eodem scriptus, a Micaelo Glyca citatur, cujus Annales necdum editos hoc tempore interpretamur : itemque κατήχησις, et θείων δογμάτων κεφάλαια, cujus libri noster Elias quoque meminit. Multis etiam in locis Elias indicat, se alias quoque Nazianzeni orationes perpetuis commentariis enarrasse. Quapropter et Nicetas Serronius, et Gregorius Palamas, et alii bucula hujus arasse videri possunt ; furta quidem esse facta, multis locis deprehendi potest. Citat passim de Nazianzeni poematis versus quosdam, qui cum in editis prorsum non exstarent, nos ad manuscriptos poematum libros nostros recurrentes, universos reperimus : id quod divino beneficio factum crediderim, ut quo tempore Nazianzeni opera illa nactus essem, ne quis ea ipsius esse inficiaretur, hominis certi testimonio commode uti possem. Consimile quiddam in Cæsario, Nazianzeni germano fratre, mihi usuvenit. Eum ante quatuor annos divina mihi largitas obtulit ; cumque de scripto nonnihil dubitarem, propterea quod Cæsarium aulicis negotiis et quæstorio munere occupatum, matureque rebus humanis exemptum fuisse, de Gregorii fratris oratione funebri accepissem : ecce superiori anno testem Glycam invenio, qui de illis ipsis Cæsarii dialogis, quos nunc primum Gregorii nostri monumentis tomo tertio subjicimus, ad verbum nonnulla citat.

Quod si hoc quoque addendum est de Elia, equidem existimo vixisse id temporis hominem, cum Creta per Sarracenos occupata, et Byzantinis imperatoribus esset adempta, nimirum annis ab ævo nostro plus minus sexcentis. Scribit enim in præmio commentariis præmisso, ab se in exsilio scriptum hoc elaboratum fuisse, quod exsiliū sane in hos ipsos annos sævitæ Sarracenicæ incidere videtur.

Tot talibusque scriptis cum sic et expoliri et augeri posse Nazianzeni libros videremus, parum ut ab illa perfectione, quam in editionibus priscorum monumentorum requirimus, abessent : Billiano labore non contenti, pristinum ad institutum de integro animum adjecimus. Ne vero quispiam id, quod de operum Nazianzeni perfectione pollicemur,

A temere vaneque dici, more nunc pervulgato, quo emptoribus imponatur, existimet : libet hoc loco pauca quædam subjicere, de quibus et vere nos id prædicare lector intelligat, et editionis nostræ rationem perspiciat.

Statim ab initio præmii sui tradit Elias, ab Nazianzeno tantum orationes sive commentationes (nam vox λόγος generatim a veteribus usurpatur, de quovis scripto atque tractatu) numero LII esse publicatas, quas inter et epistolæ certæ referri debeant, cujus generis illæ sunt, quas ad Nectarium, Evagrium, Cledonium perscripsit. Hoc Eliæ dictum cum animo meo insedisset altius, primum ea me liberari opinione animadverti, quam Billium secutum fuisse video. Putat enim Gregorium haud dubie plures ad populum ejus generis orationes habitas edidisse, cujus est illa, qua dictum Christi ex Evangelio Mathæi explanat. Quod si verum esset, perquirendæ nobis essent bibliothecæ, ut eas orationes, si non omnes, saltem plerasque publici usus causa proferremus. At hoc toto labore molestiaque me verbum hoc unicum Eliæ levat, cui qui fidem detrahat, arbitror fore neminem.

Hoc primum considerato, cæpi deinceps aciem animi mei dirigere ad faciendum de orationibus iis, quotquot exstarent, Judicium : quo viderem, essentne germani fetus hujus auctoris omnes, an sub ejus nomine suppositiū quidpiam latitaret. In hac censura deprehendo, duobus in scriptis ante me Billium id animadvertisse, quod res est, nimirum ea Nazianzeno tribui nequaquam debere ; in tertio tam ipsum, quam cæteros omnes hactenus allucinatos fuisse. Priora duo sunt, metaphrasis in *Ecclesiastem*, quæ Hieronymi testimonio Gregorii Neocæsariensis est ; et annotatio in *Ezechielum* vatem, quæ tantum abest, ut Nazianzeni sit, vix ut homini mediocriter docto tribui debeat. Metaphrasin retinendam propterea putabamus, quod Eliam crederemus communi fortassis errore ductum, inter Gregorii libros eam numerasse : quod si maxime verum sit, mirum nemini videri debet, quando vix mortuo Gregorio titulus orationis in *Heronem* mutatus fuit, ut Hieronymus, Gregorii coætaneus, monet. Quod si hac ratione lectori non satisfaciemus, restat ut polliceamur, omni nos studio genuinum Gregorii scriptum pervestigaturos, quod hujus loco substituat. Annotationem in *Ezechielum* prorsus ex editione nostra, seu spuriam, ejiciendam statuebamus : cujus locum ut germanum aliquod Gregorii scriptum occuparet, libros veteres diligenter evolvendo, tandem id quod optabamus, adepti sumus. Nam in libro Choniatae manu exarato panegyricam Gregorii orationem, habitam in honorem testium veritatis, Arianorumque furorem graphicè describentem, reperimus : quam extra dubitationem omnem hujus auctoris esse, tum dicendi character, tum rerum ipsarum facies ostendit.

Tertium denique scriptum illud, cujus modo mentionem feci, est *Exhortatio ad virginem*. Hoc

inter orationes hactenus relatum est, et Nazianzeno A tributum : quorum alteri parum repugnans, alterum plane perperam factum aio. Nam si quidem est aliqua rhythmorum ratio, quam Aurelius Augustinus in libro *De musica* tradit, et vero consentaneum est priscis in usu fuisse, facientibus ejus mentionem tum Aristotele, tum Athenæo, et aliis, dabo equidem Nazianzeni hoc scriptum esse, quemadmodum et Choniatas credidit, et exemplaria vetustissima testantur : verum haudquaquam inter orationes, sed poemata referri debere volo. Nam totum meris rhythmis constat, uti res ipsa declarat :

Παρθένε σύμφη Χριστοῦ,
Δόξαζέ σου τὸν νυμφίον·
Ἄει κάθαιρε σαυτὴν
Ἐν λόγῳ καὶ σοφίᾳ, etc.

Quod quidem apud nos a nemine deprehensum hactenus, in antiquissimo libro poematum Nazianzeni meo notatum paucis verbis inveni, quæ Latine proferam : « In hoc scripto Syrracusium Gregorius imitatur, qui solus poetarum rhythmis atque colis usus est, omni alia scribendorum versuum poetica ratione neglecta. » Error ex ambiguitate vocis λόγος, quæ passim in librorum lemmatis reperitur, ortus est. Nam ea non orationem tantum significat, uti jam antea quoque monuimus : sed in genere quamvis commentationem atque scriptum. Quo ipso fit, ut Elias noster Gregorii poemata λόγους ἐμμέτρους vocet. Hoc modo quibusdam resectis, et oratione *De martyribus* restituta, quinquaginta et duos Nazianzeni tractatus habemus, quem illorum esse numerum integrum, Elias memoriæ prodidit. Quapropter hic quidem quod amplius desideremus, nihil est.

Sequuntur epistolæ, quas una tantum adjecta de libris manu scriptis auximus : addituri aliquando plures, quas hoc tempore nancisci non potuimus, tametsi non ignoremus, ubi locorum supersint. Poemata vero tantopere nunc studio nostro excresecunt, ut jam prodeuntia prius editorum magnitudinem numero versuum æquent, bonitate pietateque longe superent. Unus restat adversus Apollinari-um liber, versibus a Gregorio scriptus, quem adhuc Romæ in Vaticana bibliotheca exstantem ut describi curaremus, jampridem operam dedimus, D sumptum etiam aliquem impensuri, sed frustra. Quapropter hoc scriptum alio tempore perquiretur a nobis, in Italiam (si Deo visum fuerit) iter suscipientibus. Nam in eadem Vaticana tractatus Gregorii duos extremos, quorum alter est de fide, alter de fide Nicæna, superesse Græce accepimus : quos modo Latine tantum a Rufino conversos legimus.

De hac commemoratione nostra lector intelligere potest, non esse abs re, quod hanc editionem quam proxime ad operum Gregorii perfectionem accedere diximus. Ea vero tres omnino in tomos distribuere certis de causis visum est, quorum primus orationes xx cum Elianis commentariis continet, totusque nostræ debetur industriæ, qui eum do

Græco in Latinum sermonem transcripsimus. Alter reliquas xxxii orationes cum epistolis et poematis hactenus editis complectitur : quæ quidem omnia de editione Billiana sumpsimus, ne prius versa retexendo, actum agere videremur. In tertium et ultimum tomm, qui totus iidem noster est, ea Gregorii poemata referimus, quæ nunc primùm a nobis luce donantur : præterea Nicetæ commentarium in Gregorii sententias tam quaternis quam singulis versibus inclusas adjicimus, et egregium Pselli, Christiani philosophi, de difficultum Nazianzeni locorum intellectu librum. Accedit ad hos Cæsarius quoque, germanus Nazianzeni frater, cujus antehac nihil omnino scriptorum prodidit. Ejus Dialogos propterea potissimum Gregorii scriptis addendos putavi, quod in eis Cæsarius Gregorium fratrem a seipso, Leontio, Gregorio Nysseno, Domno, et aliis familiaribus interrogatum, de quæstionibus gravissimis toto quadriduo respondentem introduxit. Huic et Annotationes in Gregorii scripta, quibus lectionum varietas continetur, et Indicem necessarium subjicimus.

Cur autem in orationibus collocandis ordinem a Billio præscriptum secuti non simus, causæ multæ sunt, æque graves. Nam duum omnino generum sunt Nazianzeni orationes. Aliarum tempus, quo vel scriptæ sint, vel pronuntiatæ, sciri potest : aliarum non potest. Primi generis sunt, orationes *De pace, contra Maximum*, ad Basilium et patrem aliquot, purgatio fugæ in Pontum, pleræque laudationes funebres, et aliæ : secundi, orationes *ad Eunomianos, de recta disserendi de Deo ratione, De recta doctrinæ sententia, De Filio duæ, De Spiritu sancto, De moderata disserendi ratione, De Machabæis*, et aliæ complures. Quod cum ita sit, in collocationis serie temporis haberi ratio certa nequit : uti profecto ne a Billio quidem accurate habita est, si recto rem consideremus.

Nam ratione temporis (si quidem Eliæ Cretensi et Nicetæ Serronio credimus) esse prima debet, non ea qua fugam in Pontum suam prolixè purgat, sed altera, cujus inscriptio notat, habitam fuisse ad illos qui ipsum initio acciverant, nec postquam senioris munus ei commissum fuisset, venerant. Etenim ea pronuntiatæ fuit id temporis, quo primum sacerdos factus est ; ac secundum hanc actionem in Pontum aufugit, a qua fuga reversus, in Pascha et tarditatem orationem habuit (quæ hoc nomine secundum sibi locum vindicabit), illaque dicta, per otium fugæ Ponticæ purgationem conscripsit. Jam Billius et illam orationem, quæ pronuntiatæ est in electione Doarensium antistitis Eulalii, post eam collocavit, quæ in concilio cl. episcoporum est habita. Atqui prior dicta est vivo etiamnum Basilio, posterior eo jamdudum rebus humanis exempto. Funebris in *Basilium* oratio postrema fuit omnium, sive scriptionem, sive recitationem spectes, pronuntiatæ Cæsareæ Cappadocum in extrema senecta, cum relicta Constantinopoli Gregorius in

patriam reverteretur. Atqui hæc locum inter priores A invenit. E contrario duæ in *Julianum Augustum* in- vectivæ loco postremo ponuntur, quæ prius fuere scriptæ, quam vel Gregorius, vel Basilius antistitum munere fungi cœpissent.

Hæc mihi mecum expendenti visum fuit, primum iis orationibus in editione nostra locum tribuere, quas egregie noster Elias hactenus incognitus enar- rasset: atque illis deinceps alias subjicere, Billii labore Latina veste donatas. Hanc autem spatio non exigui temporis absolutam, et magno quidem cum labore lucubrationem, cur ad reverendissimam ex- celsitatem tuam potissimum mittam, illustrissime Princeps, variis ac gravibus sane rationibus mo- veor. Primum tam clari antistitis opera nemini rectius, quam claro iudem antistiti putabam offerri B debere. Deinde patronum mihi censoremque litteris excultum deligere volui, contra plerorumque mo- rem, qui lucubrationes suas hominibus plane litte- rarum imperitis inscribere non verentur.

Hoc vero consideranti, non occurrebat in toto nostræ nationis imperio quisquam virorum princi- pum, quem illustri præstantiæ tuæ præferreim. Etenim non eximia tantum doctrinæ laus omnium consensu tibi tribuitur: sed etiam plerisque per omnem Europam admirationem merentibus linguis sane quam eleganter uteris. Accedit ad hæc, quod ei regioni cum imperio potestateque præsis, e qua mihi avita patriæque origo ducitur. Summam enim tum potentiam, tum auctoritatem obtines in occi- C dua Saxoniam, quæ recenti appellatione Vestualia dicitur, cum vera sit ac vetus Saxoniam, quemadmo- dum Cranzius Saxo multoties in historiis suis in- culcat. Habes episcopatum Monasteriensem, a ma- joribus nostris Mimingrodensem appellatum, qui tertio loco in Saxoniam imperatoris Cæsaris Caroli Magni Augusti studio constitutus est. Ejus semper magna fuit dignitas, quæ vel inde potest æstimari, quod cum aliquando Bremonensis archiepiscopus hunc peteret, non prius impetravit, quam archie- piscopatum illi postponeret, et in commendam (uti superioribus annis barbare loquebantur) acciperet. Es autem huic optimo jure præfectus, vel ob insi- gnem sapientiam tuam, vel prisca nobilissimæ fa- miliaæ tuæ merita. Nam Otho Mimingrodensis antistites numero XII, comes Hoianus, agnatus tuus, Tekeneburgensi comite, aliisque domitis, qui Eccle- sia possessiones contra jus fasque invaserant, im- mortale nomen (ut ipsius historici verbis utar) apud suos reliquit, propter additas diocesi ditiones,

et auctoritatem ejus revocatam, quæ jam apud multos in contemptum pene venerat. Habes et di- tionem Paderæbornensem, in qua idem Carolus Magnus episcopatum, Saxonum gente devicta, con- stituit. Habes Osnabrugicam denique, primam omnium in Saxoniam sedem antistitum Christiano- rum, ejusdem imperatoris auctoritate munitam: in cujus immunitatibus, quæ privilegia vocant, quiddam merito memorandum ad omnem posterita- tem continetur.

Lubet autem ipsa Carolinæ constitutionis verba certis de causis hoc loco ponere, quæ hodieque publicis diplomatis inscripta supersunt. « Eidera episcopo, inquit Carolus ille Magnus imperator, ejusque successoribus libertatem perpetuam con- cedimus, et ab omni regali imperio absolutionem: nisi forte contingat, ut imperator Romanorum, et rex Græcorum, conjugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponant. Tunc enim Ecclesiæ illius episcopus cum sumptu a rege vel imperatore adhi- bito laborem simul et honorem illius legationis assumet. Et ea de causa statuimus, ut in eodem loco Græcæ Latinæque scholæ in perpetuum ordi- natione nostra maneant: nec unquam clericos utriusque linguæ gnaros defuturos confidimus. »

Hoc majorum instituto motus haud dubie supe- riori anno dominus noster, imperator Cæsar Maxi- milianus II Aug. filiam suam regum Christianorum maximo desponsam per te potissimum deduci voluit: quo quidem in munere obeundo magnam industriae prudentiæque laudem invenisti. Quod si recte rem æstimare velimus, majorem in iis locis potestatem a multis annis habuit nemo: quam quidem felici- tatem boni omnes eximia virtuti tuæ debitam fa- tentur, ac tibi gratulantur. Quorum in numero ut me quoque arbitreris esse, ac meam hanc velut acclamationem benigne accipias, etiam atque etiam rogo. Fortassis offerretur aliquando mihi occasio mei erga tuam excelsitatem animi venerationem illustriori quodam argumento declarandi. Interea summopere peto, ut studium in hoc genere publicis commodis serviendi, quod animo meo pluribus ab annis insi- det, non modo gratum habeas atque probes, uti sane facturum te confido: sed etiam favore tuo be- nignitateque magis excites, quam exhaustis gravi- bus molestiis experiri jucundum est. Vale, claris- sime Princeps, meque per hanc lucubrationem re- verendissimæ excelsitati tuæ se tradentem, in eorum numerum, quos gratia benevolentiaque tua digna- ..8, recipito.

ΕΙΣ ΓΡΗΓΟΡΙΟΝ ΤΟΝ ΝΑΖΙΑΝΖΗΝΟΝ
ΙΩ. Ο ΑΕΓΓΚΛΑΙΟΣ.

DE GREGORIO NAZIANZENO JOANNES LEUVENKLAUS.

Γρηγορίου λόγους, μέγα χρέμα καὶ Ἀττικοεργέες
Ἀτρεκέως, ἐν ἐμῆς ἡνίκα χερσὶν ἔχω.

Gregorii quoties Hyblæ redolentia nectar
In manibus verso scripta diserta meis: ;

Non me oratores fraude amplius illice præsci,
 Quos tulit argutos Attica terra, movent.
 Rursum Gregorii cum dia poemata vatis
 Pellego, Mæonidæ mox abit omnis amor.
 Vilius æs auro velut est; ut cedere plumbum
 Argento, ut superis inferiora, patet:
 Gregorius priscos palma sic vicit adempta
 Carminibus vates, rhetoras eloquio.

Aliud.

Tellus Cappadocum, quondam semibarbara,
 Superavit ipsas inde Athenas Atticas,
 Ubi Basilius et Gregorius doctissimi
 Suavisonam Cecropidarum eloquentiam,
 Et cuncta totius ornamenta Græciæ,
 Suae intulere, seu victores, patriæ.
 Quis te ergo non ob hos beatam prædicet,
 Tellus Cappadocum, talium virum parens

De Cæsario, ejusdem.

Nicæam terræ cum motæ succuteret vis,
 Cæsarius jacuit pondere pressus humi.
 Sed Deus e latebris saluum produxit, eique
 Vivendi spatium longius inde dedit.
 Consimilis casus monumenta excepit, obisset
 Postquam immaturo funere Cæsarius.
 Et tamen hæc etiam divino munere profert
 Cura Leontonychii, semisepulta prius.
 Salve iterum atque iterum, terræ bis operte cavernis,
 Et dono in lucem bis revocate Dei.

De Elia Cretensi antistite.

Ejusdem.

Gregorii obscuro scriptorum inquirere sensus
 Antea res magni plena laboris erat,
 Donec ab Elia lux illis est data, summa
 Gregorii explicuit qui monumenta fide.
 Hactenus ignotum toti quem scilicet orbi,
 Nunc iterum donat luce Leontonychus.
 Doctrinæ egregium thesaurum sumite grati,
 Quos bona, quos pariter plurima nosse juvat.
 Scipionis Carteromachi, interprete Leuvenklaiio.
 Inspirare animis divina poemata Musas,
 Vate magis Chio Gregorius docuit.
 Imo stabat huic potius diviniore aura,
 Deberet Musis cum sua Mæonides.

A Οὐ μάλα θαυμάζω τοὺς ῥήτορας, οὓς ποτ' Ἀθηνῶν
 Ἔσχε πόλις, δολερῆς Ἰθμονας εὐεπίης·
 Ὡς δ' ἀναγινώσκοντα ποιήματα Γρηγορίου
 Οὐκ ἐπέων τις ἔχει Μηρονίδαο πόθος.
 Χρυσὸς ὅσον χαλκοῖο, μολύβδου τ' ἀργυρος αὐθι·
 Κρείττων, οὐρανίων χεῖρονα τὰ χθόνια·
 ῥήτορες ἀρχαῖοι τόσον ἤττωνται καὶ αἰδοῖ
 Γρηγορίου τ' ἔπεισι, Γρηγορίου τε λόγους.

Ἄλλο.

Γῆ Καππάδοσσα τοπρὶν ἡμιδάρβαρος,
 Αὐτὰς ὑπερέβη τὰς Ἀθήνας Ἀττικὰς,
 Ἐξ οὗ Βασίλειος Γρηγόριός τε τῷ σῶφῳ
 Τὴν ἠδύφθογον Κεκροπιδῶν εὐγλωττίαν
 Πάσης μετήνεγκάν τε κόσμον Ἑλλάδος
 Εἰς Καππάδοσσαν γαῖαν, ὡς νικηφόροι.
 B Τίς οὐ μακαρίσειέ σε γὰρ εὐτεκνίας,
 Γῆ Καππάδοσσα, μητὲρ ἀνδρῶν κυδέμων;
 Εἰς τὸν Καισάριον; τοῦ αὐτοῦ.
 Ἦνίκα Νικαίης μεγάλῳ σεισμῷ πτολιέθρον
 Κάππεσε, Καισάριος ζῶν ὑπὸ γῆν ἐκρύβη.
 Ἄλλὰ θεὸς νιν αἶον ἔης ἐξήγαγε χερσὶ,
 Καὶ λυκάθαντας ἔτι δῶκε βίου πλέονας.
 Ὡσαύτως ὅτε Καισάριος τέθηκε πρόωρος,
 Αἰψ' ἐγένοντ' ἀφανεῖς Καίσαριο λόγοι.
 Δημοσιοὶ δὲ Λεοντόνουχος θεῖα πάλι μοῖρα
 Κρυπτοῦς Καίσαριος τοῦσδε πάροιθε λόγους.
 Χαῖρε, μάκαρ, δις ἐνὶ γαίῃς κευθμῶσι καλυφθεῖς,
 Καὶ δις ἀναστρέψας θεῖοθεν εἰς τὸ φάος.
 Καίσαριῳ καὶ Γρηγορίῳ, μακάρεσσιν ἀδελφοῖς,
 Ταῦτα Λεοντόνουχος θῆχ' ἐπὶ γραμμάτια.

C Εἰς Ἠλίαν τὸν Κρήτης μητροπολίτην.
 Τοῦ αὐτοῦ.

Θείων Γρηγορίου δυσέφικτα νοήματα βίβλων
 Τοπρὶν ἀνιχνεύειν ἦν ἄρα παγγάλεπον,
 Ἄμμιν ἕως ἐφάνη περιδέξιος ἔρμηνευτῆς
 Ὁ Κρής Ἠλίας Γρηγορίου λόγων.
 Ὅν περ ἔοντα τέως θνητοῖς ἀγνωστον ἅπασιν,
 Εἰς φῶς αὐθις ἄγει νυκτὶ Λεοντόνουχος.
 Θησαυρὸν σοφίης ἐριούνια δόγματ' ἔχοντο
 Δέξασθ', οἷς γνῶναι πολλὰ καὶ ἐσθλὰ φίλων.
 Σκιπώνος τοῦ Καρτερομάχου.
 Γρηγόριος Μούσας πολλῶ πλέον ἤπερ Ὅμηρος
 Θεωτάτων ἐπέων δεῖξεν ὑπηρετίδας
 Ἦ μάλλον τόγε πᾶν Μουσῶν ὑπο λέξεν Ὅμηρος,
 Γρηγορίῳ δ' ἔπνει πνεῦμ' ἄρα θεϊότερον.

Joannes Leuvenklaius S. D. Jacobo Billio V. C.

Annus hic quartus est, Jacobe Billi, ex quo primum ad interpretationem præstantissimorum Gregorii Nazianzeni scriptorum hortantibus amicis animum adjeci, de causis lisdem fere, quas eodem tempore (nisi fallor) impulisse te idem ad institutum scribis. Cum autem numero non paucas orationes cum Eliæ Cretensis antistitiis, eximii tum philosophi

tum theologi, commentariis absolvissem, visum est relaxandi, quod ex continua mensium aliquot scriptura obrepserat, tædii causa quiddam laboris alterius suscipere: quo posteaquam defunctus essem, ita deinde pristinum illud opus velut interpolatum, majore cum aliorum fructu, voluptateque mea perficeretur. Et facta nobis præterea de quibusdam Na-

zianzeni libris non editis spes erat, quos dum apiceremur, in alio versari malebamus interpretationis genere, quo paratiores ad Nazianzenum rediremus: itaque Xenophonteam interea lucubrationem publicavi, et Gregorii Nysseni xv orationes in *Canticum canticorum*, Constantinique Manassis *Chronicon* interpretatus sum. Quibus omnibus expoliendis dum occupatus est animus meus, seque totum alacriter ad elaborationem institutæ Gregorii conversionis parat; commodum Theologus noster Latina veste vigiliis tuis ornatus prodit. Quæ res non tantum non molesta (quod usuvenire perisque solet, ægre ferentibus officere quasi luminibus suis alios) accidit animo meo; sed etiam voluptati fuit, præsertim posteaquam inspecto libro, et eleganter abs te versa, nec sine judicio pleraque viderem. Verum ubi deinceps ad tua collatis iis, quæ ipse Latinam in linguam transcripsissem, in orationibus xix præclare ab Elia Cretensi enarratis multa cum ob varias nostrorum codicum antiquissimorum lectiones, tum acutas admodum Eliæ declarationes, longe aliter a me traducta, quam tuis in libris reperirentur, animadverterem: minime tibi molestum fore putabam, si hac quidem in parte pro tuis nostra cum Elianis commentariis conjuncta reponerem: cætera vero, quæ partim Nicetæ adjutus opera, partim per te feliciter ac studiose transtulisses, in editione Nazianzeni nostra prorsus uti abs te facta fuissent, retinerem. Atque hoc quidem citra omnem invidiam eo fieri a me posse confidentius existimabam, quod nonnulla jam Nazianzeni scripta nactus essem, quibus nunquam hactenus nostra sane me-

A moria publice visis rectius impendi laborem interpretationis amici judicabant; quam si abs re prius elaborata quasi retexerentur. Accessere deinceps et alia quædam, hinc inde congesta partim industria nostra, partim amicorum ope, quæ ipsa quoque cum Nazianzeno in lucem proferenda necessario viderentur. In quo genere Nicetæ commentarium in sententias tam singulis quam quaternis inclusas versibus, Pselli de difficultum Nazianzeni locorum intellectu librum, Cæsarii germani Nazianzeni fratris dialogos iv, tomo tertio exhibebimus: ut taceam de multorum locorum restitutionibus, quæ libris aliquot venerandæ vetustatis studio nostro collectis et collatis debentur. Quapropter equidem mihi polliceor, te virum sapientem ac doctum, optimam in partem consilium nostrum interpretaturum. Debet enim abesse cum omni ab hominum genere, tum litteratis potissimum invidia: quibus esse nihil antiquius par est, quam ut et ipsi juvandæ totis viribus reipublicæ studeant, et alios idem institutum urgentes non modo non livore quodam impediunt; sed etiam ultro benevolis cohortationibus excitent. Qua de re pluribus agerem, nisi te probaturum editionem hanc plane considerem, et lubenter etiam agniturum, conjunctam hanc esse non tam meæ cum famæ propagatione (nam illam ego minime spectavi, sed utilitatem publicam potius), quam honore dignitateque tua: quem de tot orationum poematumque conversione merito boni omnes et Nazianzeni monumentorum studiosi amabunt. Vale. Basilea. a. d. 3 Non. Jan. anno Domini 1571

Orthodoxo lectori Jacobus Billius salutem.

Cum in Basiliensi Gregorii nostri editione Joannem Leuvenklaium orationes aliquot, Elianis Commentariis explanatas, transtulisse vidissem, atque insuper ad operis calcem annotationes quasdam adjecisse, in quibus, laureolam scilicet in mustaceo quærens, si quid, in quo auctoris mentem non satis ei assecutus esse videar, animadvertit, idque non tam ex suo ingenio, quam ex Eliæ aliusque cujusdam Græci scholiastæ vestigiis vix dici potest, quam libenter ac læto animo id proferat. Equidem aliter existimare non poteram, quin, qui in erratis aliorum notandis ac publicandis tam sedulum et diligentem se præbuisset, in iis, quæ ipse transtulisset, non summam quamdam doctrinam atque industriam, καὶ πάντων τῶν μῶμου βελῶν ἀνωτέραν, præstitisset. Sed tamen cum ita fere natura comparatum esse scirem, ut qui in aliorum scriptis censendis et carpendis lubenter versantur, interdum in suis cæcutiant, in mentem mihi venit experiri, an ipse hoc in genere αὐτῷ τῷ μέτρῳ, ut Hesiodi verbo utar, gratiam ei remetiri possem. Neque enim arlitrabar, non dico quemquam alium, sed ne ipsum

quidem Leuvenklaium, iniquo animo laturum, si, quod ille juris in me sumpsisset, idem quoque in eum usurparem. Hujus porro rei, non ex omnibus, quæ ex hoc auctore transtulit (nimis enim hoc longum fuisset, nec animus erat bonas horas tam male collocare), sed ex unico opusculo periculum facere placuit, et quidem ex eo, quod totius voluminis frons erat: ut proinde mihi parum verisimile esset, multa illic offendi posse, quæ quantumvis moroso lectori minus satisfacerent: quandoquidem, si quid est in ullo homine ingenii, si quid industriæ, ac diligentiae, id in operis principio potissimum elucere solet: nec fere quisquam, nisi plane stupidus, tam cito dormitare, nedum stertere incipit. Hanc igitur Vitam cum attentissime perlogissem, cum eaque ipsius translationem contulissem, magna sane admiratione repente sum affectus. Plane etenim, ut cum Gregorio nostro loquar, εὐρον ἄριστα. Etenim, ut versus ipsos non καλῶς (ut de Platone Gorgias dicebat), sed χάριστα prorsus λαμβίζοντας, atque ubique παρανομοῦντας, omittam, inveni eum, qui aliorum offensa cula tam sedulo explorat, in ipso limine plusquam

centies, non leviter offendentem, sed turpissime A corruentem eum, qui me, si quid forte in Græcis suis codicibus invenerit, quod a meis dissentiat, id, nullo adhibito iudicio, tanquam ἐρματιον arripiens, petulanter in me insultat; ita hebetem atque obtusum, ut non modo nullum mendosum vocabulum per se animadvertere, nedum emendare possit, sed etiam in levissimis quibusque interpunctionum Græcarum vitiis misere hæreat, atque in sensum ab auctoris mente alienissimum præceps ferat: eum denique, qui etiam celeberrimos quosque historiæ ecclesiasticæ scriptores exagitat, in historia ita rudem et hospitem, ut ne quidem in quo Arii error consistat, perspectum habeat, verum eum velut διφυή quemdam Cecropem, simul et teterrimum hæresiarcham, et orthodoxum nobis per summam inscitiam pingat. Quanquam illud postremum minus mirum videri debet, in homine præsertim ita cachectico, ut ei magis placeat Zosimus ethnicus, in optimos imperatores, ac de Christiana religione præclare meritos, caninam suam rabiem evomens, quam pii scriptores, a quibus eorum laudes litterarum monumentis commendatæ sunt. Testis est vesana illa planeque sacrilega, et ex Christiani orbis sinibus cum perpetua parentis sui ignominia exterminanda Apologia, in qua ita se gerit, ut quemadmodum de Milesiis olim quidam dicebat, eos stultos non esse, sed eadem, quæ stultos facere, ita de eo non minus commode dici possit, Leuvenklaium gentilem non esse, sed eadem quæ gentiles facere.

Quid enim ethnicus, quantumlibet Christiano nomini infestus et infensus hostis, acrius pro gentili scribere, ac furiosius contra Christianos debacchari potuisset, quam is facit, qui se Christianum, et quidem defæcatum, profitetur? Sed ut ad rem redeam, cum in iis Annotationibus quas huic Vitæ subiecimus, quam sæpe δοκησισοφος iste interpret, et in vertendis Græcis erraverit, et in corrigendis cæcus fuerit et in iis, quæ ad historiam pertinent, inscitiam suam prodiderit, meridiana luce clarius demonstrato, tum vero lectori conjiciendum relinquam, cum in una quaternione, et quidem primo toties peccarit, quanta, si omnia quæ ipse transtulit, ad eundem modum examinare atque colligere voluissem, errorum lias et colluvies exstitisset. Hæc si Leuvenklai molesta lectu sunt, discat περιφρονεῖν, et cum se ἀπὸ τοῦ ἀναμαρτήτου tam longe remotum esse perspiciat, necessariam potius in suis recognoscendis, quam in aliorum, qui, dum vivunt, sibiipsis fortasse mederi possunt, erratis, iisque plerumque perquam levibus, traducendis atque insectandis operam ponat, seque deinceps ex eorum numero eximere studeat, qui, ut de Arianis dicebat Nazianzenus, lenes sibi sunt iudices, aliis autem severi censores; vulnera habent, et aliis vibices obijciunt; turpiter cadunt, et aliorum offensusculas exagitant; in cæno volutantur, et ex aliorum maculis voluptatem sibi fingunt; denique oppressos trabibus oculos habent, et festucas aliis probro vertunt.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PAULO V, PONTIFICI MAXIMO,

S. ET HUMILLIMA PEDUM OSCULA.

(Ex Edit. 1609.)

De Sanctorum Patrum tam Græcorum, quam C Romanorum scriptis, beatissime Pater, jure ac merito dici potest, quod de Historia sua scribit Thucydides, Κτῆμα ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν εὐγκεῖται, perpetuum monumentum potius exstare, quam quod animi causa in præsentia audiatur. Enimvero ejusmodi sacrarum mularum fetus ab ingeniis maximis et mentibus purissimis Deoque afflatis exprompti, genio optimo comitati Canescent seclis innumerabilibus: et cum iis auctores illorum ac parentes parte sui meliore, ut cælis ævo sempiterno fruuntur, sic in terris fama veri conscia vivent, quandiu piorum studiosorumque genus consistet, et quæ μακαρίζεται illi memoriæ prodidere, diurna nocturnaque manu versabit: siquidem hos thesauros (ut aiebat Domitius Piso) D censere oportet, non libros. Idcirco D. Hieronymus Ecclesiæ Romanæ doctorum celeberrimus, ecclesiasticos scriptores in ordinem digerere, eorumque catalogum texere, Dextri prætorio præfecti cohorta-

tionem, non est dedignatus: cujus vestigiis Gennadius Massiliensis insistens, in reliquis scriptoribus enumerandis elaboravit. Hæc tantorum virorum opera, omnis generis doctrinæ, ac cælestis et divinæ potissimum, gazis referta, et in linenda cædro, et tenui servanda cupresso, arcubus, χειμηλοῖς, bibliothecis, a pontificibus ac principibus litteras litteratosque amantibus et pietate insignibus, magnifice structis, magna ex parte sarta lecta sunt conservata: et typographicæ demum artis librorum promæ condæ beneficio ab injuria temporis hominumque vindicata quotidie reviviscunt.

Nec minus hodie in Galliis quam in ullis aliis Christiani imperii oris, hæc litterariæ reipublicæ cura et gloria viget; sub Henrico IV, rege Christianissimo clementissimoque, ut armis invicto, ita pacis artium amantissimo, cujus felicibus auspiciis reverendissimi Galliæ episcopi, antistites, et clerus Franciæ regni, uno consensu, summo studio, singulari benignitate ac liberalitate, optimam operam

In hac optima re collocarunt, ut pii probatique A utriusque linguæ scriptorum auctores sedulo, nitide, culte, castigateque typis elegantioribus ederentur; atque hoc præclarissimum cœptum et institutum usque adeo processit, ut ex typographica radice imbre aureo irrigata optimorum codicum διγλωττων, densissima silva pullulare incipiat.

In his vero fere principem locum tenent absolutissima scripta beati Gregorii Nazianzeni theologorum Orientalis Ecclesiæ κορυφαϊοτάτου, quem D. Hieronymus præceptorem suum virum eloquentissimum prædicat, eoque scripturas explanante se didicisse constat. Hæc utraque lingua Regiis typis Græcis nunc accurate quoad ejus fieri potuit edita, et quodam etiam epistolarum hactenus non editarum corollario a nobis cumulata, cujusnam augustioris B nominis tutiore præsidio munita prodirent in publicum, quam tuo, Pater sanctissime, quo uno Ecclesiæ militantis acies recreatur?

Nonne reverendissimus Sancti Michaelis cœnobiarca Jacobus Billius, a quo pererudito ac fidei interprete ejusdem Gregorii Nazianzeni scripta, primum Latinitate donata, et Gregorio XIII, pontifici Maximo dedicata fuerant, si hodie, volente Deo, ad hanc vitam revocaretur, ultro libentissimeque versionem editionemque Gregorianam Græco-Latinam eidem felicissimo Nomini tuo consecraret, cum

In Sanctitate Tua tot clarissima virtutum omnium sidera conspiceret? Hoc certe in votis fuisse constat nobilissimis illius μακαρίτου consanguineis, inter quos pietate atque eruditione non vulgari eminent reverendissimus episcopus et dux Laudunensis, pat Franciæ, Jacobi frater ἀποκασίγητος.

Equidem ita feci ac lubens, ut tot doctrina ac probitate insignium virorum consensu, antistitem hunc et Orientis theologorum solem radiis nativæ Attici leporis et ascitiis Romani tui pontificatus tempora illustrare gaudentem, Sanctitati Tuæ tot heroicarum cœlestiumque gratiarum luminibus undique fulgenti dicatum producerem. Nec vero dubitare fas est, beatissime Pater, quin placido vultu, quo Christianum orbem, tempestates Ecclesiæ, cœlumque serenas, hunc mystagogorum Hyperionem in augustissima D. Petri cathedrâ sacraria benigne intromittas, acceptissimumque habeas. Hoc prout nolis persuasissimum est, sic nos Deus bene amet, ut Sanctitas Tua votis suis divinis, cunctus autem piorum cœtus te optimo maximo suo pontifice perdiu potiatur. Lutetiæ Parisiorum XII Kal. April. MDCIX.

Tuæ Beatitudinis

Humillimus servus FED. MORELLUS,
profess. et interpres regius.

AD LECTOREM.

(Ex Edit. Morel. 1609 et 1630.)

Scio quo tendas et properes, suavissime rerum; C quia cras serum est sapere et discere, discere et sapere vis hodie. Quominus certe id facias, in me mora non erit ulla. Vacuis et religiosis auribus tuis dare nihil constitui, quo offendantur. Si patientiam paulisper accommodare non piguerit, forte an brevis hujus proloquii meminisse juvabit. Ad tui similes φιλορητορους, « Quique sui memores alios fecere merendo, » te voco. Sic igitur habeto.

Cum novam Gregorii Nazianzeni operum editionem utraque lingua aggredi constitutum fuisset, e re fuit, imo operæ pretium Græcos codices vetustos comparare. Hos nobis augustissima regis Christianissimi Bibliotheca suppeditavit; et amplissimus vir Jacobus Augustinus Thuanus, curiæ supremæ præses, vetustissimum optimæque notæ manuscriptum e librario penu suo perbenigne, quo in litteras est animo, exhibuit. Alium codicem cum variis manuscriptis in Belgio eruditissimorum virorum cura studioque collatum, nobis vir doctissimus Antonius Vaquerius Noviodunensis communicavit. Ex iis codicibus quos reverendissimus Jacobus Billius Sancti Michaelis abbas, Latinæ versionis hujus scriptoris auctor, legisse, aut certe contulisse non

videtur, collectæ sunt variæ lectiones quædam, non infrugiferæ.

Jam vero editionem Græcam Germanicam ab eodem nunquam satis laudato Billio diligenter cum Regiis manuscriptis collatam, et cum Medicæis reginæ matris; iisque quos illustrissimus cardinalis Siretius ex Italia miserat, τὴν παρακαταθήκην, ultro nobis commodavit V. C. Paulus Petavius, Parisiensis curiæ supremæ senator integerrimus. In ejus autem libri ora marginali, variantes quidem lectiones, conjecturas et emendationes Billius operosa sedulitate adnotaverat: verumtamen academicam ἐποχὴν, atque assensionis retentionem tam caute constanterque adhibuerat, ut quam λέξιν καὶ ῥῆσιν magis probaret, quam rejiceret, διαβῆδην nunquam D exprimeret. Quid hic agas? An, ut olim factum, a Philippo tacito et sopito ad Philippum excitatum attentumque provocas? Nimirum ab interpretatione ejusdem Latina omnium ferme eruditorum theologorum calculo jamdudum approbata receptaque, ut Mercuriali quadam virga, dijudicandum solerter fui quæ potissimum lectio, ut germana, sequenda esset. At hic opus, hic labor erat. Ἐν οἷς μάλιστα μεγάλο τὰ διαφέροντα, ἦν τι πταίσωσιν οἱ κρίναντες.

praesertim ubi *προσμίξῃ δεῖ τὴν ἀλήθειαν.*

Occurrit divina quasi virgula qui te, qui φιλαλήθεις omnes, hoc fasce levaret, reverendissimus Pater Fronto Ducæus, Societatis Jesu theologus, tanto nomine dignus, et utriusque linguæ peritissimus: hic indefesso labore in republica Christiana et literaria juvanda, in hoc opere palmario assiduam optimamque operam optime collocavit; tametsi eodem tempore in *Χρυσσοστομείων* Latina versione et editione bilingui distineretur; sed utrumque ἀσχολίας ὑπέρτερον πρᾶγμα existimavit. Quid autem præstiterit, magna cum animi tui voluptate, si mentem adhibueris, facile perspicies.

Quid tu, Morelle, inquires, nullamne huc symbolam contulisti? Equidem operam denegare meam in ejus auctoris scriptis edendis, qui mihi ab adolescentia in deliciis fuit, religioni habuissem. Spicilegium saltem aliquod seu racemationem contulimus: est ubi in Græcis maxime mendi suspectis qua ab interpunctione, qua a litterarum traiectione, medicas adhibere manus conjectura vel ope mss.

A tentavimus: et corollarium epistolarum ἀνεκδότων adjecimus cum versione nostra cuicumodi sit, extemporanea certe, et unico nostro manuscripto antiquo magnam partem fulta, ταχυγράφου potius cujusdam quam καλλιγράφου manu exarato: ut bene agatur cum eo qui vertit, si « intra spem veniæ cautus, vitavit culpam, non laudem meruit; ex opera nimium celeri curaque carente. » Nisi ejus animum perpendas, qui nihil tam suum esse duxit, quam quod esset publicum.

Cæterum, si hoc quoque scire aves, ὡς οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντα εἶδέναι, consulto sejunctæ sunt perdoctæ Billii adnotationes, et cum Nicetæ aliorumque scholiastarum commentariis in secundum tomum commodius rejectæ; qui sacra Gregorii nostri poemata, et scholia quæ exstant in ejus opera Græce pariter et Latine continebit. Vive, vale, et quæ dantur, æqui bonique consule, et muneris atque operis hujus auctores, adjutores, συνεργούς ama: memor illius Pythagoræ dicti, |

Μὴ ἔχθαιρε φίλον σὸν ἀμαρτάδος εἶνεκα μικρῆς.

LECTORI ΦΙΛΑΛΗΘΕΙ MORELLUS.

(Ex Edit. 1509, tom. II, ad calcem.)

Non fugit nos pectoris tui candor, qui facit ut omnia æqui bonique consulas, et calculo tuo comprobés quæ bono publico suscipi ac perfici vides. Idcirco nec molestum nec injucundum tibi fore duximus, si propositi consiliique nostri ac non dubiæ destinationis in D. Gregorii Nazianzeni operibus Græce et Latine in lucem edendis te paucis admoneremus. Sic igitur habeto, nos in animo habuisse hujus sanctissimi et eloquentissimi antistitis operum διγλωττων editionem aggredi ex codice Basilienſis ἐκδόσεως, an. 1550, apud Hervagium, quem clarissimus vir Jacobus Billius S. Michaelis in Eremo quondam abbas meritissimus, utriusque linguæ peritissimus, cum regis codicibus Gallicis, et cum Italicis, ab illustrissimis cardinalibus Carolo Lotharingo, et Guil. Sirleto secum communicatis, accurate contulerat, ut doctissimus Gilb. Genebrardus in præfatione sua refert, dum a summo pontifice obnixis precibus contendit, ut sumptibus suis auctorem illum excudi curaret. Verum enim D quoniam non ubique cum ipsius Latina interpretatione conveniebant ejus emendationes et εἰκασμοί, multaque fuerant ab illo in textu deleta, quæ idem rursus, δευτέρων ἀμεινόνων, reponenda ἀναπεισθεὶς censuerat: et contra susulerat in Latina interpretatione, quæ in Græcis relicta erant; tantum sibi assumere noluit præfectus διορθώσεσι typographicis, ut de tanti viri opere et ἀγγινοῖξ sententiam ferret; maluitque bona fide de hoc sibi tradito exprimere, ac deinde in notis ac scholiis collectas varias lectiones representare, quæque magis cum interpretum oratione consentirent, vel cum auctoris sensu convenirent, in locis ambiguis indicare. Ilas porro notas, ut in more positum

est, in tomum secundum rejiciendas censuerat: quippe qui cæteras Nicetæ, Pselli, Nonni, Eliæ Cretensis annotationes et commentarios complexurus erat, una cum Gregorii poematis: ex quibus quoniam mille circiter ac ducenti versus iambici desiderabantur in regiæ Bibliothecæ codicibus, quos Joannes Lewenclaus in Germania Latine tantum, et soluta oratione, ante multos annos ediderat; proinde danda opera fuit, ut ne hanc quidem partem operum ejus, ὡς οὐκ ἐλάχιστον μέρος τῶν ἱερῶν, editio Gallica prætermitteret. Cum igitur diligenter per omnes Europæ bibliothecas ea metra κείμενα conquisita essent, nusquam reperiri potuerunt illi codices ex quibus illa quondam Lewenclaus exscripserat, et Latine verterat. Verum Roma tandem nobis missa sunt (ut τὸ ζητούμενον ἀλωτὸν fieret) illustrissimi card. Maffei Barberini studio, cura et impensa, Vaticanis e libris, aliisque Bibliothecis Romanis exscripta: deinde alterum eorumdem ἀπόγραφον ab humanissimo doctissimoque viro Davide Hoeschelio missum accepimus; quod a Judæo Francofurti feliciter pretio redemptum fuerat. Interim tamen dum secundi tomi editionem hæc perquisitio moratur, ecce tibi novum ex Anglia monitorem, qui ut in alio opere curiosus, ἀλλοτριεπισκοπος, tantæ dilationis impatiens, duas orationes στηλιτευτικὰς contra Julianum, cum scholio Græco edere voluit, et notas attexuit, quibus varias lectiones complexus est variis e libris collectas, simulque typographicos errores, σφάλματα, nævos, editionis Parisiensis observavit et indicavit. Fuerunt quippe olim ab Anglis amanuensibus eruditissimi viri Henrici Savilii lustrati codd. manuscripti; et ille

ipse Billii manu emendatus, qui nunc est penes clarissimum senatorem Parisiensem Paulum Petavium : perinde ac si de nostri alterius tomi editione spem omnem deposuissent, non tulerunt tantam correctionum segetem sibi δεινοπαθοῦσι perire; quasi in iis fortunæ Græciæ consisterent. Inventus tandem est κοινὸς Ἑρμῆς, Richardus Montacutius, qui suum illis obsequium deferret, et laureolam in mustaceo quærens diceris ac lepidis salibus illorum observationes condiret, ac pauculis mensibus notas nostras antevertit. Verum accidit ut dum nimis σοβαρῶς, προπετῶς, et iracunde in nos fertur, hominem quoque se fuisse proderet, ut errare posset; adeoque cæco præceps impetu rueret, ut in illos ipsos quos nobis objiciebat errores incurreret. **B** Exempli gratia : exciderat operis nostris error pag. 349, ὦ οὔτος, spiritu denso nimirum pro leni : ergo legendum monet Montacutius eodem plane modo, non ὦ οὔτος, ut ratio recta postulat : p. 350, ἀφροντες, cum spiritu Æem aspero. Sæpenumero etiam veteres errores Aldinæ aut Basiliensis editionis a Billio prætermissos novis erroribus corrigi; ut cum pag. 342, ἔθνους τε πλήρεις, emendat, ἔθνους τε πλήρης· quasi πλήρης, cum voce seq. λέβητας possit congruere. Pag. 370, λογισθέν, legit pro ζηλωθέν. Pag. 354, νικήσαντος, corrigit κινήσαντες, pro κινήσαντος, atque absurditatem sanare vult absurditate. Pag. 379, ὡς οὖν νεκρῶν, pro ὡς οὐ· pag. 346, legi vult τῷ Ἰωνᾷ, prorsus inepte; quis enim sensus esset, ἔπασχε τῷ Ἰωνᾷ. Etiam **C** τὰ τῆς γραμματικῆς ignorare se ostendit, cum pag. 751, emendat ἐδύνατο, quasi mendosum esset τὸ ἡδύνατο, duplici augmento, per Atticismum. Τίς ἐμφράζει τοῦτι τὸ στόμα; Emendationes porro et varias lectiones ex lib. Billii falso perperamque profert : ut pag. 397, ἐπανάγοις legi asserit, ubi scriptum est διεξάγοις· atqui illa correctio Billiana, ἐπανάγοις est referenda ad lin. d. c. 2, ubi legebatur in Basil. ἀπάγοις, et correxit Billius ἐπ-

ανάγοις. Nonnunquam vero, quia multa exscripserat ex scholiis Græcorum Billius, et in libri sui margine adjunxerat, eo factum est, ut non modo corrigere, sed etiam augere se posse Gregorii libros autumarit Montacutius, ac ejusmodi glossemata in textum inseruerit, ut ostendimus in pag. 152; et contra ex genuino textu quædam temere expunxit, tanquam glossemata, quæ plane sunt necessaria, ὧν ἄνευ οὐ τὸ εὔ, ceu liquet ex notis in pag. 212. Fatetur sæpe quamplurimos typographiæ errores ex collatione cum Billii Latino textu corrigi posse : attamen notandis λεπτομερέστατα ex accentuum ac spirituum, incisorumque omissione seu παραράσει paginas impendit totas; cum ipsius interim notæ Augiæ stabulo similes, ita mendis scateant, ut vix una sit, in qua decem vel duodecim pueriles lapsus non occurrant. Sexcenta possemus loca proferre falso ex Gabrieli, Billioque et Regiis codicibus prolata, vel etiam ex Basiliensi editione, quæ nusquam in illis possunt inveniri, denique ἄλλων ἱατρῶς αὐτὸς ἔλκεσι βρούων. Jam calumnias ejus quis enumeret? cum ea quæ fuerant a Billio deleta finxit a nobis erosa, ut pag. 359, p. 212, Τίς ἐκκόψει τὸ κέντρον τῆσδε διαβολῆς;

Hoc duntaxat agit, ut nostram hanc Parisiensem editionem falso tanquam mendosam accuset : tametsi nihil tale in ea reperiatur, quale ipse somniat : « Nec mente innocens, » ut D. Ambrosius scribit, « et manu feralis. » Interim cymba nostra κύμασι συχοφαντικοῖς agitata fluctuat. Sed hæc sigillatim, lector æquissime, ex notarum nostrarum lectione penitus cognosces. Unum illud addam, cum ille nobis Epicteti lucernam exprobrat, jure nos posse Diogenis potius lucernam assumere, ut hominem in ejus scriptis quæramus : nihil enim in his humanitatis, nihil ἐπαιχειας occurrit; cum vel levissima σφάλματα, tanquam monstra quædam obstupescendo detestetur, et ex musca gignat elephantum.

EJUSDEM FED. MORELLI

PHALEUCHI.

Paulum Christigeni gregis supremum
Pastorem in cathedra Petri sedentem,
Ingens Gregorius, decus Pelasgum,
Antistes pius ille Nazianzi,
Romam Parisiis petens relictis,
Et Graio decoratus et Latino
Cultu lætus adit, salutatur, oratur
Ut Roma incolumi stet ipse utraque,
Casta ut scripta legantur orbe toto.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO RICHARDO, CANTUARIENSI ARCHIEPISCOPO,
TOTIUS ANGLIÆ PRIMATI ET METROPOLITANO.

(Ex Edit. Montacut. Etonæ 1610.)

Antiquorum Ecclesiæ Patrum scripta (quod tu minime ignoras, reverendissime Pater) multum intererit rei Christianæ, quam emendatissima circumferri. Nam, et *οἱ ἐξ ἐναντίας* Patres crepant, ut juratos in causam suam testes, et ad Patres, ut ad supremum tribunal, semper in omni quæstione solent provocare: et nos libenter in controversis dogmatibus, eos facile admittimus diribitores. Nam sunt religionis Christianæ proceres, doctrinæ revelatæ promi-condi, quam ab apostolis derivatam, perpetua praxi confirmatam ad nostra usque tempora transmiserunt. Quocirca, rem ipsis gloriosam, Deo procurant perplacentem, reipublicæ utilem et communi causæ, qui in evolvendis Patrum scriptis, atque illis emaculandis, et nunc et olim desudarunt. Quo quidem in genere prima laus debetur illustrissimo et doctissimo D. Savilio, qui summa fide et diligentia, labore etiam indefesso, Chrysostomi scripta, quotquot haberi possunt Græce, innumeris in locis correxit, supplevit, elucidavit. Confidenter dico, reverendissime Domine, post inventam typographiam, nemo veterum aut recentium scriptorum, tanta fide et religione, tam emaculate, in manus hominum prodiit, quam prodibit apud nos *ὁ χρυσορρήμων*. Interim vero, dum urgetur opus, quod ad tertium jam processit tomum, καὶ σὺν Θεῷ εἰπεῖν, ad septimum procedet aut octavum, præluit illi Nazianzenus, mellitissimo scriptori orator vehemens, et Græcorum Patrum *μαγαλοφωνότατος*. Sic enim solent *οἱ ἐστιάτορες*, convivas bellariis invitare, dum lautiores epulæ apparantur. Præluit quidem, nec injuria: fuerat in episcopatu antecessor qui est ad vulgus anteambulo. Nec id ferendum videri possit, ut e duobus episcopis Constantino-

A in squalore despectus jaceat. Anno ediderunt Nazianzenum Parisientes Latino-Græcum, sed nec integrum, et plurimis mendis per summam negligentiam deformatum. Actum, quod dicitur, nolimus agere, at castigationes valde necessarias, ex multis membranis collectas in omnes orationes edimus et epistolas, quibus Augiæ stabulum purgavimus, et Gregorio nitorem restituimus. Prætermissa nonnulla supplevimus, adhuc publice non visa: et illas in *Julianum* invectivas, inter omnes orationes *κορυφαϊοτάτας*, qua a Nonno, qua a scholiaste vetere et erudito ornatiores, qua a mendis innumeris correctiores multo quam ante fuerant, emittimus. Hoc quidquid est opellæ, reverendissime Pater, sub tuo nomine, sub tuis auspiciis in lucem B prodit. Nam si quid in hoc genere elaboratur, videris tibi jure vindicare, cui nos, qui sumus *ερατικοῦ βήματος* (cum ipso loquor Nazianzeno) nos et nostra comprobare *κατὰ μεγάλην ἐντολήν* obligamur. Deinde, videbatur consentaneum ut ad archipræsulem festinet archiepiscopus, Gregorius, dicam libere, ad Gregorium. Quod si et locum in illo tuo *φροντιστηρίῳ*, instructissima quam adornas bibliotheca, Nazianzenus hic noster sortiatur, nec illum pudebit ab homine novo transiisse, nec hunc in posterum pœnitebit se suosque labores in hac parte Ecclesiæ consecrare. Quod superest, *ὁ μέγας μητροπολίτης*, et magnus totius orbis patriarcha, unigenitus Dei Jesus Christus vestram, Reverendissime, paternitatem, diu- C tissime Ecclesiæ, et bonis omnibus conservet et tueatur.

Reverendissimæ Vestræ Paternitati
humiliter deditissimu

RICHARDUS MONTACU.

AD LECTOREM.

(Ex Edit. Montacutii Etonæ 1610.)

Invectivas hasce duas orationes, τὴν τοῦ Ἰουλιανοῦ πολιτεῖαν στηλιτευούσας, tibi, mi lector, se-junctim Græce, cum scholiis Græcis, et nonnullis ejusdem Gregorij ἀνεκδότοις exhibemus. Nam cum Nazianzeni opera revocari sub prelo correctiora, et studiosius conduceret et auctori, quod et illa editio Basileensis depravatissime prodiisset, atque etiam distractis exemplaribus apud officinas non prostaret

D amplius: D. Savilius, *ὁ πᾶν*, ut est de litteris optime meritis, de editione cœperat cogitare. Et quidem post Chrysostomum τὸν πολυγραφώτατον, quem magnis impensis per omnes bibliothecas perquisitum, ad tertium jam tomum subjecit prelo, ad hanc provinciam exornandam undiquaque acciverat adjumenta: sed intervenit hæc cogitanti editio nupera Latino-Græca, a Parisiensibus typographis

specioso frontispicio lemniscata; qui nihil minus præstant quam pollicentur. Habebant fortasse, habere sane poterant, Regios, Regineos, Petavii libros, Syrleti, Thuani, Vaquerii codices; sed, ut ille Epicteti lucernam, ad ostentationem non ad usum, quippe qui magis deformarunt Gregorium, quam fuerat in editione prima. Hinc tibi, mi lector, intercisum, de edendo Gregorio, consilium prius, ne tamen possis carere penitus quibus nequit carere Nazianzenus, visum est clarissimo illi viro, hæc quæ nunc damus communicare; qui, quo me solet amore prosequi, ad hanc vicariam ipsi locandam operam impari oneri, et imparatum protraxit. Quocirca ut scias quid præstitum sit a nobis in hac istorum ἀποσπασμάτων ἐκδόσει, textum Nazianzeni Græcum, cum variis collatum manuscriptis, quam possumus emendatissimum exhibemus, scholia ad-junximus non inutilia, de cod. descripta per-vesto collegii beatæ Mariæ Magdalænæ in Acad. Oxon. Nonnum huic scholiastæ quem adjunximus, τὸν ἐξηγητήν, καὶ τῶν ἱστοριῶν συναγωγέα sup-peditavit Casarea Viennensis bibliotheca, ex scriptore diligentissimo Samuele Slado. Aberrant interdum uterque, fateor, alicubi sunt manifeste corrupti, sed de iis solliciti noluimus esse, tantum contenti τὰ ἀπόγραφα fideliter ubique expressisse, cætera eru-dito lectori permittimus. De epistolis et oratione ἀνεκδότοις, et de testamento correctius edito, in loco diximus ad notas. Jam vero quas damus casti-gationes in orat. epist. et ipsius Vitæ, de variis συνηρανίσαιμεν manuscript. quas per litteras initiales in singulis pag. designamus; R. notat cod. Reginæ matris Medicæ e bibliotheca illa περιβοήτῃ. P. varietatem lectionum, quas olim doctissimus Jaco-

bus Billius, ad sui libri marginem adnotaverat, ex Italicis et Gallicis exemplaribus, qui liber nunc est Pauli Petavii senatoris Parisiensis. *Syrl.* optimæ notæ M. S. a G. Syrleto cardinale apud Petavium in libro Billii. *Tr.* denotat cod. satis vetustum col-legii Sanctæ Trinitatis in Oxon. Academia, quem ad librum, ipse D. Savilius, xvi illas orationes exegerat, in quas scripsit Nicetas Commentator. Porro vir doctissimus Richardus Thomson, et Au-gustinus Lindsel amicissimus, suas huc symbolas contulerunt. Hic enim castigationes Julii Gabriellii, ad omnes ep. et orat. e Vaticanis membranarum ad me misit, editas illas apud Plantinum, sed Parisiensibus non visas: atque is est liber quem vocamus G; ille autem suum cod. communicavit, cum scri-ptis collatum in Italia: atque is est quem per *Th.* intelligimus. *Ox.* notat membranas Magdalenses, xxxii orat. et scholia perpetua continent. *Pal.* illum Palatinæ bibliothecæ cod. quem vir eruditus P. Felckmannus citat ad illam Gregorii εἰς Ἀθανάσιον. *Bas.* est editio Basileensis: *Bill.* interpres Jacobus Billius: *El.* interpres Elias Cretensis. *Sch.* notat schedas ab Andrea Schotto: et *Bod.* codicem, sane memorabilem, bibliothecæ Bodleianæ Oxon.; nam et omnes Nazianzeni epistolas habet, prius editas, et quas primi damus: et præterea Basillii aliquot decadas, omnes adhuc ἀνεκδότους, quas hinc descriptas habemus nos. Has autem lectiones et castigationes concinnavi ad Parisiensem editionem, illius methodum in orationibus, orationum paginis, paginarum numeris sic secutus, ut utrosque libros comparanti non sit difficile, κατὰ πόδα sequi. Tu autem his, lector, utere, fruiere ad tuam utilitatem comparatis. Vale.

GREGORIO XIII PONTIFICI MAXIMO TOTIUSQUE ECCLESIE PATRI SANCTISSIMO,]

GILBERTUS GENEBRARDUS ET JOANNES

CHATARDUS, T. DD.

Ex Edit. Nivel. 1583, Morel. 1609 et 1630.)

Multis gravibusque causis adducti sumus, sanctissime Pontifex, ut in tuo sanctissimo nomine hanc novam, plenam, perfectam D. Gregorii Nazianzeni conversionem apparere faceremus. Primum hæc perpetua fuit et constans doctissimi et uobilissimi interpretis Billii voluntas, cujus supremis votis minime parentare nefas esse duximus, præsertim cum neque æquorem suæ eruditionis patronum, neque potentiorum suorum laborum propugnatorem, neque vehementiorem sui Nazianzeni cultorem, neque similiorem suæ virtuti anti-stitem nancisci posset. Deinde quoniam te mirifice recreat ac reficit hujus Gregorii nomen, ut Romæ Gregorianum sacellum a te augustissime et munificentissime excitatum declarat, ut sanctissima pulvinaria huic divo splendidissime a te consecrata

D ostendunt, ut sancti monumenta undique tuis ingentibus sumptibus conquisita testantur; quidquid reliquiarum ejus adipisci potuimus, in tuum sacrum ærarium ipsi etiam comportamus, ac apud te, tanquam fidissimum custodem, religiose deponimus. Godofredus Billius Jacobi interpretis frater, sancti Vincentii Laudunensis abbas, a nobis expectit: cæteri ejus consanguinei non modo generis stemmate et præcipuis regni honoribus insignes, verum etiam catholica professione, tota Gallia conspicui, hanc sui vulneris e tantis propinqui obitu accepti levationem et solatium esse interpretantur, si se apostolica benedictione perfusos, si sui sanguinis exuvias ab apostolico throno, cujus sunt studiosissimi, bene habitas, si sui Billii pientissimi ac doctissimi cœnobiarchæ recordationem aliquanti

tactam a doctissimo doctissimorumque anantissimo pontifice intellexerint.

Accipe igitur communibus omnium nostrum optatis Billii Gregorium, imo vero tuum, qui eum tam magnificis ædibus, tam augustis honoribus, tam pretiosis donariis prosequeris : quorum etiam causa addidimus, consilio venerabilis Sanctitatis Vestræ nuntii Joannis Castellii Ariminensis episcopi, Gregorianum Laurentii Frizolii sacellum, ut posteri illius dedicationem tibi omnino fuisse debitam norint, ad cujus perpetuandam exornandamque venerationem tot tantaque insumpsisti, et cum tot seminariis toto orbe Christiano sumptuosissime excitatis, cum tot tamque variarum linguarum typis Romæ cusis theologiam ab ipso traditam tabulis signisque instruxisti. Gratulaberis, sat scimus, interpreti, qui eo præsertim tempore auctoris elegantissimam editionem fidelissimamque orbi Latino exhibuit, quo erat utilissima ac prope necessaria. Isto videlicet, quo Calviniana pestis totum terrarum nostrarum orbem depasci conata, cuncta illa monstra, quæ theologus olim labore plusquam Herculeo domuerat, et in orcum transmiserat, ex inferorum antro eduxit. Profudit enim nobis Valleum et ejusmodi atheos, quibus omnis religio est fabula. Peperit Natalem Jorinetum ludimagistellum hoc anno Metis in vincula conjectum, et fortassis suorum commilitonum ope evasurum, qui librum contra patriarchas, prophetas, apostolos condidit, eosque ut imposteros ac falsarum religionum auctores præconesque traducit. Genuit Bezam Nestorianæ duas hypostaticas uniones in Christo constituentem : Langum, Eutychis ritu, carnem Christi vere et essentialiter deificatam asserentem : Brochardum Manichæa musica Calvinistarum furores demulcentem. Protulit scholam Genevensensem Ariane et Macedoniane sanctissimam saluberrimamque precatiunculam, « Sancta Trinitas unus Deus, miserere nostri, » damnantem, ut inconsulte a Patribus dictam, ut periculosam, ut barbaram, ut impropiam.

Quis posteriorum tantam copiam in blasphemando credet : cui deinceps ad istam impie fandi licentiam non horrebunt pili? Procreavit Calvinianus vomicas, hanc enuntiationem a Patribus Nicænis contra inferorum portas dulcissime personatam, « Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, » ut duram, ut impropiam, ut maxime periculosam abhorrentes. Iuduxit per Lemanicam colluviem, novam personæ sive hypostaseos definitionem, qua non jam persona divina subsistat per se, sed per essentiam et in essentia; non jam per sese cohæreat, sed de communi quadam substantia pendeat, eique more accidentium inhæreat. Quid addam Autotheanos temere pronuntiantes Filium et Spiritum sanctum nihil substantiæ a Patre consecutos, sed a se deos esse?

A Quid Trinitarios, Deitas, Tredeitas, (tot enim prodigiosa vocabula propter prodigiosam impietatem sunt sortiti) quibus tres dii existunt, nunc æqui et pares, nunc inæquales et impares? Quid Antitrinitarios his contraria sentientes, atque ita unum Deum conantes, ut inter istos et Sabellium vix quidquam discriminis percipiatur? Quid Valentinum, Paulum Alciatum, Blandratum, Mahometanum belluam in suam communionem recipientes ac mysteria divinissimæ fidei e diabolico Alcorano deducentes, atque Alcoranum, Evangelium et propheticam Scripturam, tanquam tria θεόπνευστα portentosissime jungentes? Quid reliqua humani generis, nedum Christiani, dedecora, quæ theologiæ omnis sensum pene ex hominum conscientiis exstirparunt. Nam non jam inter ipsos de rebus ad Deum pertinentibus impure quæritur, verum de Deo ipso summo rerum parente sceleratissima ardet lis atque contentio.

Quibus omnibus cum vel unus efficacissime et fortissime occurrat theologus, suscepti a Billio labores ad illum nobis contra istas furias pugnaturis fide ac pure exhibendum, apud te potissimum, cui provincia divinitus commissa est videndi, ne quid detrimenti religio capiat, inibunt, opinamur, gratiam quam maximam. Accedit ad istos labefactandos et universa Ecclesia penitus exturbandos, nullum videri remedium præsentius, quam ut cognominem hunc tuum patriarcham æmuleris, ac quo pacto se ille adversus sui temporis sectarios gessit, eodem adversum istos emulare. Verbo Dei illos repluit, litteras coluit et promovit, eas præcipue, quibus istorum audacia et temeritas frangitur. Eulalium et alios probos doctosque episcopos constituit, qui verbo, exemplo, scriptis istorum blasphemias, improbitati, imperitiæ resisterent. Basilium magnum magna contentione jovit ad Cæsariensem archiepiscopatum consequendum, ut in Cappadocia serpens Pneumatomachorum et amentium Apollinaristarum cancer restingeretur. Theodosii Christianissimi imperatoris opem imploravit ad retundendam Arianorum, Macedonianorum, Apollinariorum impudentiam, qui verbo Dei se persuadendos non præbebant. Olympium, Sophronium, Asterium, Victorem, Modarium, Eutropium, Amphiloichium, Julianum, Candianum, principes præfectosque ad perdendos istos, ac ea quæ sunt pacis ecclesiasticæ præstanda impulit. Pacem fovit inter principes et pastores catholicos, ut Christiana acies contra impios esset firmior. Gladium spiritus et ferri miscevit, atque cum Apostolo modo in virga venit, modo in charitate et spiritu mansuetudinis⁸³, ut Ecclesiam hæresibus corruptam suæ puritati restitueret. Charitatem coluit cum omnibus, sui etiam nominis et throni dispendio. Projicite me, inquit, in mare, si propter me orta est tempestas : indeque, et quidem Cæsare aliisque piis gementibus

⁸³ I Cor. iv, 21.

Nectario, summo ac ditissimo patriarchatu, nempe A Constantinopolitano, post apostolicum amplissimo cessit, ne vel minimum schismatis inter episcopos cerneret.

Cætera scriptorum ejus lectio copiosissime docebit, quæ eo futura est gravior ac probior, quo meliorem nacta est interpretem: nempe eum, in quo tantum videtur eloquentiæ, ut per alium Gregorius tuus eloquentius Latine dicere vix possit; tantum doctrinæ, ut per alium doctius et eruditius præsentari vix queat; tantum sanctitatis ac virtutis, ut Spiritum sanctum sui organi sensa libenter ei inspirasse consentaneum sit; tantum diligentiae et studii, ut ipse neque vitæ, ad volvendos libros suo Instituto commodos, neque fortunis ad parandos indulserit. Et sane, ut prima editione recte ab ipso B est annotatum, eum qui in hoc auctore transferendo, specimen sui præbere vult, multis magnisque præsidii instructum esse oportet. In eo enim verborum argutiæ undecunque captatæ, ubique pene cruce signantur interpreti. Prolixæ periodi, ut Græcæ locutioni ob connectendi facilitatem non parum gratiæ atque ornamenti afferunt, ita ad Latinas aures non sine animi suspensione et fastidio transfunduntur. Brevissimæ allusiones crebris locis sparsæ non modo plurimæ lectionis, verum etiam felicissimæ memoriæ interpretem exigunt, quibus vel ignoratis vel neglectum decursis, necesse sit peregrinari, velutque in alieno solo versari, ac quemadmodum habet Job, ἄλλοις νῆχεσθαι λόγους. Peculiaris quædam phrasis, et quidem Polemonica Hieronymo, Isocratica Suidæ, C disertissima omnibus Græcæ scientibus, inprimisque eruditæ vel perspicacissimos oculos sæpius perstringit, ut nisi summa cura animadversioque adhibeatur, vera scriptoris mens, in levem quamdam et inanem umbram, ut ab Ixione adamata Juno in nubem migret. Ut enim Dædali statuas, nisi firmissimis vinculis astringerentur, fugam corripere solitas retulit Plato, ita genuina hujus sententia, nisi arctissima attentione et diligentia vinciatur, vertenti quasi de manibus elabitur.

Difficultatem auxit Græcus codex impressus, qui cum unicus suppetat, tot tantique momenti mendis scatet, ut ad hoc Augiæ stabulum repurgandum non uno Hercule opus fuerit. Nulla prope pagina gravissimis vulneribus vacat, quibus sanandis aliter succurri non potuit, quam vel nanciscendo doctissimos Nicetæ, Pselli, Nonni, Eliæ Cretensis commentarios hactenus in tenebris abditos, vel evocando codices castigatiores manuscriptos, id est, Regios, a rege Christianissimo exquisitos; Regineos, a regina matre impetratos; Italicos, ab aliquot illustrissimis cardinalibus et aliis summis viris sponte oblatos. Inter quos illustrissimus ille cardinalis Sirletus primas

tenet partes. Nam interpretem, dum viveret, non modo amicissime coluit, verum etiam consilio, sententia, recondita sua eruditione, omni denique qua potuit re ac studio juvit, missis etiam ex Urbe exemplaribus Græcis penes nos adhuc depositis, quibus vel corrupti loci emendarentur, vel obscuri illuminarentur, vel opus ipsum novorum commentariorum, orationum, epistolarum, carminum nunquam antea editorum accessione valde locupletaretur. Ex quibus omnibus cum suum jam unum probe collatum et castigatissimum effectum absolverit, optime mereris, Pater sanctissime, de re Christiana, atque adeo de ipso Gregorio, quem pie colis et ad pie colendum omnes excitas, si eum de integro ex ipsius emendato codice excudi imperares, ac illum typis tuis elegantissimis, quibus concilium Florentinum et pleraque alia emittenda curasti, traderes. Alioqui nostri typographi torpent, nec Græcas primæ notæ editiones facile suscipiunt, sive quod privatim minor tantis sumptibus sufficiant, sive quod lucrum e Latinis et vernaculis præsens publicæ utilitati anteponant. Græcorum enim venditionem lentiolem esse causantur, haud dubie propter bella et hæreses, quorum causa linguæ et solidiores disciplinæ ubique nisi a te foveantur, languere incipiunt; ut taceamus avaritiam, quæ non sinit homines his litteris incumbere, quæ opes neque magnas, neque faciles conciliant. Tibi erit maximo ornamento, tibi cedet immortalis gloriæ, si eas conserves, ac, ut cœpisti, eruditos libros suis primis linguis characteribusque restituas, atque ad posteros transmittas.

Habes domesticum exemplum Nicolai quinti nunquam satis celebrati pontificis, cujus opibus, largitionibus, potentia, auctoritate Græcæ litteræ, quæ in Italia atque adeo universo Latino orbe septingentis prope annis occiderant, spiritum et sanguinem resumpserunt; Hebraicæ tantæ factæ sunt, ut quinque aurcorum millia Evangelium D. Matthæi Hebraicum ad ipsum deferenti sint promissa. In quo se vere catholicæ Ecclesiæ antistitem præstitit. Ecclesia enim proprie catholica dicitur ab universitate gentium, quas ipsa suo gremio complectitur, et cum quibus per linguas, præsertim eruditas, grammaticas, titulo crucis Dominicæ consecratas longe lateque communicat et loquitur: non ut Judaicæ, quæ uno fere populo circumscribatur, vel hæreticæ, quæ angustis paucarum gentium finibus concluditur. Verum, ne videamur de tua in eas propensione dubitare, ad institutum revertimus, teque obsecramus, ut memoriæ tam præstantis interpretis faveas, ac nos, qui ejus monumenta a labe vindicamus, et ad tuos postes, fratrum ipsius nobilissimorum et religiosissimorum jussu, affigimus, apostolica benedictione prosequare. Lutetiæ Kalendis Julii an 1582.

ELOGIUM REVERENDI PATRIS D. JACOBI BILLII PRUNÆI, ABBATIS SANCTI MICHAELIS
IN EREMO PIENTISSIMI ET ERUDITISSIMI CUM TUMULO.

Joanne Chatardo, priore Tossiniaco, auctore.

Ad nobiles defuncti propinquos et amicos.

LECTORI.

(Ex Edit. Nivel. 1583, tom. II, pag. 1548 et seq.)

OPERÆ pretium me facturum putavi, si hic insereretur Elogium istud, quale editum est in ipsius Billii morte, quam obiit dum hoc Gregorianum opus pro secunda editione typis mandaret, exornaret et amplificaret; ut hinc paucis ac velut compendio quodam vitæ mortisque ipsius (nam ex ejus variis doctissimis et piissimis scriptis plura nosse poteris) intelligeres, quis, qualisve et quantus fuerit fidus ille D. Gregorii Interpres. Cujus non modo doctrinæ, sed et morum vitæque sanctissimæ verus discipulus ac imitator fuit: haud dubium quin et qui similem vitam in terris egerunt, et totam per Dei Ecclesiam profuderunt, in cælis quoque simul fruuntur ejus gloria, quem ad extremum vitæ spiritum sincere coluerunt, et cujus ampla talenta tam diligenter et alacriter, tam pie et sancte atque feliciter impenderunt ac multiplicarunt. Vale et frue.

POSTERITATI.

JACOBO BILLIO PRUNÆ, NOBILISSIMA ET CLARISSIMA BILLIORUM FAMILIA ORTO, ABBATI SANCTI MICHAELIS IN EREMO PIENTISS. SACRÆ ET POLITIORIS LITERATURÆ CALLENTIS S. LINGUARUM HEBRAICÆ, GRÆCÆ, ET LATINÆ PERITISS. SANCTORUM GRÆCORUM PATRUM INTERPRETI FIDISS. CATHOLICÆ FIDEI PROPUGNATORI ACERR. PAUPERUM PATRI CHARISS. IN CUNCTIS RELIGIONIS ET PIETATIS OPERIBUS EXERCITATISS. OMNI DENIQUE VIRTUTUM GENERE CUMULATISS. MULTIS LIBRIS GRÆCIS, LATINIS, ET GALLICIS SUMMA PIETATE ET DOCTRINA REFERTIS, PROSAQUE ET METRO EDITIS CELEBERR. JOANNES CHATARDUS MULTAS OB CAUSAS MÆRENS POSUIT.

Librorum quos scripsit Elenchus.

COLLECTIONES consolationum, et salutaria fidelis animæ documenta, ex volumine D. Augustini in *Psalms* excerpta, Gallice conscripta.

De secundo Domini adventu libri sex, Gallicis versibus editi, cum tractatu D. Basilii *De Dei judicio*.

D. Gregorii Nazianzeni tetrasticha, cum brevi et familiari expositione Gallica.

Anthologiæ sacræ ex probatissimis utriusque linguæ Patribus collectæ, atque octastichis comprehensæ, ac brevi commentario illustratæ libri duo, adjectis ad calcem aliquot octastichis Græcis.

Quos duos libros alii duobus odis Gallicis spiritalibus summa ingenii dexteritate reddidit: adjectis etiam Gallicis commentariis ex solis fere antiquis theologis collectis, cum aliquot aliis poeticis tractatibus ejusdem argumenti.

D. Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi opuscula quædam nunc primum in lucem edita, aliaque item versibus reddita, magna ex parte Cypri Dadrybrensis commentariis illustrata.

Locutionum Græcarum in communes locos per alphabeti ordinem digestarum volumen.

D. Joannis Damasceni opera multo quam antehac auctiora, magna ex parte nunc de integro conversa.

Ex D. Joanne Chrysostomo translata multa, ejusque variis scriptis inserta, ut explanatio in *psal. L.*, desumpta ex bibliotheca illustriss. Catharinæ Medicæ reginæ Matris. De pœnitentia commentarius. Item, explicatio *psal. LII.*, et enarratio in *psal. C.*, et septem sequentes, et in *psal. CXVIII* et proœmium. Liber epistolarum e bibliotheca Cujacii jurisconsulti. Nova denique interpretatio narrationis ipsius Chrysostomi in *II Pauli Epistolam ad Corinthios*.

D. Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi opera omnia, quæ quidem exstant, nova translatione donata; una cum doctissimis Nicetæ Serronii commentariis in sexdecim panegyricas orationes; Eliæ Cretensis in aliquot alias; Pselli in secundam orationem *De Paschate*; Nonni *De historiis et fabulis* quæ in invectivis *adversus Julianum Apostatam* reperiuntur, adjectis etiam ubique brevibus scholiis.

Multa alia reliquit opera eadem pietate et erudi-

tione, quæ ve. ut posthumi liberi, Deo auspice, magno Christianæ reipublicæ commodo brevi prodibunt. Ex his vero omnibus qualis, quantusve fuerit, sive eximiam ejus doctrinam, et multiplicem rerum et linguarum cognitionem, Tullianamque eloquentiam, sive singularem ejus pietatem, vitæque et morum integritatem, sive quidquid aliud oratores, poetæ, historici, philosophi ac theologi desiderare et commendare solent, spectemus, facile perspicitur. Ipsi quippe muti magistri (qualis enim vir, talis oratio) quos condidit et ad posteros transmisit, de his loquuntur fusius et elegantius veriusque testificantur, quam ullus quamlibet facundus orator possit: ita ut supervacaneum putarim de his longiorem texere narrationem. Quis vero fuerit, et quis vitæ ejus cursus, quosve progressus fecerit, si quis scire desideret, ex hac narratiuncula paucis intel- liget.

Anno 1535, nobilissimis et clarissimis parentibus Ludovico Billio et Maria Brichantæ Guisæ natus est, quo tempore generosissimus ipsius pater Ludovicus Billius Corvillæus (sic enim a paterno et insigni pago Corvillæo, ut postea a nobili sua Prunæa domo et vico ad Carnutum sito, Prunæus nuncupabatur) ibi proregis officio fungebatur. Admodum puer, ut a teneris annis bonis litteris ac disciplinis informaretur, et velut cum lacte nutricis imbueretur, Lutetiam Parisiorum venit. Unde, jactis Latinarum litterarum (nam Græcæ tantum attingerat) fundamentis, a parentibus revocatus, vix annos natus xviii, Aureliam et Pictavum mittitur, ut jurisprudentiæ navaret operam. Sed hanc lusisse, in illaque nihil, aut parum promovisse, sive reluctante et invita ejus minerva, sive obstante juniore illa ætate ad juveniles lusus propensiore, sive etiam Deo ad sublimiora eum studia destinante, ingenue fateri solebat, eamque temporis (quo nihil tandem habuit charius) jacturam sæpiuscule lugebat.

Postmodum parentibus orbatus Lugdunum et Avinionem (ea quærens loca in quibus a nemine agnosceretur, quo liberius et familiarius mansuetioribus musis frueretur) proficiscitur, ubi incredibili litterarum Græcarum amore flagrare cœpit. In quibus nullo pene præceptore usus, sua industria (ut sagacis erat ingenii, memoriæ tenacis, et peracris judicii) indefessoque labore ita brevi profecit, ut cœvos suos omnes anteverterit, longoque post se intervallo reliquerit, imo et paucos suo sæculo pares habuerit: super senes nimirum (ut Scripturæ verbis utar ⁸⁶) intellexisse videtur, maxime in sacris et antiquis intelligendis, enucleandis, interpretandis et traducendis Græcis auctoribus. Inter quos summopere delectatus est D. Gregorio Nazianzeno Theologo, cum propter summam ejus eloquentiam, tum ob singularem ejus pietatem et doctrinam: unde tunc temporis incessit ei cu-

piditas Latinitate hunc donandi, et ab innumeris, quibus scatebat, mendis et salebris repurgandi atque illustrandi. Quod nullus unquam alius agredi ausus est, vel ea sane elegantia et nitore sermonis, eaque felicitate et fide, et oratoria et metrica qua ipse, præstare potuit.

Ibi ergo dum delitescit, et mirabilem Græcarum litterarum sitim die nocteque explet, et linguæ Hebraicæ sub Judæo quodam rudimenta ponit, ecce, vix exacto Avinioni biennio a reverendo et pientiss. fratre Joanne Billio abbate Sancti Michaelis in Eremo, et divæ Mariæ in Regiensi insula accersitur et revocatur. Tum enim de abbatibus illis, deque amplo et nobili patrimonio (quippe qui fratrum natu erat maximus) et de ipso relinquendo sæculo, deque novo vitæ genere instituendo et deligendo, nempe Chartusiano (ut via actiore quidem, sed etiam ad vitam cœlestem compendiosiore) meditabatur, ac vehementer cupiebat in suum locum Jacobum fratrem sufficere, ac sibi successorem relinquere, non tam ratione fraternæ necessitudinis, aut carnis et sanguinis (quæ jam illi viderant), quam illius singularis pietatis et eruditionis, quæ in ipso omnibus affulgebat, concepta de eo, velut de segete in herbis spe (haud sane inani) eum tantum aliquando fore, qui Dei Ecclesiam magnopere juvaret et exornaret. Sed vix adduci potuit adolescens nondum annos natus quinque et viginti, ut hæc sacerdotia susciperet, sua contentus Ferrariensi abbatiuncula, suoque (quo me tandem magna sua erga me benevolentia ornavit et locupletavit) prioratu Tossiniaco, quod existimaret his oneribus sustinendis impares se habere humeros, ipsosque amplos proventus sæpius esse impedimento litterarum studii (quorum solo desiderio tenebatur) quam adjumento. Verum precibus fratris et amicorum victus ea suscipit, non sine frequenti postea tædio ac mœrore. Ita autem in ipsis se gessit, atque in omni pietatis genere excelluit, ut non modo cœnobitis suis, sed et omnibus vicinis, illucque adventantibus velut juvenis alter Daniel admirationi et exemplo esset.

Sed hanc nobis et Dei Ecclesiæ invidens felicitatem ille qui sua invidia mortem invexit in mundum, secundis bellis civilibus ad defectionem a rege et Ecclesia Rupellanos (eos excipio quibus inerat scintilla quædam pietatis et amoris erga litteratos) velut ex orco suo et tanquam alacres et peraccommodos nefarii sui instituti administratos suscitavit, quorum ministerio id erga novum abbatem effecit, quod olim erga Jobum servum Dei eximium. Nam duo ejus monasteria illi exusserunt, diruerunt et solo adæquarunt. Arbores etiam (nam illic erat in litore maris lucus arboribus perpetuo virescentibus consitus, et peramœnus, musisque aptissimus) partim succiderunt, partim radicitus avulserunt: et quotquot in Sanmichaelina arce et

⁸⁶ Psal. cxviii, 100.

templo viros religiosos, milites ac subditos (quos A ibi velut præsidarios privatis sumptibus alebat) admotis bellicis tormentis expugnato repererunt, crudeliter trucidarunt, alios gladiis conscindentes, alios laqueo præfocantes, alios præcipitio collidentes, alios semineces ac vivos in puteos projicientes. Hanc enim suam primo rabiem in vicinos evomuerunt, eoque crudelius sævierunt, quo sanctior erat locus et sanctiores ipsi incolæ (cibus enim ipsius Satanæ, ut ait propheta⁸⁵, electus); invisus nimirum illis erat tam pius abbas, quippe qui splendore virtutis suæ noctuas istas perstringeret. Ipse tamen tunc aberat.

Nam paulo ante (ægre quidem, sed utiliter, ac cœnobarum et amicorum suorum consilio et impulsu, ut sibi magis ad litterarum studia et pacem, B quam ad arma nato consuleret, seque Dei Ecclesiæ ad meliora servaret) Nannetas se receperat. Ubi aliquanto post tempore hac tam truculenta ac harbara strage ab illustriss. Martignio Britannicæ prorege, qui tum ibi aderat, et cui in via forte fortuna occurrerat, primum audita, domum rediit, et in lacrymas prorupit. Ad quem dum accedo ei pro virili aliquid solatii impertiturus, voce faucibus præ angore hærente in lacrymas simul etiam erumpo, quibus uterque tam miserabilem cædem affatum persecutus est, fuitque utriusque tum quædam flere voluptas. Sed tandem arescentibus illis, et pene exhaustis, collectisque animis, Deus (in- quiebat ille), venerunt gentes in hæreditatem tuam, C posuerunt templum sanctum tuum in pomorum cultodiam, posuerunt morticina servorum tuorum escas velatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ, effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam, et non erant qui sepeliret⁸⁶. Altaria tua, Domine, suffoderunt, et servos tuos occiderunt gladio, et ego ex Michaelinis nostris relictus sum solus⁸⁶. Et quemadmodum David, audita tam misera clade Saulis jussu et manu Doeg Idumæi perpetrata occisorum octoginta quinque virorum ephod lineo vestitorum, dicebat ad Abiathar filium Achimelis, qui solus ad ipsum ex ea effugerat: *Ego sum reus omnium animarum domus patris tui*⁸⁷: ita et ipse, Ego, inquit, reus sum omnium animarum istarum. Sed luctuosus illis etiam verbis ego eum solabar, quod D ei idem quod Davidi viro innocenti et secundum cor Domini contigisset, eodemque pene telo cum eo confusus fuisset.

Post hanc ruinam et cædem Nannetibus menses aliquot commoratur, non procul (quia propius accedere non licebat) a cœnobio suo, similis avibus illis quæ nidis etiam in terram excussis circumvolitare solent, nec longe abscedere. Nihil unquam ei funestius ac tristius contigisse, nulloque graviore casu et dolore in vita perculsum fuisse meminimus: quanquam multa ei tristitia et luctuosa maxime sævientibus bellis civilibus acciderint. Nam

præter innumerorum consanguineorum et amicorum, quam in ipsis fecit, jacturam, amisit primis tumultibus in Drocensi pugna avunculos duos viros illustrissimos, Brichanteum Bellovacum et Givrium, fratres, qui in prima acie cum magistro equitum fortiter pugnantes ceciderunt: hic quidem in ipso conflictu, ille ex vulnere ibi accepto aliquanto post tempore; Prunæum etiam fratrem Claudium Billium in prælio ad Jarnacum commisso, dum fractos ac fugientes hostes longius et acrius persequitur; Ludovicum Billium Vertronæum alterum fratrem in obsidione Pictavensi urbem regi et civibus protegentem; alios etiam duos fratres in Drocensi prælio: quorum tres priores fuere equites Torquati, et Cataphractorum equitum duces inclyti ac fortissimi; alii strenui et generosi adolescentes peditibus imperabant. Horum, inquam, (quorum ipse etiam in *Anthologia* sua sacra meminit) et aliorum propinquorum et amicorum quamplurimorum interitus eum magno perculit dolore, summaque affecit tristitia: sed quæ mox in lætitiâ vertebatur, dum cogitaret eos velut alios Machabæos pro aris et focis, pro Ecclesia, pro rege et republica fortiter dimicando occubuisse, et ex sua familia et cognatione velut ex equo Trojano tot viros fortes et de republica bene meritos exsiliisse.

Sed tristitia illa de crudeli et cruenta Michaelitana cæde et ruina (de qua ipse in nuncupatoria illa epistola ad Carolum Lotharingum cardinalem amplissimum, quam operi Nazianzeno præfixit, verba faciens: Quis, inquit, Michaelini nostri cœnobii cladem ulla quamlibet tragica oratione pro rei atrocitate deplorare queat?) ut major erat, ita cordi ejus et animo penitus ac diutius inhæsit. Postea regione illa exturbatus, huc et illuc vagari cœpit, et peregrinorum more cupidius expectare et inquirere civitatem illam futuram statam et nulli bellorum ac temporum vi et injuriæ perviam. Secessit primo Laodunum ad charissimum fratrem et reverendum cœnobii Sancti Vincentii abbatem, in quo, et Sandionysiaco (ubi etiam summi prioris munere fungebatur), aliquot annos transegit propriis cœnobiis pulsus, et redivitibus D spoliatus. Verum semper cupidus revisendi Michaelini soli, inita pace et sedatis utcumque tumultibus, modo Lutetiam, modo Oysonvillam, modo Nannetas, modo ad Turonicum Tossiniacum nostrum perrexit, spe ulterius progrediendi, et illuc perveniendi. Sed renascentibus civilibus bellis, vel potius illic perseverantibus: vel morbis, quibus profligabantur, obstantibus, ac resstantibus procellosæ nostræ reipublicæ ventis, illuc nunquam appellere potuit ante postremam ætatem, aliquot ante mensibus quam tributum naturæ penderet.

Interea vero valetudinarius licet, et miserrimi nostri sæculi fluctibus huc et illuc jactatus, nus-

⁸⁵ Habac. i, 16. ⁸⁶ Psal. LXXVIII, 1-3. ⁸⁷ III Reg. XIX, 10. ⁸⁸ I Reg. XXII, 22. 7

quam fuit otiosus (otium enim et desidiam tanquam lethale quoddam venenum, ipsosque desides, ut reipublicæ inutiles ac perniciosos summopere oderat); quin plura, et doctiora, utilioraque edidit opera, quam ullus suæ fortasse ætatis alius: ut cum Paulo dicere potuerit: *Tunc potens sum, cum infirmor: virtus enim in infirmitate perficitur*⁸⁰. Nihil enim ei excidebat, ne momentum quidem temporis, nec diem ullam labi sinebat sine linea, imo nec sine exarata saltem pagina aliqua. Nam morbo etiam laborans (ut frequentibus erat obnoxius, maxime articulari, et fluxionibus) relaxato vel intermisso dolore versus aliquos vel Græcos, vel Latinos, vel etiam Gallicos, aut aliud quidpiam semper condebat. Etenim silvam etiam quandam sibi paraverat sententiarum et argumentorum, quæ in lecto, ubi non licebat multos libros volvere, versaret animo, et amanuensi dictaret. Quin etiam cum aliquando equitaret, a comitatu sæpe secedebat ut meditationi vacaret, et ea quæ in animo habebat, apud se agitaret, quorum capita pugillaribus inscribere solebat, idque raptim et furtim.

A me namque potissimum sese subducebat, quod ei sæpius objicerem, ac velut bellum inferrem, quod se non respiceret, et animum litterarum studiis velut arcum semper intensum nunquam relaxaret. Non enim ob aliud inter nos obortum est dissidium, et quod nimia inedia et crebrioribus jejuniis (nullum enim, præter alia spontanea, ex his quæ indixit Ecclesia, intermittebat) tabescens corpus, tenue ac macilentum, atque σκελετῶν pene simile conficeret. In vase enim fictili et admodum fragili magnus erat repositus thesaurus, eratque ejus animus velut pretiosus lapillus anulo vitreo inclusus, ac sub villosis Esau integumentis verus latitabat Jacob. Enimvero ut pacis erat amantissimus, et ipsa litterarum studia otia et secessum quærunt, magnopere cupiebat locum aliquem quietum et tranquillum nancisci, in quo bibliothecam statueret et instrueret, et mansuetiores musas liberius amplexaretur, foveretque tutius.

Quod plerique intelligentes et spe quæstus (nam de annuo suo reditu multum ille remittere volebat) affecti ad eum adventarunt, et crebro cum eo sermonem instituerunt de permutandis illis suis abbatiis. Sed quia alii, vel suspecti erant hæreseos, vel arma proflabantur, vel non carebant suspicione Simonæ (quam velut malorum nostrorum lernam imprimis detestabatur) maluit cum periculo suæ valetudinis, et studiorum suorum dispendio huc et illuc perpetuo ferri, quam nomini suo vel minimam maculam inurere, et quam conscientiam (in qua pura servanda erat vigilantissimus) vel tantillum lædere. Quin et sæpe illi fuit animus relinquendæ alterius suæ abbatiæ, quod ei bigamia illa non placeret: sed id commode fieri non potuit ob adversa tempora et loca quæ nullum ibi abbatem vel

monachum tolerare poterant. Ad episcopatu frequenter sibi oblato tanquam a letali scopulo semper profugit, se tanto munere indignum ratus, multis fretus sanctorum et doctissimorum antiquorum Patrum exemplis, et magno animæ imminente periculo deterritus. Animo autem sæpe angebatur, ferebatque indignissime quod episcopi, abbates, reges, ac pontifices sacerdotia tam male locarent, et Christi oves tanto pretio redemptas lupis sæpe ac leonibus (addo etiam) et lenonibus committerent.

Ex cujus Christi schola ut omnis generis virtutes, maxime vero ipsius propriam perdidicerat, tantoque cupidius, quanto magis oderat vitium illi contrarium, quod angelos ipsos de cælo deturbavit. Cum humilibus repebat humi, cum superbis et elatis male cohærebat. Generis sui nobilitatem, quæ clarissima erat, nusquam ostentavit (quod vani passim solent, et ea intumescere), nullam veram aliam existimans quam quæ virtute pararetur aut fulciretur. Doctrinam pariter suam et multiplicem rerum ac linguarum cognitionem, quæ multis cristas erigere, et supercilium attollere consuevit, nunquam extulit, quin eam depressit potius. Erat enim ei velut innata illa charitas, quæ non inflat, sed ædificat⁸¹, ut ex ejus scriptis, nihil certe aliud spirantibus, liquet: sicut et ex ipsius quotidianis sermonibus et colloquiis cuius etiam novum ac perspicuum erat. In quibus familiaris, comis, ac facetus, creber sententiis, et pietate et eruditione semper insignis fuit.

De republica Christiana et Gallica vir publici amantior quam sui, frequenter et ex animo verba faciebat, juxta vulgatum proverbium, ubi vulnus, ibi manus: ubi plaga, ibi lingua. Deplorabat enim quotidie miserrimum ejus hodiernum statum, nec aliud sperandum dicebat, quam brevem quamdam ipsius eversionem, ac eam pene (quod Deus opt. max. avertat) quæ sub Phaethonte accidit, conflagrationem. Tanta autem erat prudentia, tamque acri et perspicaci ingenio et judicio, ut ex antegressis futura etiam conjectaret, ac sæpe divinaret, eaque velut ex alta quadam specula prævideret. Ut litterarum, ita et litteratorum erat amantissimus; sed eorum præsertim qui rempublicam litterariam, et Dei Ecclesiam juvarent. Nam eorum, qui ei infesti erant, consortium diligenter vitabat, et ab eorum libris abstinebat. Oderat vir castissimus poetas et scriptores spurcos et obscenos, eosque omnes qui Dei talentis abuterentur, et ea impenderent in celebrandis potius Bacchi et Veneris, vel etiam immeritorum hominum laudibus, quam Christi.

Lectissima ejus domus velut sanctum quoddam cœnobium et xenodochium, scholaque virtutis erat, quod ex bene moratis et pacificis ejus domesticis innotescebat, adeo ut ex ipsis agnosceretur patrisfamilias prudentia: qualis videlicet rector civitatis, tales habitantes in ea. Viris piis, doctis et religiõsis

⁸⁰ II Cor. xii, 10, 9. ⁸¹ I Cor. viii, 1.

(nempe sui similibus) patens et pervia, atque Christi pauperibus, quorum perpetuo fuit amantissimus, et pater locupletissimus. Ideo eum gregatim et passim sequebantur, juxta illud Evangelicum : *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* ⁹⁰. Dignus qui cum Joanne Eleemosynario conferretur, et cum Jobo jure diceret : *Oculus sui cæco, pes claudus, pater pauperum* ⁹¹. Quos etiam moriens testamento hæredes suarum facultatum reliquit, maxime earum quæ ex Christi patrimonio ei supererant, sacrilegium quoddam arbitratus si alio transferrentur. Ejus mensa læta et lauta : sed eo lætior ac lautior quo spiritalibus epulis, animum magis quam corpus reficientibus ac saginantibus erat instructor. Symposia ejus Platonicis tanto præstantiora, quanto theologia, et Christiana philosophia (qua dapes suas condire et aspergere solebat) Platoniam antecellit. Quod si quid in eis a virtute aversum aliquibus, ut nobilibus et arma profitentibus (quibus sæpe minus est curæ pietas et Christiana religio, et a quibus, ut nobilissimis et clarissimis parentibus ortus, invisebatur) excideret, mox eos ita amice corripiebat, tantaque cum venustate et sale, ut ipsos statim dicti aut facti pœniteret. Norat enim ille alter evangelicus Samarites oleum lenitatis, et vinum austeritatis ita miscere et temperare, ac vulneribus peccatorum infundere, ut illis facile ac sine dolore melderetur. Quare ad eum postea meliores redibant, et ab ejusmodi abstinebant.

Amicis fuit amicissimus et officiosissimus. Ad conciliandos inter se dissidentes paratissimus, nulli inimicus, pacem cum omnibus, quantum fieri potuit, colens. Quod si quid dissidii sive disputando, sive quid aliud faciendo, forte suboriretur, mox illud componere studebat, ac diligenter cavebat, ne sol occideret super iracundiam. Longius excurreret narratio si singula (de quibus alias fortasse fusius, nam pro viri dignitate et merito nihil mihi hæcenus dictum videtur satis. Tanto enim ampliora meretur laudum suarum præconia vita functus, quanto magis ea superstes, ac modestus aversabatur) in quibus vir tantus excelluit, ac se laudabilem et admirabilem præbuit, commemorare vellem. Hoc unum tantum adjiciam, non sibi, sed Ecclesiæ natum fuisse, totumque ei addictum et consecratum. Quare cum nihil ardentius cuperet, quam quidquid haberet ingenii, doctrinæ, opum, et virium in ejus utilitatem et obsequium profundere, timeretque no morte quam illi frequentes morbi minitabantur, præreptus labores suos et studia posteritati relinquere non posset, et Turonensi Tossiniaco nostro nondum bene obfirmata valetudine, ex alvi profluvio debilitata, mira animi alacritate in hanc urbem se contulit.

Ubi cum iterum omnia divi Gregorii Nazianzeni opera repurgata et multo auctiora facta (conquisitis nimirum undecumque veteribus Græcis exemolari-

bus, multisque ad eum Roma missis ab illustrissimis cardinalibus Pelvæo, Sirleto, Caraffa, Baro subdatario, Gerardo Ursio, Morino, aliisque ei nomine pietatis et litterarum conjunctissimis, quos et ipse scriptis suis celebravit) typis mandat, et hoc opus ob grassantem pestem pridem intermissum urget, renascitur alvi profluvium, quod mox comitantur parotis et catarrhus ubertim in pulmones defluens : phthisi quippe interiit. Sentiens autem Ingravescere morbum aliquot ante dies quam extremum clauderet, quasi cum Ezechia audisset ab Isaia : *Dispone domui tuæ, cras enim morieris* ⁹², sacris primo postulatis, et pie sumptis, atque postea repetitis, (nam dum bona valetudine frueretur in celebrandis tremendis mysteriis creberrimus et religiosissimus erat) de singulis sive quæ ad animam, sive quæ ad corpus, sive quæ ad rem domesticam, et temporaria pertinerent, ita disposuit, ut nihil pene intactum reliquerit, eique fere omnia ad animi voluntatem fluxisse viderentur. Quanta vero fide, quam ardenti charitate, quam profunda et abjecta (sed spe meliorum erecta) humilitate hoc sacrum viaticum, in quo summum semper præsidium collocaverat, et quo se in cœlestem montem invitatis omnibus hostibus ascensurum sperabat, sumpserit, vix sermone explicari potest.

Duo autem, dum alia multa prætereo, tum maxime præstitit. Alterum, quod, viso Domino, ei de tot tantisque ab eo acceptis beneficiis gratias ex animo, et quantas potuit, egerit, ac potissimum quod peropportune et ad vitæ extremum (quasi videret in se adimpletum, quod summis votis David posebat his verbis : *Ne projicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me* ⁹³) Dominus servum, Deus creaturam, rex subditum, summus medicus ægrotum, vita morientem invisere, et sub tectum suum intrare dignatus sit, ac cum eo velut in lecto decumbere, qui cum Josepho fuerat in carcere, et cum Jona in piscis ventre : Amicus quippe certus in re incerta cernitur. Alterum, quod commissa sua gravissime detestatus, eorum veniam summa cum penititudine et cordis contritione petierit. In quibus tam piis et elegantibus verbis, aut velut cygneo quodam cantu usus est, ut astantes in sui admirationem raperet, ac eis lacrymas excutere

Pridie vero quam piam efflaret animam sacro etiam oleo inungi voluit strenuus Christi athleta, qui bonum certamen certaverat, cursum consummaverat, fidem servaverat, ne qua parte comprehendendi posset ab inimicis illis, qui toto quidem vitæ tempore, sed maxime calcanco nostro insidiosi solent. In qua sacra et extrema unctione cum a Sanseveriano curione suo Jacobo Prevotio theologo eximio de more sanctissimæ Triadis misericordia, et cœlitum imploraretur patrocinium, in singulis ea spe et fiducia respondebat, ut eorum paratam

⁹⁰ Matth. xxiv, 28. ⁹¹ Job xxix, 15. ⁹² Isa. xxxviii, 4. ⁹³ Psal. lxx, 9.

sibi opem, et cum Jacob castra Dei⁹⁶, vel, cum Elisabetho igneo et auxiliare circa se equos et currus videre videretur⁹⁷: *Angeli enim Domini in circuitu timentium eum*⁹⁸. Unde nullo unquam metu mortis consternatus apparuit, quin eo vegetior et alacrior, quo se majori et potentiori comitatu stipatum, et portui, post trajectum hujus sæculi procellosum et periculis plenum fretum, propinquiorem sentiebat.

In hoc autem postreimo suo morbo patientissimus ut aliis in omnibus semper fuit, nihilque aliud quam de Deo, deque summa ejus erga peccatores misericordia, velut vastum quoddam mare omnia peccata obruente, audire volebat. Cumque de ea sæpius verba facerem, et de sæculi hujus miseriis, deque eis oppositis gaudiis cœlestibus quæ hinc emigratos solari et exhilarare solent, jubebat ut de peccati etiam gravitate et fœtore dicerem, quo magis suorum (quæ certe vel nulla, vel paucissima, eaque quæ humanitus admitti solent, et a quibus vix optimus quisque se vindicare potest, in eo unquam animadverti: sed *justus est prior accusator sui*⁹⁹) eum tæderet, majorique dolore et horrore concuteretur. Gaudebat et Psalmographi hemistichii ad excitandam suam et mentem, et memoriam eorum quæ ipse sanus ad mortis (quam lætus et pervigil expectabat: quippe cui vivere Christus, et mori lucrum esset¹⁰⁰) viaticum sibi paraverat. Nam paucis auditis (siquidem plura ejus cerebrum ferre non poterat) ipse postea sublatis semper in altum oculis hæc apud se meditans, et more mundorum animalium ruminans velut in cœlum rapiebat. Cumque illi perpetuo assiderem, et quid ageret tacitus aliquando contemplarer, ipse meditando vel precando fessus: Age vero, inquiebat, dic aliquid. Tum ego de thesauro biblico proferebam modo nova quædam, modo vetera¹⁰¹, eosque animi cibos, quibus eum libenter vesci, palatoque ejus arridere ad Rebeccæ imitationem noveram. Dicebam et de salutiferæ crucis mysterio, cujus imaginem, ut verum serpentem zœneum ab omnibus venenatis antiqui serpentis moribus curantem, fixis oculis intuebatur¹, osculabatur, amplexabatur: hæcque, velut scala Jacob, ad Dominum ipsi innixum et sufflum, ac sibi quasi manum inde porrigentem rapi, et in cœlum ascendere videbatur². Accersi et ipse jussit amicos, aliosque theologos viros doctos et pios, quorum consolationes libentissime excipiebat.

Ita prorogata est illi vita (nam toto pene Adventus tempore in lecto decumbens, eo, velut suggesto in prædicandis Dei laudibus usus est) in sanctam

A Natalem Domini diem. De cujus mysterio postquam nulla me dicentem audisset, et plura ipse meditatulus fuisset (nam vox illi impediende fluxione libera non erat) hora nona serotina, pulsante Sorbonæ campana, velut se ad somnum compositurus: Subvehite me, ait astantibus. Mox ego, qui ex ejus verbis aliquam dicendi occasionem semper captabam, et vultum ejus jam immutari videbam: En, aio, subvectus es: sed altius, et in cœlum ipsum subvehendus. Ecce chorus angelorum, et ille cœlestis militiæ exercitus, qui hodie de cœlis in mundum descendit ad personandas Dei laudes, et ad pios omnes exhilarandos, ad te etiam accessit, teque circumstat, illi adjuncto fratre tuo a Gallione. (Erat enim ei frater ille prior novæ Charthusiæ Gallionensis charissimus et desideratissimus, cum propter naturæ et magnæ necessitudinis, quæ illis ab infantia intercesserat, vinculum, tum propter singularem animi ejus candorem, et summam vitæ integritatem.) En, ecce, aio, hi te omnes apertos sinu et obviis ulnis excepturi expectant, eo erga te, quo erga Lazarum, functuri officio, utque hinc cum illis in cœlum migres. Tum, Amen inquiens (præsente et audiente communi amico Genebrardo) obdormivit in Domino inter meos amplexus, postquam annos plus viginti continuos simul amicissime et in utraque fortuna versati sumus,

Dicere enim aliquando solebat cum de me aliis sermones sereret, nos dextras societatis (sic enim de alumno suo amice loqui solebat) dedisse, nulla nisi mortis disjungendas. Quod summo Dei beneficio inter alia multa mihi contigit. Nec enim ullo alio unquam diutius et familiarius usus est, nec alteri cuiquam (ni fallor) sua libentius ac fidelius arcana commisit. Quas ob res, et in grati animi testificationem hoc ejus elogium scripsi, eique luctuosissime parentavi. Obiit autem servus Domini, et litterarum decus anno ætatis suæ quadragesimo septimo, Lutetiæ Parisiorum, in ædibus amici Gilberti Genebrardi theologi Parisiensis, divinarum Hebraicarum litterarum professoris, anno salutis MDCXXXI hora nona serotina diei illius quo Christus Dominus in mundum venit, ut eum, cæterosque pios ejus similes in cœlum assumeret. Ejus corpus multis studiis, vigiliis, ac laboribus pro Dei Ecclesia dum viveret protritum et exhaustum, in choro ædis Sancto Severino sacræ ad magni altaris dextram dormit in pulvere, donec a Domino excitetur, ac beatæ animæ sanctorum laborum suorum sociæ et consorti iterum uniatur.

⁹⁶ Gen. xxxii, 2. ⁹⁷ IV Reg. ii, 11. ⁹⁸ Psal. xxxiii, 8. ⁹⁹ Prov. xviii, 17. ¹⁰⁰ Philipp. i, 21. ¹⁰¹ Matth. xiii, 52. ¹ Num. xxi, 8. ² Gen. xlviii, 12, 13.

SIMILIA QUIBUS D. GREGORIUS NAZIANZENSIS IN SUIS IPSIUS SCRIPTIS EST USUS

ORDINE LITTERARIO DIGESTA

A

- Equalitas rerum omnium apud Deum : et in corporibus eminentes ac demissæ partes ex quibus pulchritudo nascitur, seu etiam quæ se in terra efferrunt, et quæ subsidunt, 280.
 Amicitia, et flamma ignis, 259.
 Amicorum disjunctorum redintegratio; et plantarum per vim in diversum tractarum rennio, 185.
 Amicus post afflictionem, et post hostilem impetum suppetiæ, seu etiam post tempestatem gubernator, post cicatricem medicina, 245.
 Amores corporum, et flores veris, seu etiam flamma, 785.
 Anima versuta ac fide dubia prædita, et vulpes, 497.
 Anima multiplici virtutis et disciplinæ genere ornata, et navis omnis generis mercibus onerata, 202.
 Animarum curandarum ratio, et corporum medicina, 25.
 Animi nobilis et egregia indoles, vanis studiis occupata, et imperiti athletæ aerem plus quam corpora ferientes, 389.
 Animus, et via, 33.
 Antistes, et qui multiplicem ac variam belluam cicurare ac ducere aggreditur, 33.
 Athanasius, et adamas, sive magnes, 406.
 Avarus, et facultates raptu collectæ, 881.
 Avarus, et infernus, ignis. mare, et si qualia impleri nequeunt 314.

B

- Baptismi ministri probi vel mali; et annuli diversæ materiæ, 712.
 Ad baptismum accedentes, et febricitantes, 699.
 Basilius, et aquila, 251.
 Basilius adhuc juvenis, et pullus equinus vel vitulus, 779.
 Basilius officio probe functis benignus, peccantibus autem severus, et leo, seu etiam histrio, 819.
 Basilius, et sol, 821.
 Bellum civile ac domesticum foventes, et qui proprias carnes morsibus appetunt, 438.

C

- Calamitates, et ignis, 320.
 Caritas, et plantæ, per vim in diversum tractæ, et deinde laxatæ, 425.
 Christiani in virtute quotidie non proficientes, et trochi scutiæ vi in orbem rotati, 147.
 Christiani Catholici, et milites ejusdem exercitus invicem se ex armorum signis agnoscentes, 625.
 Christiani Catholici inter se dissidentes, et furentes qui in proprias carnes sæviunt, 158.
 Christiani mortui qui loco male atque improbe distrahuntur, cum doctrinæ vinculo constricti sunt : et oculi distorti unam eandemque rem cernentes; ac non obtutu, sed situ duntaxat inter se dissidentes, 758.
 Christianorum linguæ, et Nili cataractæ, vel etiam solis radius, 174.

- A Christus aliorum salus, et aliorum ruina; et regula recto parcens, et superfluum resicans; itemque sol sanis oculis splendorem afferens, et imbecilles obscurans, 322.
 Christus Judæis quædam permittens; et medicis ægrotis, 572.
 Concio gravidam mentem feriens, et ferrum siliicem, 32.
 Constantes in adversis, et petra, 478.
 Contentio et flamma per stipulam currens, 417.

D

- De Dei natura disputantes : et qui aerem totum haurire tentant, 552.
 Deum cognoscere cupientes, sine corporearum ac sensilium rerum adminiculo; et qui umbram suam antevertere, vel etiam oculos rebus in aspectum cadentibus citra intermediam lucem et aerem conjungere, aut pisces extra undas volvere conantur, 505.
 Deus, et sol, 235. 497. 693.
 Deus animæ morbum adventu suo indicans, et sol oculorum imbecillitatem prodens, 255.
 Deus, hujus universi conditor : et citharæodus, seu citharæ confector, 499.
 Deus muneribus nostris vinci nequit : et umbram suam nemo præterire, ut nec corporis magnitudo supra caput sese efferre potest, 272. 273.
 Deus Pater essentia trinus, et fons quinam bifidus ac bifidus, *Vide infra* Tribitas.
 Disputantes acrius pro verbo quam par sit : et insani, 492.
 Ex disputationis unius tædio, ad cæteras omnes nauseantes, et qui ex unius cibi fastidio eihos omnes aversantur, 557.
 Disputationibus stringendis vel solvendis dediti, et qui in theatris certamina proponunt, 488.
 Dissidii compositio, et membrorum corporis consensus, 184.
 Dissidium Christianorum, et nocturna pugna, 51.
 Doctrina, et cibus, 317.
 Doctrina jejuna ac minuta, et araneorum telæ, 468.
 Doctrinam adulterantes, et qui vinum aquæ miscent, 34.

E

- Ecclesia, et corpus humanum, 586.
 Ecclesia Dei, et Mosis tabernaculum, 568.
 Ecclesia recte composita, et hortus, cælum, et corpus, 250.
 Ecclesiæ pastores, et membra corporis, 12.
 Episcopatum ambientes lucris causa, et navigantes quæstus gratia, 641.
 Episcopi, et in pendulo et sublimi fove gradientes, 28.
 Episcopi, et pastores, 16.
 Episcopus vel concionator evangelicus : et belluæ multorum capitum moderator, 34.
 Ethnici a divino afflatu constitutionis suæ robur non habentes, et radices quæ quod stabili loco minime fixæ sint undis feruntur, 140.

F

Felicitatis præsentis conservatio, et ægrorum corporum curatio, 170.
 Fidei desertores, et semen supra petram siccam seminatum, 82.
 Fidem nostram irridentes ut incertam, et qui oculorum vel aurium vitio laborant, 33.
 Filius Dei, et solis splendor, 382.
 Filius Dei homo factus, et sol nube tectus, 903.
 Filius Dei iniquitates nostras in se suscipiens, et ignis ceram conficiens, aut etiam solis radius terre vaporem absorbens, 543.
 Filius Dei, et Spiritus sanctus, et lumen ex sole, 467.
 Fortunarum omnium suarum periculo dimicans, et malus pugili seu etiam gubernator navis, 152.

G

Gregorius acerbitate et mœstitia impletus, et puerorum ad fulgetra affectio, 256.
 Gregorius et silix ex quo latens ferro excutitur ignis, 365.
 Gregorius cum amicis in gratiam rediens, et plantæ per vim in diversum tractæ, ac deinde laxatæ, 185.
 Gregorius maledictis impetitus, et arbor excelsa onam auræ circumfluunt, 420.
 Gregorius Basilii laudes celebrans: et athletæ currentes, 777.
 Gregorius de disciplinis et litteris locuturus, et qui quod in aere et terra est aut utile aut gratum decerpunt: aut etiam qui igne, cibo vel ferro utuntur, 778.
 Gregorius, et polypus, 785.
 Gregorius Ecclesiam Constantinopolitanam suscipiens, et navi periclitanti, vel urbi obsidione cinciatæ opem ferentes, vel etiam ædibus flammis conflagrantibus aquam injicientes, 639.
 Gregorius ad suum rediens episcopatum: et fluvius, qui non nisi coactus per accliviam fertur, sed per decliviam celerrime labitur, 472.
 Gregorius oblectamentis labores dissolvens, et cornuum arcus laxatio, 477.

H

Hæresis, et letale poculum, 898.
 Hæresis contrita paululum adhuc et languide palpitans, et serpentis intercisæ cauda, 620.
 Hæretici Ecclesiæ gloriam detondentes, et qui Sampsoni crinem abstulerunt, vel etiam arcem quamdam expugnantes, 402.
 Hæretici Catholicorum erratis imminentes, et muscæ vulneribus, 491.
 Homines sub imperio, et membra corporis, 113.
 Hominis passiones, et anni partes, 840.
 Homo prudens ac cordatus, et aurum, 17.
 Homo sapiens in sermone, peritus autem animo, et sepulera, 301.
 Homo erectus incedens, et qui navigat, 277.
 Homo fortis et generosus, et equus, 581.

I

Improbitas, et flamma, 426.
 Impuri de Deo disputantes, et qui ægris oculis solis radios intuentur, 489.
 Inconstantes, et polypi, 641.
 Inimicitias exercentes, et eadem terra, quæ sanis innota, et vertigine laborantibus videtur instabilis, 417. Seu etiam idem columnarum intervallum, quod his qui propius majus, qui longius remoti sunt, minus videtur, *ibid.*
 Iratus, et Ætna, 129

A

J

Julianus, et Rapsaces, 138, et simia, 139.
 Julianus, et qui sementem facit, aut qui ignem excitat, 157.
 Julianus, et Ætneus ignis, 120.
 Julianus, et Chamæleon, 105, vel etiam Proteus, *ibid.* et 118.
 Julianus adversus Christianos, et venator, 106.
 Julianus, et ii qui cibis toxicum immiscent, 117.
 Julianus multiplices Christianis persecutiones parans, et draco, atque etiam fulmen, 128.
 Julianus suam occultans impietatem, et ignis in obscura et crassa materia latens, vel fontes per specus quosdam fluentes, 90.
 Juventus imperita, et temeritas inconsulta, 48.

L

B

Lex vetus, et medicus, vel etiam prucens equorum domitor, 854.
 Lex vetus, et maceria, 854.

M

Machabæi septem martyrium patientes, et fluctuum jactatio, 296.
 Machabæorum septem fratrum mater suos filios cernens in tormentis, et avicula pullos suos ab angue arripi contuens, 294.
 Martyres, et nodi, 366.
 Martyrum gloria ex mysteriis istis migrantium, et sol ex nube qua obducebatur prius liberatus, et ver post hiemem, atque etiam sedatis ventis æquor, 440.
 Mens quæ id quod sentit verbis exprimere nequit, et incessus hominum torpore laborantium, 780.
 Mœror, et zizania, 256.
 Mors, et portus, 352.
 Mortui, et peregrini qui in patriam redierunt, 332.
 Multitudo populi, et instrumentum musicum multis flidibus constans, 31.
 Multitudo cupiditates suas coercens, et ignis in materia latens, aut amnis repressus, 122.

N

Nomæ Gregorii matris pietas, et sol, 357.

O

Officium suum deserentes, et athletæ leges palæstræ non servantes, item et ægroti medico maledicentes, 322.

P

Pastores imperite docentes, et sepix, 757.
 Pastoris functio, et cibus, 250.
 Peccator, et aspis surda obturans aures suas, 22.
 Peccatores seipsos gravissimis malis afficientes, et qui carnes proprias commordent, 22.
 Philosophantes extra tempus, et athletæ extra arenam præstantissimos se jactantes, vel etiam gubernatores artem suam in tranquillitate magni facientes, 478.
 Philosophi in speciem sciti et elegantes, et mureculæ nativa pulchritudine destitutæ, ad colores confugientes, 345.
 Pietatis cultores ab orthodoxis non in parvis dogmatis præcisi, et aqua quæ manu comprehensa per digitos effluit, 409.
 Præcepta sapientum, et stimulus, 891.

Præfeci ecclesiastici, et subterraneæ aquæ, A	
	757.
Præfectorum ac subditorum conditio, et varii variorum animalium motus atque impetus, sicut et ætatum ac qualitatum inter homines discrimen,	401.
Prosperitas, et venti, aut etiam litteræ in arena scriptæ,	270.

S

Salutis viæ, et vitæ humanæ instituta,	604.
Sapientiæ defectus et excessus, et regulæ additio aut subtractio,	584.
Seminis germina, et venti naufragia,	425.
Senectus prudens, et considerata tarditas,	48.
Sermo, et musicus concentus,	155.
Sermo, et cibus,	317.
Sermo de rebus suavissimis, et oculi spectacula cernentes,	781. B
Sophistarum contentionibus qui oblectantur, et qui equestribus certaminibus lætantur,	781.
Tudium præceps, et semina quæ in petras ceciderunt, et fundamentum in arena jactum.	48.
Trinitas, et margarita undique surgens,	657.
Trinitas, et sol, radius, atque lux,	576.

V

Verba stulta, quibus nugacitas conjuncta es, et variæ animæ curæ quas multiplex insomniorum species subsequitur,	881.
Verba vana, et magna insomniorum ars,	881.
Via impura iter facientes, ac sese leviter inquinantes, et qui compedibus vincti non nihil progrediuntur,	705.
Violentia ac necessitate expressum, et planta per vim manibus inflexa,	19.
Vir parvus onus aliquod subiens, et qui turrim ædificat,	59.
Virgo tota Deo amore conjuncta, et aquarum profluvia pluviæ canalibus inclusa,	653.
Virtutem amplectentes, et qui clarissimæ lucis tempore iter faciunt,	876.
Virtutum præstantissima, et prati florum fragrantissimus, et pulcherrimus,	258.
Vita, et carcer, seu etiam stadium,	323.
Vita hominum, et torrentium transitus,	874.
Vita activa et contemplativa, et mare ac terra,	817.
Vita humana, et mare,	477.
Vitæ humanæ vanitas, et avis volatus, navis in mari, pulvis, vapor, ros matutinus, flos,	211.
Vitiose implicant, et qui in obscura caligine oberrant,	45.
Vitium, et aqua, sive etiam festuca,	425.
Vitium, et absinthium,	18.

PROVERBIA QUÆ SCITE ET APPOSITE CITAVIT D. GREGORIUS NAZIANZENSUS.

A		C	
Absalonis manus,	394.	Luto lutum purgare,	466.
In abyssi vestigiis deambulantes,	504.	Luto margaritam committere,	736.
Auri imbecillæ tonitruum sonum committere,	736.	M	
B		Manibus vinctis linguam armare,	492.
Bilis etiam aliqua utilitas,	426.	N	
Briarei manus,	334.	Nudo capite in tragitium prorumpere,	22.
C		O	
Crates Cratetem Thebanum libertate donat,	810.	Obolo nihil præstantius,	145.
F		P	
Ferrum quandiu calet, frigida obduretur,	711.	Pedites ad Lydum currum,	787.
Figulinam in dolio discere,	35.	Phœbus sine ære non divinat,	145.
In fonte medio siti cruciari,	709.	S	
Frontem perfricare,	22.	Saul num inter prophetas?	16. 235.
G		Solem infirmis oculis committere,	736.
Gutta cavat lapidem sæpe cadendo,	337. D	Sus in cæno provoluta,	101.
H		U	
Hirundo una non facit ver,	687.	Ultra Gades transmeare non omnibus concessum,	789.
L		V	
Lacte adhuc utentibus solidum cibum committere,	736.	Vestem hanc Histæus consuit, induit autem Aristagoras; de Samiorum tyrannide,	157.
Leonem ab unguibus laudare, et statuam ab ambra,	225.	Vulneribus scatenis, aliis mederi temptat.	18.

MONITUM IN SEQUEMTEM ORATIONEM ⁽⁷⁸⁾.

—

I. Inter orationes Gregorii primam illa sibi sedem vindicat, quæ quadragesimo primo loco ab editoribus Parisiensibus numeratur; quamvis in omnibus pene codicibus cæteris præmissa sit orationibus. Regii namque plusquam quadraginta sunt codices, in quibus ordine prima est *Oratio in Pascha et tarditatem*. Primum quoque locum tenet in Anglicanis, imperatoriis, etc., ut vel ex editis catalogis notum. Quin ipsa orationis verba eam omnium primam esse ostendunt satis. Ἀναστάσεως ἡμέρα, καὶ ἡ ἀρχὴ δεξιὰ. « Resurrectionis, inquit, dies faustumque principium. »—« Principium, inquam, sermonum et initi pastoralis officii. » Ἀρχὴ τῶν λόγων μου, καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ διδάσκειν καὶ τοῦ προσηλασθαι. Ita post veterem scholiastam Nicetas. Ἐντεῦθεν γάρ, ait apud Lambecium (79) ille, ὁ θεϊότατος οὗτος Πατήρ τῶν ἑαυτοῦ λόγων ἀπήρξατο. Id est: « Hinc enim divinissimus ille Pater sermonum suorum initium duxit. »

II. Idem astruit Basilus insigni scholio, quod in commentario exhibetur: imo ineditus alter scholiasta, qui in Colb. cod. 3063, in orationem secundam in Pascha, hæc verba: Ὁ λόγος Θεοῦ, « O verbum Dei, » etc., sic commentatur (80): « Habes itaque nunc orationem hanc nostram, non quidem primitias, neque primam, ut illa (quæ sic incipit) Resurrectionis dies. » In eam denique sententiam cum veteres tum recentiores iverunt. Nec enim moror quod Leuvenklaius in sua nuncupatoria epistola ait: « Ratione temporis, siquidem Eliæ Cretensi et Nicetæ Serronio credimus, esse prima debeat oratio, » quæ in Parisiensi Græco-Latina editione ordine secunda est. Etenim longe aliam esse Nicetæ mentem modo vidimus. Eliæ vero sententiam alibi refellemus, quam interim explodit satis utriusque orationis principium, et finis istius: ubi Theologus: « Jam sermones, inquit (81), habetis, quorum desiderio tantopere flagrabatis; » sermones hucusque denegatos, quorum studio eo amplius ardebant, quo diutius illi differebantur. Quæ quidem interpretatio non nostra, sed ipsius est Gregorii, ut tota oratio tertia, alias secunda, probat, atque in eam admonitio demonstrabit.

III. Hæc igitur prima omnium scripta dictaque fuit oratio anno Christi 362, pridie Kalendas Aprilis, qua die, juxta Bucherium, hoc anno festum Paschæ incidit. Qua vero occasione quibusve de causis, infra commodius admonitio in *Apologeticum magnum* declarabit. Brevis illa quidem oratio: verum certe, rerum habita ratione, amplissima; tametsi temere fluens et dissipata forsitan prima fronte videatur. In ea resurgentis Christi mysteria, cum defensione tarditatis suæ, et utrumque cum præceptis morum ita conjungit, ita singulis singula miscet, ut oratio panegyrica tota, tota moralis, apologetica tota pene possit appellari. In ea se idem accusat et defendit, demittit et extollit, paret et imperat, benevolentiam captat et objurgat. Denique dum esse pastor bonus exoptat, ipsum quem esse exoptabat, se demonstrat, et Christo alacriter commorientem et una simul resurgentem, novum hominem, quem pastorem oves sequi debeant et audire. Munerum autem injecta mentio, quam artificiosa, quam apta festo, præceptis morum, laudibus patris, sibi ipsi tam magnifice quam modeste ac necessario, novo sub patre pastori vicario, commendando! Atque hæc est prima Gregorii, et, si Basilio credimus extemporalis oratio.

(78) In omnibus pene mss. hæc oratio primam sedem occupat.

(79) Lambec. in catal. ad cod. 97.

(80) Νῦν μὲν ἔχεις τὸν λόγον τοῦτον, οὐκ ἀπαρχὴν, οὐδὲ πρῶτον, ὡς τὸ, ἀναστάσεως ἡμέρα.

(81) In *Monito* ad orat. 3.

—

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ
ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ ΤΟΥ ΘΕΟΛΟΓΟΥ (82)

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ

ΛΟΓΟΙ.

S. P. N. GREGORII THEOLOGI
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI
ORATIONES.

ORATIO I^a.

3 *In sanctum Pascha et in tarditatem.*

I. Resurrectionis dies, faustumque principium. Hac celebritate exsplendescamus, ac mutuo nos complectamur. Dicamus, fratres, his etiam qui nos oderunt ^a, nedum his qui per charitatem aliquid fecerunt, vel passi sunt. Resurrectioni omnia condonemus; veniam alii aliis demus, tum ego qui laudabilem vim perpessus sum, hoc enim nunc adjicio, tum ^b vos qui laudabiliter vim attulistis, si quid est quod mihi tarditatis causa succenseatis. Quandoquidem ea fortassis apud Deum melior est atque præstantior quam aliorum celeritas. Bonum enim est, et Deo parumper sese subducere, ut Moyses ille olim ^c, ac postea Hieremias ^d, et rursus ad vocantem prompte atque impigre accurrere, quemadmodum Aaron ^e et Isaias ^f, modo utrumque pio animo fiat, alterum ob propriam infirmitatem, alterum ob vocantis potentiam.

II. Mysterium unxit me; mysterio paululum secessi, quoad ipse me explorassem; cum mysterio etiam simul introeo, præclarum timiditatis infirmitatisque meæ adiutorem, diem hunc asciscens, ut, qui hodierno die a mortuis surrexit, idem me quo-

^a Isa. lxvi, 5. ^b Exod. iv, 43. ^c Jerem. i, 6. ^d Exod. iv, 27. ^e Isa. vi, 8.

^a Alias XLI, quæ autem I erat, nunc 2.—Habita anno 562.

(82) Θεολόγου. Gregorio nobile Theologi cognomen ascribunt ducenti saltem manu exarati codices. Vide in Præf.

(83) Τὸ ἅγιον Πάσχα. Sic Par.; deest in pluribus.

(84) Δι' ἀγάπην. Billius, « propter charitatem et benevolentiam. »

(85) Μέμφουσθε. Par. cod. μέμφεσθε.

A

ΛΟΓΟΣ Α'.

Εἰς τὸ ἅγιον Πάσχα (83) καὶ εἰς τὴν βραδυτῆτα.

A'. Ἀναστάσεως ἡμέρα, καὶ ἡ ἀρχὴ δεξιᾶ, καὶ λαμπρυνθῶμεν τῇ πανηγύρει, καὶ ἀλλήλους περιπτυσώμεθα· εἴπωμεν, ἀδελφοί, καὶ τοῖς μισοῦσιν ἡμᾶς, μὴ ὅτι τοῖς δι' ἀγάπην (84) τι πεποιηκόσιν, ἢ πεπονηόσι· συγχωρήσωμεν πάντα τῇ ἀναστάσει· δῶμεν συγγνώμην ἀλλήλοις, ἐγὼ τε ὁ τυραννιθεὶς τὴν καλὴν τυραννίδα, τοῦτο γὰρ νῦν προστίθημι, καὶ ὑμεῖς οἱ καλῶς τυραννήσαντες, εἰ τί μοι μέμφουσθε (85) τῆς βραδυτῆτος, ὡς τάχα γε κρείττων (86) αὕτη καὶ τιμιωτέρα Θεῷ τῆς ἐτέρων ταχυτῆτος· ἀγαθὸν γὰρ καὶ ὑποχωρῆσαι Θεῷ τι μικρόν, ὡς Μωϋσῆς ἐκεῖνος τὸ παλαιόν, καὶ Ἱερεμίας ὑπερῶν, καὶ προσδραμεῖν ἐτοίμως καλοῦντι, ὡς Ἀαρὼν τε καὶ Ἡσαΐας, μόνον εὐσεβῶς ἀμφοτέρω, τὸ μὲν διὰ τὴν οἰκειαν ἀσθένειαν (87), τὸ δὲ διὰ τὴν τοῦ καλοῦντος δύναμιν.

B'. Μυστήριον ἔχρισέ με, μυστηρίῳ μικρόν ὑπεχώρησα (88), ὅσον ἐμαυτὸν ἐπισκέψασθαι· μυστηρίῳ καὶ συνεισέρχομαι (89), καλὴν ἐπαγόμενος τῆς ἐμῆς δειλίας καὶ ἀσθενείας ἐπίκουρον τὴν ἡμέραν, ἔν' ὁ σήμερον ἐκ νεκρῶν ἀναστὰς κάμει καινοποίησιν τῷ

(86) Ὡς τάχα γε κρείττων. « Quandoquidem. » Sic Bas., rectius quam Nicetas, quem secutus est Bil. qui veritit « quanquam. »

(87) Ἀσθένειαν. Bil. « imbecillitatem. »

(88) Ὑπεχώρησα. Bil. « cessi ut meisum inspicere et explorarem. »

(89) Συνεισέρχομαι. Par. συνέρχομαι.

πνεύματι, καὶ πᾶν καινὸν (90) ἐνδύσας ἄνθρωπον, δὴ ἅ
τῇ καινῇ κτίσει (91), τοῖς κατὰ Θεὸν γεννωμένοις,
πλάστην ἀγαθὸν καὶ διδάσκαλον Χριστῷ καὶ συννεκρού-
μενον προθύμως καὶ συνανιστάμενον.

Γ'. Χθὲς ὁ ἀμνὸς ἐσφάζετο, καὶ ἐχρίοντο αἱ φιλαι,
καὶ ἐθρήνησεν Αἴγυπτος τὰ πρωτότοκα, καὶ ἡμᾶς
παρήλθεν ὁ ὀλοθρευτὴν, καὶ ἡ σφραγὶς φοβερά καὶ αἰ-
δέσιμος, καὶ τῷ τιμῷ αἵματι ἐτειχίσθημεν (92)· σή-
μερον καθαρῶς ἐφύγομεν Αἴγυπτον, καὶ Φαραῶ τὸν
πικρὸν δεσπότην, καὶ τοὺς βαρεῖς ἐπιστάτας, καὶ τοῦ
πηλοῦ καὶ τῆς πλινθείας (93) ἠλευθερώθημεν (94)·
καὶ οὐδεὶς ὁ κυλώσων ἡμᾶς ἐορτάζειν Κυρίῳ τῷ Θεῷ
ἡμῶν ἐορτὴν τὴν ἐξόδιον, καὶ ἐορτάζειν, οὐκ ἐν ζύ-
μη παλιῷ κακίας καὶ πονηρίας, ἀλλ' ἐν ἀζύμοις
ἐλικρινείας καὶ ἀληθείας, μηδὲν ἐπιφερομένους (95) B
Αἰγυπτιακοῦ καὶ ἄθεου φαρμάκου.

Δ'. Χθὲς συνεσταυρούμην Χριστῷ, σήμερον συνδο-
ξάζομαι· χθὲς συνεθαπτόμην, σήμερον συνεγείρομαι. Ἀλλὰ
καρποφορήσωμεν (96) τῷ ὑπὲρ ἡμῶν παθόντι (97) καὶ
ἀναστάντι. Χρυσὸν με ἰσως οἴεσθε λέγειν, ἢ ἄργυρον,
ἢ ὑφάσματα, ἢ λίθους τῶν διαφανῶν καὶ τιμίων, γῆς
βέουσαν ὕλην, καὶ κάτω μένουσαν, ἥς ἀεὶ τὸ πλεῖον
ἐχουσιν οἱ κακοὶ καὶ δοῦλοι τῶν κάτω καὶ τοῦ κοσμο-
κράτορος (98). Καρποφορήσωμεν ἡμᾶς αὐτοὺς, τὸ τι-
μιώτατον Θεῷ κτῆμα καὶ οἰκειότατον (99)· ἀποδώμεν
τῇ εἰκόνι (1) τὸ κατ' εἰκόνα, γνωρίσωμεν ἡμῶν
τὸ ζῆλωμα, τιμῆσωμεν τὸ ἀρχέτυπον, γινώμεν τοῦ
μυστηρίου τὴν δύναμιν, καὶ ὑπὲρ τίνος (2) Χριστὸς C
ἀπέθανε.

Ε'. Γενώμεθα ὡς Χριστὸς, ἐπεὶ καὶ Χριστὸς ὡς
ἡμεῖς· γενώμεθα θεοὶ δι' αὐτὸν, ἐπειδὴ κάκεινος δι'
ἡμᾶς ἄνθρωπος. Προσέλαβε τὸ χεῖρον, ἵνα δὴ τὸ βέλ-
τιον· ἐπτώχευσεν (3), ἵν' ἡμεῖς τῇ ἐκείνου πτωχείᾳ
πλουτήσωμεν· δούλου μορφήν ἔλαβεν, ἵνα τὴν ἔλευ-

⁹⁰ Ephes. iv, 25, 24. ⁹¹ Joan. i, 15. ⁹² Rom. vi, 8.

que spiritu innovet, novoque indutum homine ⁹⁰,
novæ creaturæ, hoc est iis qui secundum Deum
nascuntur ⁹¹, fictorem bonum et magistrum donet
cum Christo alacri animo et morientem et resur-
gentem ⁹².

III. Heri agnus mactabatur, et postes ungebantur,
luxitque primogenita Ægyptus, ac nos extermina-
tor præteriit, signaculum quippe terrori ipsi ac ve-
nerationi fuit, pretiosoque sanguine protecti sumus.
Hodie Ægyptum omnino fugimus, et amarulentum
illum dominum Pharaonem, et acerbos præfectos;
ac luto et lateritio opere liberati sumus, nec quis-
quam est, qui nos Domino Deo nostro exitus fe-
stum celebrare prohibeat; et quidem celebrare, non
in fermento veteri malitiæ et nequitiae, sed in azymis
sinceritatis et veritatis ¹¹, nihil Ægyptiaci atque
impii fermenti nobiscum ferentes.

IV. Heri cum Christo in crucem agebar, hodie
simul glorificor; heri commoriebar, hodie simul vi-
vificor; heri consepeliebar, hodie simul resurgo.
Itaque ei, qui pro nobis passus est ac resurrexit,
offeramus. Aurum fortasse dicere me putatis, aut
argentum, aut texturas, aut pellucidos et ingentis
pretii lapides, fluxam fragilemque terræ materiam,
humique manentem, cujus majorem partem impro-
bi fere et servi rerum ⁵ terrenarum ac mundi
principis possident. Imo vero nosmetipsos offera-
mus, hoc est possessionem Deo pretiosissimam,
maximeque propriam. Imagini reddamus quod ima-
gini congruit, dignitatem nostram agnoscamus,
exemplar honore prosequamur, mysterii vim intel-
ligamus, et cujus rei gratia Christus morte functus
est.

V. Simus ut Christus, quoniam Christus quoque
sicut nos. Efficiamur dii propter ipsum, quoniam
ipse quoque propter nos homo. Assumpsit quod
deterius erat, ut daret quod præstantius est. Ege-
nus factus est, ut illius nos inopia divites esse-

¹¹ I Cor. v, 8.

(90) Τὸν καινόν. Coisl. 1, τὸν νέον.

(91) Κτίσει. In edit. Par. κτήσει, mennoose.

(92) Ἐτειχίσθημεν. «Quasi muro vallati sumus.»

(95) Καὶ τῆς πλινθείας. Bil. «et laterum con-
fectione.»

(94) ἠλευθερώθημεν. Par. cod. ἠλευθερώμεθα.

(95) Ἐπιφερομένους. Ἐπιφέροντες. «Nihil in-
ferentes Ægyptiaci atque impii fermenti.» Impium
Arii dogma intelligit, ut observat Nicetas.

(96) Ἀλλὰ καρποφορήσωμεν. «Jam vero offera-
mus.» Mos olim fuit, ut in celebratibus, tum sa-
cris, tum profanis, dona offerrentur Deo, imperatori,
victori. Quam quidem in Ecclesia consuetudinem
viguisse canones passim et historiae loquuntur. Deus
ipse sibi dona offerri præcepit populo suo his ver-
bis, ubi de celebrandis tribus præcipuis festis leges
statuit: «Non apparebis in conspectu meo vacuus.»
(Exod. xxiii, 15; xxxiv, 20; Deut. xvi, 16.) Eadem
non semel repetit. Credo equidem Gregorii sermo-
nem ad hæc Moysis verba spectare. Sic etiam Do-
rotheo Archimandritæ visum est. «Quandoquidem,»
inquit, doctrina 22, Bibl. PP. Græco-Lat. ed. Par.
1624, t. II, p. 858, «in festivis et panegyricis cœ-
libus Domino dona filii Israel ex lege quondam offe-

rebant, hortatur S. Gregorius, ut quemadmodum
illi, ita et nos festum agamus.» Ἐπειδὴ τὸ παλαιὸν
οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἐορταῖς ἢ ταῖς πανηγύρεσι προσέφε-
ρον δῶρα τῷ Κυρίῳ κατὰ τὸν νόμον.... παραινεῖ ἡμῖν
ὁ ἅγιος Γρηγόριος ἐορτάσαι ὡσπερ ἐκεῖνοι.

ρους, ἂν ἄρα δυνατὸν (99), τῷ καθ' ἡμᾶς ὑποδείγματι. A Eὶ τῷ (1) πέπονθεν υἱός, εἴ τῷ πατὴρ, εἴ τῷ γυνή, συγγενής; (2), φίλος, ἢ ἄλλος τις τῶν τιμίων, πᾶσι τὸ παθεῖν ἔμμισθον καταστήσωμεν (3), διὰ τοῦ πείσαι φέρειν καρτερώς ἃ πεπόνθασι· τοῦτο μείζον αὐτοῖς ἢ ἄλλο τι χαριούμεθα (4). Εἴπω καὶ τὸ μέγιστον ὧν εὖ πάσχομεν; δῆμοι καταβοῶνται καὶ πόλεσιν οἱ θιώξαντες, ἐν θεάτροις, ἐν ἀγοραῖς, ἐν συλλόγοις· τὰ παλαιὰ μακαρίζεται, τὰ νέα στηλιτεύεται, καὶ παρ' αὐτῶν τῶν συνδιωζάντων, ὃ καὶ παράδοξον, αὐτοὶ καθέλκονται παρ' αὐτῶν μετὰ πάσης καταβοήσεως (5) οἱ θεοὶ, ὡς πολὺν αὐτοὺς ἀπατήσαντες (6) χρόνον, καὶ ὄψέ ποτε (7) τῆς ἀπάτης ἐληλεγκμένης· καὶ ὁ χθὲς προσκυνητῆς σημερον ὕδριστός. Τούτων τί μείζον ἐπιζητούμεν; Νῦν ταῦτα καὶ ἴσως μικρὰ τοῖς ἀθλοῖς. Ἔσται καιρὸς, ἥνικα ὄψομαι τοὺς ἐμοὺς ὕδριστάς, καὶ τὸν μέγαν τούτων (8) καθηγῆτην, τὴν ἑαυτῶν ἀποκλειομένους κακίαν, ἥνικα ἂν πᾶσα κρίνηται καὶ βασανίζηται πονηρία.

capites deturbantur : isque, qui hesterni luce adorator erat, hodierna est conviciator. His quid majus, quid gravius exposcimus? Ac nunc quidem ista, et, ut fortasse miseri homines arbitrantur, exigua. Erit tempus, cum eos, a quibus contumelia affectus sum, ac magnum eorum ducem, improbitatem suam deplorantes videbo; tum nimirum, cum omnis iniquitas expendetur et examinabitur.

AH'. Ἐὼ τὰ θεῖα καὶ τὰ ἡμέτερα, καὶ τὰς καθ' ἡμᾶς (9) ἐκείθεν ἀποκειμένας μάστιγας· ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοὺς σοὺς ἐλθέ (10) λόγους καὶ φόβους οὐ ποιηταῖς μόνον (11), ἀλλὰ καὶ ἀνδράσι φιλοσόφοις ἀρέσκοντας, τοὺς Πυριφλεγέθοντάς (12) σου, καὶ τοὺς Κωκυτούς, καὶ τοὺς Ἀχέροντας, οἷς ἀδικίαν (13) κολάζουσι, Τάνταλος, Τιτύς, Ἴξιων. Ἰουλιανὸς ταύτης ὁ βασιλεὺς ὑμῶν τῆς φρατρίας, μετ' ἐκείνων ἀριθμηθήσεται, καὶ πρὸ ἐκείνων, κατὰ γε τὸν ἐμὸν λόγον καὶ ἔρον (14)· οὐ δέηη κολαζόμενος ἐν λίμναις ἐπιγενεῖσις, ἢ κορυφῆς ὑπερέλλοντα δειμαίνων πέτρον (15), ὡς τῇ τραγῳδίᾳ δοκεῖ, ἀεὶ μὲν ἀνωθούμενον, ἀεὶ δὲ κατασυρόμενον· οὐδὲ ροιζούμενον (16) τροχῷ συγκυκλούμενος, οὐδὲ ὄρνις τὸ ἦπαρ κειρόμενος, οὐποτε λείπον, ἀεὶ δὲ πληρούμενον· εἴτε ἀλήθεια ταῦτά ἐστιν, εἴτε μῦθος, παραδεικνύς τὴν ἀλήθειαν ἐν τοῖς πλάσμασιν· ἀλλ' ὄψομεθα τίσι καὶ οἷσι

mus, ne flagris cruciennus, ne denique, ut brevi complectar, quidquam eorum quæ perpessi sumus, faciamus. Eos quoque, si modo id possint, exemplo nostro faciliores ac benigniores reddamus. Si cui filius passus est, si cui pater, si cui uxor, aut cognatus, aut amicus, aut alius quispiam nobis charus, denus operam, ut cuique eorum mercedem cruciatus afferat, ipsis nimirum persuadentes, ut forti animo ferant quæ passi sunt. Hoc beneficio nullum majus ipsis dare possumus. Vultis beneficium omnium, quæ accepimus, maximum commemorare? Vulgi et civitatum clamoribus exagitantur, qui nos persecuti sunt, in theatris, in foro, in conventibus. Vetera beata prædicantur, nova maledictis omnibus ad infamiam sempiternam configuntur; quodque mirandum est, ab iis etiam qui persecutionis socii fuerunt, ipsimet dii, ut qui eos longo tempore deceperint, sero tandem deprehensa fraude atque impostura, ab ipsis cum omni clamore præcipites deturbantur : isque, qui hesterni luce adorator erat, hodierna est conviciator. His quid majus, quid gravius exposcimus? Ac nunc quidem ista, et, ut fortasse miseri homines arbitrantur, exigua. Erit tempus, cum eos, a quibus contumelia affectus sum, ac magnum eorum ducem, improbitatem suam deplorantes videbo; tum nimirum, cum omnis iniquitas expendetur et examinabitur.

XXXVIII. Mitto divina et nostra, eaque flagra, quæ juxta doctrinam nostram impios illic manent. Sed ad tuos tu sermones et terrores te confer, non poetis modo, sed philosophis quoque placentes; Pyriphlegethones, inquam, tuos, et Cocytos, et Acherontes, per quos injustitiam puniunt, Tantalus, Tityus, Ixion. Julianus imperator vester hujus sodalitiis est, ac cum illis, imo, ut quidem ipse statuo, ante illos recensebitur : non ille quidem sitis cruciatum in stagnis ad barbam usque prominentibus perpetuens, aut, ut tragœdiæ videtur, saxum expavescens grande cervici imminens, quod ut sursum semper impellitur, ita etiam semper deorsum labitur : aut hanc pœnam luens, ut magno impetu cum rota stridente volvatur, vel ipsius jecur ab avibus depascatur, nec tamen unquam deficiat, sed semper impleatur; sive veritas hæc sint, sive fabula,

(99) *Δυνατόν*. Quinque Reg., Colb. 3, Or. 1, Pass. *δυνατόσι*.

(1) *Τῷ*. Sine accentu, pro τινί, « cui, alicui. »

(2) *Συγγενής*, etc. Colb. 3, Pass. ἢ συγγενής, ἢ φίλος, ἢ, etc.

(3) *Τὸ παθεῖν ἔμμισθον καταστήσωμεν*. « Demus operam ut cuique eorum bene cedant acceptæ injuriæ, nec mercede careant. »

(4) *Χαριούμεθα*. Mont. γρ. χαρισόμεθα.

(5) *Καταβοήσεως*. Pass. *κακοβοήσεως*. Quæ lectio videtur optima.

(6) *Ἀπατήσαντες*. Ita Reg. hu, Coisl. 2, Pass., etc. In nonnullis tamen, ut in editis, *ἀδικήσαντες*, « injuria afflicientes. »

(7) *Ὀψέ ποτε*. Sic Pass., Sav., Combef., etc. Deest potè in edit.

(8) *Τούτων*. Herv. *τούτων*. Paulo post ἀποκλειομένων, « deplorantes, » duo Regg. ἀποκλειομένους, « defringentes. » Et mox, ἥνικα ἂν πᾶσα. Deest ἂν in tribus Regg. et Pass.

(9) *Καθ' ἡμᾶς*. Sic Pass. et alii plures. Tres vero Regg. καθ' ἡμῶν. « Sed falsa, » inquit Montac., « non enim nobis ista, sed Juliano et similibus repo-

sita sunt. » Correxit Billius. Reg. 1, Colb. 3, Coisl. 2. *Ὀκον*, καθ' ἡμῶν ἐπαναστάσεις, καὶ καθ' ἡμᾶς ἐκείθεν ἀποκειμένας μάστιγας.

(10) *Ἐπὶ τοὺς σοὺς ἐλθέ*. In Pass. aliisque nonnullis, deest ἐπὶ, et pro ἐλθέ legitur *διέλθε*. In quibusdam, ἐπὶ et διέλθε simul occurrunt; sed vacat ἐπὶ, servato διέλθε.

(11) *Μόρον*. Sic plerique codd. Editi vero, *μόνοις*.

(12) *Τοὺς Πυριφλεγέθοντας*. Sic rectius mss. codices. In edit. pro τοὺς ponitur καὶ. Pyriphlegethon, Cocytus et Acheron inferorum fluvii, juxta poetas.

(13) *Οἷς ἀδικίαν*, etc. « Quibus injustitiam comprimant, coercent, pœnæ suæ exemplo, Tantalus, » etc., ut bene interpretatur Elias. De Tantalus, Tityi et Ixionis cruciatibus, vide Ovid. *Metamorph.* iv, 5.

(14) *Κατὰ γε*, etc. Tres Regg., Colb. k, Or. 1, κατὰ γ' οὖν τὸν ἐμὸν ἔρον καὶ λόγον· οὐ δέηται, etc.

(15) *Δειμαίνων πέτρον*. Verba sunt Euripidis in *Orestæ*.

(16) *Ροιζούμενον*. Colb. k, *ροιζομένον*.

veritatem in augmentis indicans: 174 verum, quibus A tum et quantis poenis afficiatur, videlicet, quamque his gravioribus et acerbioribus, siquidem scelerum magnitudini ultiones et supplicia respondent.

XXXIX. Hoc tibi pro pede sit hospitale munus, vir optime, et sagacissime, ut te tuis verbis alloquar. Hæc nos, qui per magnam et admirandam legem tuam a sermonibus atque litteris exclusi fuimus. Videsne jam quod non futurum erat ut perpetuo taceremus, nec per decreta tua sermonibus ac litteris multaremur, sed liberam tandem vocem mitteremus, quæ soliditatem tuam refutaret? Ut enim nec cataractæ Nilii ab Æthiopia in Ægyptum cadentes, ulla arte inhiberi possunt, nec solis radius, tametsi nube aliquantisper obducatur; sic nec Christianorum lingua præpediri, ne res vestras insectetur atque traducat. Hæc tibi Basilus et Gregorius, conatus tui adversarii artisque amuli, quemadmodum et ipse arbitraberis, et aliis persuadebas, per ea quæ minabar, nos ornans, acriusque ad pietatem acuens, quos cum et vita, et sermone, et mutua concordia claros et celebres jam inde a Græcia esse nosset, Cyclopico honore afficiebas. postremoque ad persecutionem reservabas, ac fortasse tanquam triumphale quoddam ingens et magnificentum munus dæmonibus excogitabas, si te a Perside redeuntem excepissent, aut etiam ad barathrum tuum una abripere sperabas, improbe hoc tibi opinione fingens.

XL. Neque enim adolescentibus istis ignaviores sumus, qui in flammis rore perfusi sunt, et belluas C per fidem vicerunt, et cum forti matre, et fortiori sacerdote alacri animo periculis sese objecerunt; illudque planum ac perspicuum fecerunt, fidem unam ex omnibus rebus esse, quæ nulla vi expugnari queat: aut his, te imperante, juvenibus, 175 quorum alter, cum deorum tuorum matri contu-

(17) Τῶν ἀμαρτανομένων αἱ τίσεις καὶ ἀντιδόσεις. Ita magno consensu codices. Ed. Par. τῶν ἀμαρτανόντων. Pass. αἰτήσεις. Reg. h, ἀναποδόσεις.

(18) Ἄρτι ποδὸς ξεινήιον. « Hoc tibi pro pede sit hospitale munus, » id est, ut interpretatur Elias: « Hic tibi a nobis sermo, atque hæc pœnæ, pro ea, qua in Christiano usus es, crudelitate ac sævitia, te excipient. » Quod autem addit Gregorius: « ut te tuis verbis alloquar, » idcirco dixit, quod hæc D verba ex Homero, *Odyss.* xxii, vers. 290, sint desumpta. Unus enim e proci Penelopes, Ctesippus nomine, Ulysssem paupertatem simulantem bovis pede percusserat; cum vero proci caderentur, Ulyssis bubulcus hunc Ctesippum hæc ictu interemit, his eum verbis compellans:

Τοῦτό τοι ἀρτι ποδὸς ξεινήιον, ὃν ποτ' ἔδωκας Ἀρτιάκῳ Ὀδυσσῆϊ δόμον κατ' ἀληθέοντι.

Hoc tibi pro pede hospitale munus, quem nuper [dedisti

Divino Ulyssi domi suæ mendicanti.

quæ verba videntur a Gregorio usurpata, instar proberbii, pro « malum malo rependere. »

(19) Οὐδὲ ἀλογίαν. Billius: « silentio. »

(20) Ῥήξιν. Oxon. ῤῆξιν.

(21) Ἐλευθέριον. Sic mss. non pauci. Herv. et Par. Ἐλευθέριον.

τηνικαῦτα κολαζόμενος, καὶ ὡς πολὺ τούτων χαλεπότεροι, εἴπερ πρὸς μέτρον τῶν ἀμαρτανομένων αἰτίσεις καὶ ἀντιδόσεις (17).

Λθ'. Τοῦτό τοι ἀρτι ποδὸς ξεινήιον (18), ὃ λῶστε καὶ συνετώτατε, ἵνα σε προσεῖπω τοῖς σοῖς· ταῦτα οἱ τῶν λόγων ἀποκλεισθέντες ἡμεῖς, κατὰ τὴν μεγάλην καὶ θαυμαστὴν σου νομοθεσίαν. Ὁρῶς, ὡς οὐκ εἰς τέλος ἐμέλλομεν σιωπῆσθαι, οὐδὲ ἀλογίαν (19) κατακριθῆσθαι τοῖς σοῖς δόγμασιν, ἀλλὰ ῤῆξιν (20) φωνὴν ἐλευθέραν (21), καὶ τῆς σῆς ἐλεγχτικὴν ἀλογίας; Οὐτε τοὺς Νειλῖους (22) καταβράκτας ἐπισχεῖν μηχανή τις, τοὺς ἀπ' Αἰθιοπίας ὑπὲρ Αἰγύπτου (23) πίπτοντας, οὔτε ἠλιακὴν ἀκτίνα, κἄν πρὸς ὀλίγον νέφει καλύπτῃται· οὔτε Χριστιανῶν γλώσσαν πεδήσαι; B τὰ ὑμέτερα στηλιτεύουσαν. Ταῦτά σοι Βασίλειος καὶ Γρηγόριος, οἱ τῆς σῆς ἐγχειρήσεως ἀντιθετοὶ καὶ ἀντίτεχνοι, ὡς αὐτός τε φων, καὶ τοὺς ἄλλους ἐπειθεῖς, ἀποσεμνύων ἡμᾶς οἷς ἠπειλεῖς, καὶ θήγων πλέον πρὸς τὴν εὐσέβειαν, οὗς καὶ βίῳ, καὶ λόγῳ, καὶ τῇ πρὸς ἀλλήλους ὁμολογίᾳ περιφανεῖς, καὶ γνωρίμους ἐστ' ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος εἰδῶς, τὴν Κυκλώπειον ἐτίμας τμήν (24), καὶ τελευταίου ἐταμίμου τῷ διωγμῷ (25), καὶ δῶρον ἐπινίκιον Ἰσως ἐπενόεις (26) τοῖς δαίμοσι μέγα τι καὶ μεγαλοπρεπές, εἰ σε ἀπὸ τῆς Περσίδος ὑποδεξώμεθα (27) ἐπανήκοντα, ἣ καὶ συναρπάσειν πρὸς τὸ σὸν βάραθρον ἠλπίσας, κακῶς οἰόμενος.

M'. Οὐ γὰρ ἀγεννέστεροι τῶν νεανίσκων ἐκείνων ἡμεῖς, τῶν ἐν πυρὶ δροισθέντων καὶ θῆρας νικησάντων ἐκ πίστεως, καὶ μητρὶ γενναίᾳ, καὶ ἱερῇ γενναϊοτέρῳ προθύμῳ συγχινδυνευσάντων (28), καὶ δειξάντων, ὅτι μόνον τῶν ἀπάντων πίστις ἀνάλωτον (29)· ἣ τούτων δὴ τῶν ἐπὶ σοῦ νεανίσκων (30), ὧν ὁ μὲν τὴν μητέρα τῶν σῶν θεῶν καθυδρίσας, καὶ βωμὸν διασπείρας, προσήχθη μὲν ὡς κατάκριτος.

(22) Νειλῖους. Pass., Νελῖους. Heins., Νελίου.

(23) Αἰγύπτου. Reg. a, Αἰγύπτω.

(24) Τὴν Κυκλώπειον, etc. « Cyclopico honore afficiebas. » Cyclops Polyphemus, ut videtur est *Odyss.* ix, vers. 366, Ulyssi hospitale munus poscenti, quod promiserat pro dulci vino, respondit se ei hoc hospitale munus daturum, quod eum postremum omnium comederet.

Ὅστιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετὰ οἷς ἐτάροισι, τοὺς δ' ἄλλους πρόσθεν· τὸ δὲ τοι ξεινήιον ἔσται.

Neminem (id est Ulysssem) ego extremum edam [post suos socios,

Alios vero prius: hoc tibi hospitale munus erit.

(25) Διωγμῷ. Vocem hanc restituumus codicum omnium auctoritate. Billius legit; κινδύνῳ, et vertit: « ad periculum. »

(26) Ἐπενόεις. Alter codex, ἐπενόεις.

(27) Ὑποδεξώμεθα. Duo Regg. et Or. 1, ὑποδεξάμεθα. Quidam, ὑποδεξόμεθα. Alii, ὑποδέξωνται, « dæmones » nimirum. Quæ lectio, quam sequitur interpres, satis composita.

(28) Συγχινδυνευσάντων. Reg. a, συγχινδυνευοντων.

(29) Ἀνάλωτον. Reg. a, ἀνάλωτος.

(30) Νεανίσκων. Sic quique Reg., Colb. k, Or. 4, et Sav. in Reg. b, γρ. νεανεισζαμένων, quod se-

εισηλθε (31) δὲ ὡς νικηφόρος, καὶ πολλά σου τῆς Α αλουργίδος καὶ τῶν λόγων καταγλάσας, ὡς ψηφολογικῶν καὶ γελοίων, μετὰ πλείονος ἐξήλθε τῆς παρρησίας, ὡς εἴ τις (32) ἀπὸ δειπνοῦ ἐπαστραφέντων καὶ λαμπρῶς ἐστιάσεως· ὁ δὲ πᾶν (33) τὸ σῶμα δορκάλιοι καταξάνθεις εἰς βάλθος, καὶ μικρὰ πνέων ἐπι τοῖς τραύμασι, τοσοῦτον ἀπειχεν ἐνδιδόναι πρὸς τὰς βασάνους, ἢ δεινόν τι τῶν παρόντων νομίζειν, ὥστε, ἐπειδὴ τι τοῦ σώματος εἶδεν ἀνεπηρέαστον ταῖς πληγαῖς, καὶ προσητιάτο τοὺς βασανιστάς, ὡς ὕβριστάς, καὶ οὐ πᾶν τὸ σῶμα τιμήσαντας, ἀλλὰ τι παρέντας ἄξαντον καὶ ἀνιέρων· παραδεικνύς ἅμα τὴν κνήμην, ὡς μόνην διαφυγοῦσαν τοὺς ὄνυχας, καὶ μηδὲ ταύτης φεῖδεσθαι διακελευόμενος.

nime affectissent, verum aliquid non laceratum nec monstrans, ut quæ sola unguilas effugisset, eosque, ut MA'. Οὗτος ὁ λόγος (34) σοι τῶν Πορφυρίου Β ψευσμάτων καὶ ληρημάτων, οἷς ὑμεῖς ὡς θεαίαι φωναῖς ἀγάλασθε, ἢ τῷ σου *Μισοπάγωνος*, εἴτ' οὖν Ἀντιοχικῷ (ἀμφοτέρω γὰρ ἐπιγράφεις τῷ λόγῳ), οὗ τι (35) Χριστιανοῖς ἀτιμότερον· ὃν τότε μὲν ἡ πορφυρὸς μέγαν ἐποίησε, καὶ οἱ πάντα τὰ σά θαυμάζοντες κόλακας· νῦν δὲ πῶγων ἐστὶ περιφερόμενος (36) καὶ περισυρόμενος, καὶ τοῖς συμπεπονηκόσιν (37) ὁμοῦ γελώμενος, ἐν ᾧ σὺ μὲν ἀπειριτω τοῦ σώματος, καὶ τῷ μηδεπώποτε (38) τυχεῖν ἀπεπτῆσας ἐξ ἀπληστίας, μέγα φουσῆς (39), ὡς δὴ τι θαυμάσιον λέγων· ὅτι δὲ Χριστιανοὺς ἤλασας οὕτω πικρῶς, καὶ τοσοῦτον ἔθνος καὶ οὕτως ἱερὸν παρανάλωσας, ἐκὼν παρατρέχεις. Καίτοι γε ἐνὸς μὲν ἀνδρὸς ἀπεπτῆσαντος, ἢ ἐρυγᾶς φυσικᾶς ἀφέντος, τί παρὰ τοῦτο τῷ κοινῷ βλάβος; τοσοῦτον δὲ διωγμοῦ κινήθεις, καὶ τοσαύτης καινοτομηθείσης συγχύσεως, πῶς οὐκ ἀνάγκη (40) πᾶτα τὰ Ῥωμαίων ἔχειν κακῶς, ὥσπερ οὖν καὶ ἐσχληκῶτα φαίνεται;

quitur Billus, et vertit, et aut his scilicet, qui te imperante strenuum animum præstiterunt. Quinam autem fuerint illi duo juvenes Christiani, ignoratur. Putat Elias hic mentionem fieri de Marco Arethusa, et de Eusebio Samosatense. Verum, ut cætera omnia, quæ huic opinioni adversantur, omittam, nunquam Gregorius eos, νεανίσκους, et juvenes, appellasset. Probabilius est forsitan unum ex his fuisse Theodorum, quem anno 362 Antiochiæ Julianus Salustio præfecto cruciandum tradidit. Favet Augustinus, qui lib. xviii *De civ. Dei*, c. 52, hunc martyrem et juvenem appellat.

(31) *Εἰσηλθε*. Lectionem hanc inveniunt mss. non pauci. Tres tamen Regg. habent ἤλθε. In Savil. gr. προσήλθε.

(32) *Ὡς εἴ τις*. Ita melioris notæ codices. Nonnulli et Par. ed. ἢ εἴ τις.

(33) *Πᾶν*. Sic tres Regg. et Or. 1, Herv. et Par., ἅπαν.

(34) *Ὁὗτος ὁ λόγος*, etc. et Epilogus hæc sunt, inquit Elias, et ac brevis quædam et summaria eorum, quæ dicta sunt, collectio. Porphyrii libros hic insectatur Gregorius. Porphyrius enim, de quo sæpe Augustinus lib. *De civ. Dei*, Christianæ fidei, ut Julianus, desertor et hostis infensissimus, libros quindecim adversus Christianam doctrinam, mendacis et delirius plenos, ita ore pestifero evomuerat, ut præstantissimi pietatis laude imperatores eos igni concremari jusserint. Julianus vero,

meliam intulisset, atque ipsius aram diruisset, adductus quidem est ut nocens ac facinorosus, ingressus est autem ut laureatus, ac purpuram tuam, et sermones, ut inanes et futiles, ingenti risu prosecutus, cum majori libertate ac fiducia exiit, non secus ac si quis a cæna et splendido epulo rediret: alter, loris toto corpore ad intimas usque partes laceratus, ac præ vulneribus exiguum quiddam spirans, tantum tamen ab eo abfuit ut tormentis succumberet, aut præsentium quidquam gravè atque æcerbum existimaret, ut, cum quamdam corporis partem a plagis intactam et inoffensam vidisset, tortores etiam ipsos, tanquam contumeliosos, accusaret, ut qui totum ipsius corpus honore minime affectum reliquissent: tibiam simul de-

ne huic quoque parcerent, inhortans. XLI. Hæc oratio, Porphyrii mendacis et delirantis, quibus vos tanquam divinis vocibus exultatis, aut etiam pro *Misopogone* tuo, seu *Antiochico* (nam utroque modo orationem inscribis), apud Christianos haudquaquam vilior est et contemptior. Quam tuam orationem purpura tum magnam reddebat, et adultores illi, qui tua omnia laudibus in cælum vehebant: nunc autem ea mera barba est, quæ corrumpitur et raptatur, ac simul cum iis a quibus elaborata est, irridetur, in qua tu quidem ob frugalem minimeque supervacaneum corporis victum cultumque, et quod nunquam ex nimia saturitate cruditatem contraxeris, magnopere te inflas, tanquam scilicet admirandum quiddam narrans: quod autem Christianos tam acerbe vexaveris, tantamque gentem tamque sacram obriveris ac pene confeceris, consulto præteris. Verum cum vir unus cruditate laboravit, aut naturales ructus emisit, quid inde respublica detrimenti accipit? cum autem **176** tanta persecutio commota est, tantaque rerum

cum adversus Persas profectus Antiochiam venisset, orationem una cum magistro suo Libanio scripsit contra Antiochenses, qui hircinam ipsius barbam cavillis incesserant. Hanc orationem duplici titulo, *Misopogone* et *Antiochicum* inscripsit. Ad hæc igitur scripta alludit Gregorius, quasi diceret, ut cum Elia loquar: et Oratio, nuper a me edita, tuaque flagitia traducens, Porphyrii mendacis et delirius, aut *Misopogone*, Christianorum quidem iudicio, neutiquam inferior est, et contemptior. Hunc locum non male reddit Pirchimerus: et Sit tibi hic sermo pro Porphyrii mendacis... pro sermone tuo quem Osorem barbæ... quo nihil Christianis est contemptibilis, etc. Videtur legisse, ἀντὶ Πορφυρίου ψευσμάτων, quæ lectio commoda, et acrius Julianum ferit, ut observat Billius.

(35) *Ὁὗ τι*. Elias legit, οὗ τι, quod Billius sequitur.

(36) *Περιφερόμενος*. Sic Elias, Pass., etc., quam lectionem exhibet Par. ed. Billius tamen, ea posthabita, legit, περιφερειρόμενος, et quæ corrumpitur. (37) *Συμπεπονηκόσιν*. Pass. πεπονηκόσιν.

(38) *Μηδεπώποτε*. Regg. a, bm, μηδέποτε.

(39) *Φουσῆς*. Sic Regg. bm, Pass., Sav. et Combef. Par. ed. φουσῆσας.

(40) *Πῶς οὐκ ἀνάγκη*, etc. et Nonne erat necesse, ut res omnes Romanorum male se haberent. Bill.: et Quidnam afferri potest, quin Romanorum res omnes male atque incommode se habeant. et

perturbatio inducta, qui fieri potest, ut Romanorum res omnes non male se habeant, quemadmodum etiam se habuisse cernuntur

XLII. Hæc tibi a nobis columna, Herculeis columnis sublimior et splendidior. Nam illæ uno tantummodo loco fixæ sunt, ab iisque duntaxat qui eo se conferunt, conspici possunt; hæc autem fieri non potest quin motu prædita ubique atque omnibus nota et clara sit: quam etiam futurum tempus, mihi crede, suscipiet, te tuaque scelera proscindentem, cæterosque omnes, ne hujusmodi quamdam adversus Deum rebellionem aggrediantur, erudentem et admonentem, ne alioqui eadem perpetrantes, eadem quoque recipiant.

(41) Πανταχοῦ καί. Reg. hm, Savil., Pass. πάντα τε καί.

A MB. Αὕτη σοι παρ' ἡμῶν στήλη, τῶν Ἑρακλεῶν στηλῶν ὑψηλότερα τε καὶ περιφανεστέρα· αἱ μὲν γὰρ ἐφ' ἑνὸς τόπου πεπηγάσι, καὶ μόνοις εἰσι θεαταὶ τοῖς ἐκεῖσε ἀφικνουμένοις· τὴν δὲ οὐκ ἔστι μὴ πανταχοῦ καὶ (41) πᾶσι γνωρίζεσθαι κινουμένην, ἣν καὶ ὁ μέλλων ὑπολήψεται (42) χρόνος, εὖ οἶδα, σέ τε καὶ τὰ σὰ στηλιτεύουσαν, καὶ τοὺς λοιποὺς πάντας παιδεύουσαν, μὴ τινα τοιαύτην κατὰ Θεοῦ τολμᾶν ἐπανάστασιν, ἵνα μὴ, τὰ ὅμοια δράζαντες, τῶν Ἰσων καὶ ἀντιτύχωσιν.

(42) Ὑπολήψεται. Reg. hm, ὑπολειφεται.

177 MONITUM IN ORATIONEM VI.

I. Gregorius, Theologi nostri pater, vir alioqui optimus, et veræ catholicæque religionis defensor studiosissimus, Arianorum fraudes, qua erat simplicitate, minus animadvertens, quosdam hoc veneno affatos benigne susceperat, et cuidam impiæ eorum sententiæ subscripserat. Quæ res tanta indignatione monachorum animos permovit, ut confestim ab ipsius communiione sese removerint, suoque exemplo magnam populi partem ad se pertraxerint. Hinc latissima Arianis ad oppugnandos Catholicos aperta est via; malumque multo longius serpsisset, nisi Theologi nostri cura restitisset, fidemque suam ipsius pater Gregorius aperte professus esset, petissetque sibi condonari quidquid in ea re per imprudentiam deliquerat. Tum monachi cum episcopo suo facile in gratiam redierunt. Pace igitur composito, hanc Gregorius noster orationem habuit, qua primum officii sui causas reddit, ac, occasione data, vitæ monasticæ formam elegantissime describit; deinde pro accepto beneficio gratias Deo agit; et, ad inflammandos majori concordie studio Nazianzenos, pacis laudes atque utilitates exponit, easque cum discordiæ incommodis conferendo, mirum in modum amplificat. Postea eos hortatur, ne deinceps tam facile aberrantium fratrum societate se separent, sed eos potius humana fraternaque charitate corrigant. Demum patri suo de monachorum reditu gratulatus, orationem catholica Trinitatis confessione concludit.

II. Hanc autem orationem sic auspicatur Gregorius: «Linguam meam solvit alacritas, legemque humanam propter Spiritus legem contemno; ac sermonem, quem nondum ulli concessi, paci dono offero.» Postrema hæc verba: «quem nondum ulli concessi,» in errorem inducere virum alioqui non ineruditum (43), ut hanc esse omnium Gregorii orationum primam crederet, quamvis certum sit geminas *Adversus Julianum* invectivas fuisse Nazianzeni schismatis tempore scriptas (44). Præterea orationem *De Pascha et tarditate*, et alteram *De fuga in Pontum*, jam tum habitas fuisse, invictis, ni fallimur, argumentis demonstravimus, idque ipsæ per se orationes loquuntur. Itaque cum Gregorius ait se «nondum ulli sermonem concessisse,» non nisi de eo loquitur tempore, quo «discissa Christi tunica,» ut ejus verbis utar, imo «lacerato corpore, sermonis ipsius radios, veluti nubes quædam, dolor obtegebat;» unde, reddita pacis serenitate, silentium exiit, atque orationem coram populo habuit.

III. Paulo aliter censet doctissimus Tillemontius, qui tamen ipse hoc etiam ordine orationem, de qua agitur, collocat. Etenim veritus Nazianzenum schisma rejicere post Gregorii sacerdotium, huc pene inclinatus, ut «sermonem nondum ulli» priorem isto «concessum» a Gregorio fuisse credat. Nobis vero nullam hic esse difficultatem videtur, cum, in *Vita Gregorii*, non nisi postquam ordinatus est presbyter Theologus, ortum esse Nazianzenæ Ecclesiæ schisma, validissimis argumentis probaverimus. Quo vero 178 tempore fuerit istius luctuosi schismatis exordium, definire non facile est. Constat tamen nullum in Nazianzena Ecclesia fuisse dissidium, cum tres primas orationes habuit Gregorius. Felix namque et amantissimum pacis concordieque donum vigeat adhuc anno 362, omnesque mutæ charitatis vinculo jungentur. Prodiit igitur monachorum schisma intra fines anni 363 (45). Etenim exiunte hoc eodem anno, jam tum eruperat, cum in Pontica solitudine primam invectivam scriberet Gregorius, et ad sequentis anni 364 primordia perseverasse videtur. Duravit per breve et exiguum tempus, vel, ut cum Gregorio loquar, «quatenus per dissidium, pacis bonum dissidentes intelligerent.» Hi

(43) *Bibl. univ.*, tom. XVIII, an. 1690, art. 1.

(44) *Vid. Mon. in Orat. I et III.*

(45) *Vid. Or. IV, n. 10.*

sunt limites intra quos Nazianzenum schisma concludi debet. Cæterum in illo compescendo, singularem uterque Gregorius prudentiam adhibuit, admirabilem charitatem exhibuit, eamque mansuetudinem et moderationem, quam omnibus retro sæculis exemplo esse pastoribus ad componendas controverſias, animosque flectendos, optandum esset.

ΛΟΓΟΣ Γ'.

A

ORATIO VI*.

Ειρηνικός Α' (46), ἐπὶ τῇ ἐνώσει τῶν μοναζόντων, μετὰ τὴν σιωπὴν (47), ἐπὶ παρουσίᾳ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ (48).

Α'. Λυεῖ μου (49) τὴν γλῶτταν ἢ προθυμία, καὶ περιφρονῶ τὸν ἀνθρώπινον νόμον διὰ τὸν νόμον τοῦ Πνεύματος· καὶ δίδωμι τῇ εἰρήνῃ τὸν λόγον, οὕτω πρότερον οὐδενὶ συγχωρήσας. Πρότερον μὲν γὰρ ἤνικα ἑσπασίαζε πρὸς ἡμᾶς τὰ μέλη, καὶ τὸ μέγα καὶ τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ διηρείτο (50) καὶ διεκόπτετο, ὡς μικροῦ καὶ διασκορπιζέσθαι τὰ ὀστέα ἡμῶν παρὰ τὸν ἕδην, οἷον γῆς βάθος ἀρότρῳ ῥηγγύμενον (51), καὶ κατὰ γῆς σχεδαννόμενον, καὶ τὸν ἄτμητον, καὶ ἀμέριστον, καὶ ὑφαντὸν δι' ὄλου χιτῶνα κατατεμῶν ὁ πονηρὸς ὄλον ἑαυτοῦ πεποίητο. τοῦτο δι' ἡμῶν δυνηθεὶς, ὃ διὰ τῶν τὸν Χριστὸν (52) σταυρωσάντων οὐκ ἴσχυσεν· τότε μὲν δὴ φυλακὴν ἐθέμην (53) τοῖς χεῖλεσιν, οὐδ' ἄλλως (54) προθύμοις οὔσι περὶ τὸν λόγον, ὅτι τῇ δι' ἔργων φιλοσοφίᾳ καθάραι πρῶτον ἑμαυτὸν (55), εἶτα τὸ στόμα τῆς διανοίας ἀνοίξας ἐλκῦσαι πνεῦμα, εἶτα ἐξερεύξασθαι λόγον ἀγαθόν, καὶ λαλεῖν Θεοῦ σοφίαν τελείαν ἐν τοῖς τελείοις, ἀκολουθίας εἶναι πνευματικῆς ὑπελάμβανον· καὶ ὡσπερ καιρὸς ἐπὶ (56) παντὶ πράγματι καὶ μικρῷ καὶ μεγάλῳ (τὸ γὰρ τοῦ Σολομῶντος εὐ ἔχει καὶ λίαν ἐπισκευμένους), οὕτω καὶ λόγου καὶ σιωπῆς, εἰ καὶ τις ἄλλος, καιρὸν ἐγίνωσκον.

ac perquam considerate hoc a Salomone dictum est), sic sermonis et silentii tempus esse¹⁵, ut si quis alius, cognitum et exploratum haberem.

Β'. Διὰ τοῦτο ἐκωφώθην καὶ ἐταπεινώθην, πόρρω C παντὸς ἀγαθοῦ γενόμενος· καὶ οἷόν τι νέφος τὴν ἐμὴν καρδίαν ὑποδραμὸν συνεχάλυψε τὴν ἀκτίνα τοῦ λόγου, καὶ τὸ ἀληγμά μου νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἀνεκαινίζετο. Καὶ πάντα μοι ἦν ὑπεκκαύματα καὶ ὑπομήματα τῆς τῶν ἀδελφῶν διαζεύξεως (57), ἀγρυπνίας, νηστειᾶς, προσευχῆς, δάκρυα, τύλοι γονάτων, στηθῶν,

¹⁵ Psal. cxl. 7. ¹⁶ Joan. xix. 24. ¹⁷ Psal. xxxviii, 2. ¹⁸ Psal. cxviii, 131. ¹⁹ Psal. xlii, 1. ²⁰ I Cor. ii, 6. ²¹ Eccle. iii, 1. ²² Psal. xxxviii, 5.

(46) *Ειρηνικός α'*. « Prima de pace oratio. » Reg. hu, πρῶτος. Colb. maximus in marg. Ἐρρέθη οὗτος ἐπὶ τῇ ἐνώσει τῶν μοναζόντων. Reg. Medic. εἰς τὴν σύμβασιν, ἣν μετὰ τὴν σάξιν πεποιήκαμεν οἱ ὁμόδοχοι. « De pace, quam post dissidium iniiimus, qui ejusdem fidei eramus. » Cæterum inter Gregorii orationes, sunt et aliae duæ, nempe vicesima secunda et vicesima tertia in hoc nostro ordine, quæ itidem « de pace » inscribuntur. Idcirco hæc oratio sexta *ειρηνικός α'*, id est « prima de pace, » inscribitur, quia nimirum prior respectu temporis habita est.

(47) *Μετὰ τὴν σιωπὴν*. Desunt in Jes.

(48) *Αὐτοῦ*. Deest in Reg. a.

(49) *Μου*. Regg. a, bm, hu, Or. 1, Jes., etc. μοι.

(50) *Τοῦ Χριστοῦ διηρείτο*. Deest τοῦ, in Regg. bm, hu, Or. 1, et Jes. In aliis, pro διηρείτο, legitur,

Prima de pace, ob monachorum reconciliationem, post silentium, presente patre.

I. Linguam meam solvit alacritas, legemque humanam propter Spiritus legem contemno; ac sermonem, quem nondum ulli prius concessi, paci dono offero. Nam cum prius a nobis membra dissiderent, ac magnum illud et pretiosum Christi corpus ita divideretur, et discinderetur, ut pene etiam secus infernum ossa nostra dissiparentur¹⁵, non secus ac terræ profunditas aratro discissa, et in terram fusa; cumque insectam illam et divisionis expertem tunicam, ac per totum contextam¹⁶, in multas jam partes conscissam, pravus ille prorsus sibi vindicasset, hoc scilicet per nos assecutus, quod per eos, qui Christum in crucem sustulerunt, haudquaquam potuit; tum quidem labiis meis custodiam posui¹⁷, alioqui nec ad sermonem admodum promptis, quod scilicet hoc spiritalem rerum seriem postulare existimarem, ut per eam philosophiam, quæ in actione posita est, me primum ipse purgarem, deinde aperto animi ore spiritum traherem¹⁸, atque ita demum eructarem verbum bonum¹⁹, ac perfectam Dei sapientiam apud perfectos loquerer²⁰: et quemadmodum 179 cuivis alii rei, tam parvæ quam magnæ suum tempus est (recte enim)

II. Ob hanc causam obmutui, et humiliatus sum, præcul ab omni bono remotus; ac velut nubes quædam cor meum subiens, sermonis radios obtegit, dolorque meus die ac nocte renovabatur²⁰. Omnia enim, fomites quidam mihi erant, dissidiique fraterni monumenta, vigiliæ nempe, jejunia, preces, lacrymæ, callosa genua, pectoris converberationes,

διεσκέδαστο, « dissipatum erat. »

(51) *ῤηγγύμενον*. Sic plerique codices. Par. ed. ἀγγύμενον, « fracta. »

(52) *Τὸν Χριστόν*. Regg. bm, hu, Or. 1, Jes. omittunt τόν.

(53) *Φυλακὴν ἐθέμην*. Sic Reg. hu, et Or. 1. Par. ed. ἐθέμην φυλακὴν.

(54) *Οὐδ' ἄλλως*. Regg. bm, hu, et Jes. οὐδὲ ἄλλως.

(55) *Πρῶτον ἑμαυτόν*. Reg. hu, duo Colb., Or. 1, πρότερον. Reg. a, et Jes. πρότερον ἑαυτόν.

(56) *Καιρὸς ἐπὶ*. Mallen, καιρὸς ἐστι, uti in pluribus mss. legitur.

(57) *Διαζεύξεως*. Sequitur in Reg. hu, et Coisl. 1, ἐν ἀλλοτρίοις δρώμενα. Billius sic legit et vertit, « quæ in aliis cernebam. »

* Alias 12, quæ autem 6 erat, nunc 11. — Habita in eunte anno 364.

auspirium ex imo manans, pernox statio, mentis ad Deum peregrinatio, tenuis inter orandum fletus, audientium animos ad compunctionem incitans, psallentes, Dei gloriam celebrantes, legem Domini diu noctuque meditantes⁵⁰, exaltationes Dei in gutturibus⁵¹ ferentes: atque hæc etiam vitæ Deo gratæ pulchra indicia et argumenta, tacitique præcones, sordida nimirum et squalida coma, pedes nudi, et apostolicos imitantes, nihil mortuum ferentes, apta et moderata tonsura, amictus fastum castigans, zona ob inelegantiam elegans, tunicam nonnihil restringens, ita ut restringere minime videatur, gressus constans, oculus minime vagus, subrisus blandus, vel potius subrisionis motus quidam risus petulantiam castigans, sermo a ratione profectus, silentium sermone præstantius, laudatio sale condita, non ad blanditias comparata, sed ad meliora dirigens, objurgatio laudatione optabilior, modus tristitiæ et animorum relaxationis, atque utriusque permistio et temperamentum; mollities fortitudine, austeritas verecundia temperata sic ut neutra ab altera lædatur, sed utraque alterius opera laudem consequatur; modus tum in commune prodendi, tum secedendi, illud ad alios instituendos, hoc ut ipsi Spiritus mysteriis imbuantur; atque ita utrumque, ut, et in communi solitudinem, et in solitudine fraternam benevolentiam et charitatem servent; et, quæ his adhuc majora et sublimiora sunt, opes in paupertate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fecunditas in cælibatu (siquidem præstantiores fetus illi sunt, qui secundum Deum existunt, quam qui a carne ortum ducunt): qui deliciis minime studere pro 180 deliciis habent, qui regni cælestis causa humiles sunt, qui in mundo nihil habent, et supra mundum existunt, qui etiam in carne extra carnem vivunt, qui pro portione Dominum habent, qui propter regnum inopia laborant, et propter inopiam regnant.

III. Mi me, opes, inquam, ac præclaræ deliciæ meæ, et præsentis splendidum atque illustrem reddebant, et absentes mœrore contrahebant. Hæc mihi animum premebant, et conturbabant. Hinc ego lugens et contristatus ingrediebar⁵². Ob eam causam cum aliis jucundis rebus sermonem quoque abjeci: quoniam dilecti recalcitrarunt⁵³, et verterunt ad me terga et non facies⁵⁴, factique sunt

⁵⁰ Psal. 1, 2. ⁵¹ Psal. cxlix, 6. ⁵² Psal. xxxiv, 14.

(58) Ἐπιτιμήσεις. Reg. a, ἐπιτίμησις.

(59) Τοῦ κατὰ Θεὸν βίου. Leuvenkl. « vitæ ex Dei præscripto institutæ. »

(60) Ἀκόσμη κοσμία, etc. Billius, « ob ornatus neglectum culta et ornata. »

(61) Χιτώνας. « Tunicam. » Nec bene Billius « pallium; » siquidem brevia palliola humeros tegerent. Quæ cingulo astringi nihil opus erat, gestabant monachi.

(62) Οὐ πρὸς θωπείαν, etc. « Non ad assentationem comparata, sed ad virtutem dirigens. »

(63) Τῷ γενναίῳ. Tres Colb., Oxon., Or. 1, Jes. σὺν τῷ γενναίῳ.

(64) Παραβιάπτεσθαι. Reg. a, tres Colb. Or. 1,

ἐπιτιμήσεις (58), στέναγμός ἐκ βάθους ἀναπεμπόμενος, στάσις πάννουχος, νοῦ πρὸς Θεὸν ἐκδημία, θρήνος ἐν δεήσει λεπτός, φάρμακον τοῖς ἀκούουσι κατανύξεως, οἱ ψάλλοντες, οἱ δοξάζοντες, οἱ μελετώντες τὸν νόμον Κυρίου ἡμέρας καὶ νυκτός, οἱ τὰς ὑψώσεις τοῦ Θεοῦ ἐν τοῖς λάρυγι φέροντες· καὶ ταῦτα δὴ τὰ κατὰ τοῦ κατὰ Θεὸν βίου (59) προγράμματα καὶ μηνύματα, οἱ σιωπῶντες κήρυκες, ἀχμῶσα καὶ πιναρὰ κόμη, πόδες γυμνοὶ καὶ τοῖς ἀποστολικοῖς ἐπόμενοι, μηδὲν νεκρὸν φέροντες, κουρὰ σύμμετρος, περιβολὴ τύφον κολάζουσα, ζώνη τῷ ἀκόσμῳ κοσμία (60); μικρόν τι τοῦ χιτῶνος (61) ἀναστέλλουσα, καὶ ὅσον μὴ ἀναστέλλειν, βάδισμα εὐσταθὲς, ὀφθαλμὸς οὐ πλανώμενος, μειδίαμα προσηγνές, μᾶλλον δὲ ὀρμητὴ μειδιάματος, ἀκρασίαν γέλωτος σωφρονίζουσα, λόγος τῷ λόγῳ κινούμενος, σιωπῇ λόγου τιμιωτέρα, ἔπαινος ἄλατι ἥρτυμένος, οὐ πρὸς θωπείαν (62), ἀλλ' ὀδηγίαν τοῦ κρείττονος, ἐπίπληξις εὐφημίας ποθεινοτέρα, μέτρα κατηφείας καὶ ἀνέσεως, καὶ ἡ δι' ἀμφοτέρων μίξις καὶ κράσις, τὸ ἀπαλὸν τῷ γενναίῳ (63), τὸ αὐστηρὸν αἰδοῦ σύγκρατον, ὡς μηδ' ἕτερον ὑπὸ τοῦ ἑτέρου παραβιάπτεσθαι (64), ἀλλ' ἀμφοτέρα δι' ἀλλήλων εὐδοκίμειν· μέτρα τῆς εἰς τὸ κοινὸν ἐπιμιξίας (65) καὶ ὑποχωρήσεως, τῆς μὲν τοὺς ἄλλους παιδαγωγούσης, τῆς δὲ τῷ Πνεύματι μυσταγωγούσης, καὶ τῆς μὲν ἐν τῷ κοινῷ τὸ ἄκοινον φυλαττούσης, τῆς δὲ ἐν τῷ ἀμίχτῳ τὸ φιλάδελφον καὶ φιλόφιλον καὶ ἀμείζω τοῦτων εἶναι καὶ ὑψηλότερα, ὁ ἐν πενήτῳ πλοῦτος, ἡ ἐν παροικίᾳ κατάτρυξις, ἡ ἐν ἀμίχτῳ δόξα, ἡ ἐν ἀσθενείᾳ δύναμις, ἡ ἐν ἀγαμίᾳ καλλιτεχνία (εἴπερ κρείττονα τῶν ἀπὸ σαρκὸς ἀρχομένων (66) τὰ κατὰ Θεὸν γεννημάτων)· οἱ τρυφῶντες τῷ μὴ (67) τρυφᾶν, οἱ ταπεινοὶ ὑπὲρ τῶν (68) οὐρανίων· οἱ μηδὲν ἐν κόσμῳ, καὶ ὑπὲρ τὸν κόσμον· οἱ σαρκὸς ἔξω καὶ ἐν σαρκί, ὧν μερὶς Κύριος, οἱ πτωχοὶ διὰ βασιλείαν, καὶ διὰ πτωχείαν βασιλεύοντες.

Γ'. Οὗτοί με καὶ παρόντες λαμπρὸν ἐποίησαν, ἡ ἐμὴ περιουσία, τὸ ἐμὸν ἀγαθὸν (69) ἐντρύφημα, καὶ ἀπόντες συνέστειλλον. Ταῦτά μοι συνεῖχε τὴν ψυχὴν ταῦτα ἐτάρασσαν. Ἐκ τούτων ἐγὼ πενθῶν καὶ σκυθρωπάζων ἐπορευόμην· διὰ ταῦτα μετὰ τῶν ἄλλων τερπνῶν καὶ τὸν λόγον ἀπεσεισάμην (70)· ὅτι ἀπελάχτισαν οἱ ἡγαπημένοι, καὶ ἔστρεψαν ἐπ' ἐμὲ νῦτα αὐτῶν καὶ οὐ πρόσωπον, καὶ γεγόνασιν ποίμνιον ἐλευ-

⁵³ Deut. xxxii, 15. ⁵⁴ Jer. ii, 27.

καταβιάπτεσθαι.

(65) Εἰς τὸ κοινὸν ἐπιμιξίας. Leuvenkl. « (modus conversationis in publico, et secessionis. »

(66) Ἀρχομένων. Reg. hu, Coisl. 1, duo Colb., Jes., Or. 1, ἐρχομένων.

(67) Τῷ μὴ. Reg. hu, Coisl. 3, Or. 1, τὸ μὴ.

(68) Ὑπὲρ τῶν... οἱ. Sic Regg. bn, hu, Or. 1, Jes. « humiles qui supra caelos, qui nihil sunt, » etc. Editi vero, ὑπὲρ τοῦ... οἷς.

(69) Ἀγαθόν. « Præclaræ deliciæ. » Deest in Regg. bn, hu, tribus Colb., Or. 1, Jes. et Oxon. Præmissum etiam a Billio.

(70) Ἀπεσεισάμην, etc. « Abjeceram, quoniam dilecti recalcitraverant et verterant, » etc.

θεριώτερον τοῦ ποιμαίνοντος (71), ἵνα μὴ εἶπω νεανικώτερον (72)· ὅτι ἐστράφη εἰς πικρίαν ἐμοὶ ἡ ἀμπειλος ἢ ἀληθινή, καὶ τῷ καλῷ γεωργῷ κάλλιστα καταθρυμένῃ, καὶ ταῖς θεαῖς ληνοῖς (73) γεωργοῦσα τὸ καλὸν γεώργιον· ὅτι οἱ φίλοι μου καὶ οἱ πλησίον μου ἐξ ἐναντίας μου (74) ἤγγισαν καὶ ἔστησαν, καὶ οἱ ἔγγιστά μου ἀπὸ μακρόθεν ἔστησαν· ὅτι διειλόμεθα (75) τὸν Χριστὸν, οἱ λίαν φιλόθεοι καὶ φιλόχριστοι, καὶ ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἀλλήλων καταψεύσάμεθα, καὶ διὰ τὴν ἀγάπην μίσος ἐμελετήσαμεν, καὶ ὑπὲρ τοῦ ἀκρογωνιαίου διελύθημεν, καὶ ὑπὲρ τῆς πέτρας ἐσείσθημεν· ὅτι πλέον ἢ καλῶς εἶχεν ὑπὲρ τῆς εἰρήνης ἐπολεμήσαμεν, καὶ ὑπὲρ τοῦ ὑψωθέντος ἐπὶ τὸ ξύλον κατενηγέμεθα (76), καὶ ὑπὲρ τοῦ ταφέντος καὶ ἀναστάντος ἐθανατώθημεν.

Δ'. Πρῶτον μὲν ταῦτα· καὶ τί ἂν τις (77) ἐν καιρῷ φαιδρότητος ἀναξαινοίη τὴν ἀηδῖαν, ἐνδιατρίβων τοῖς λυπηροῖς, ὧν ἀπευκταῖα (78) μὲν ἡ πείρα, φευκτὴ δὲ ἡ μνήμη; Κρεῖττων δὲ σιωπῆ λόγου, τὸ συμπεσὸν ἡμῖν θραῦσμα λήθης βάθει συγκαλύπτουσα· πλὴν εἰ τις διὰ (79) τοῦτο καὶ μόνον ἀνακινούῃ τὴν μνήμην τῶν λυπηρῶν, ἵνα τῷ ὑποδείγματι παιδεύωμεθα, καὶ ὡσπερ ἐν τοῖς νοσήμασι φεύγωμεν τὰς αἰτίας, ἐξ ὧν εἰς ταῦτα ὑπήχθημεν. Νυνὶ δὲ ἡνίκα ἀπέδρα ὁδύνη, καὶ λύπη, καὶ στεναγμός· ἡνίκα γεγόναμεν οἱ τοῦ ἐνός ἐν, καὶ οἱ τῆς Τριάδος (80) συμφυεῖς, καὶ ὁμόψυχοι, καὶ ὁμότιμοι· οἱ τοῦ Λόγου (81) τῆς ἀλογίας ἐκτός· οἱ τοῦ Πνεύματος οὐ κατ' ἀλλήλων, ἀλλὰ σὺν ἀλλήλοις ζέοντες· οἱ τῆς Ἀληθείας τὸ αὐτὸ φρονούντες καὶ λέγοντες· οἱ τῆς Σοφίας εὐσύνετοι· οἱ τοῦ Φωτὸς ὡς ἐν ἡμέρᾳ εὐσχημονούντες· οἱ τῆς Ὁδοῦ πάντες εὐθυποροῦντες· οἱ τῆς Θύρας πάντες ἐντός· οἱ τοῦ Προβάτου καὶ τοῦ Ποιμένου προβατοὶ, καὶ τῆς αὐτῆς μάνδρας, καὶ ποιμένος ἐνός· οὐκ ἐν σκεύεσι ποιμένος ἀπείρου ποιμαίνοντος, οὐδὲ καταφθειρόντος τὰ πρόβατα τῆς νομῆς, οὐδὲ προτιμένου τοῖς λύκοις καὶ τοῖς κρημνοῖς, ἀλλὰ καὶ λίαν περισεχεμμένου καὶ ἐπιστήμονος· ἡνίκα γεγόναμεν οἱ τοῦ παθόντος (82) ὑπὲρ ἡμῶν συμπαθεῖς, καὶ ἀλλήλους τὰ βάρη συνεπικουφίζοντες· οἱ τῆς Κεφαλῆς, σῶμα ἐν συναρμοστούμενο· (83) καὶ συμβιβαζόμενοι κατὰ πᾶσαν συνάφειαν τῆν ἐν Πνεύματι ἡνίκα ὁ ποιὼν πάντα καὶ μετασκευάζων πρὸς τὸ λυσιτελέστερον ἔστρεψε τὸν κοπετὸν εἰς χαρὰν ἡμῖν, καὶ τοῦ σάκκου τὴν εὐφροσύνην ἀντέδωκε, τῆνικαῦτα συναπόδομαι τοῖς παρελοῦσι

⁷⁵ Psal. xxxvii, 12. ⁷⁶ Isa. xxxv, 40. ⁷⁷ Rom. xii, 11. ⁷⁸ ibid. 16. ⁷⁹ Rom. xii, 13. ⁸⁰ Zach. xi, 15. ⁸¹ Colos. ii, 19.

(71) Ποιμαίνοντος. Mont. ποιμένος.

(72) Νεανικώτερον. Mont. et Schol. ὑπερφανώτερον, « petulantius, majori superbia. »

(73) Ληνοῖς. « Torcularia, » minus recte Billius, « horrea. »

(74) Ἐξ ἐναντίας μου. Sic Regg. a, hu, Or. 4, Jes.

(75) Διειλόμεθα. Reg. hm, et Jes. διειλάμεθα.

(76) Κατενηγέμεθα. Billius addit : πτώμα δακρύων ἄξιον, « casu lacrymis digno. » Id glossema videtur; non enim apparet in mss. nec agnoscit Rufinus.

(77) Τι ἂν τις, etc. Billius : « quid tandem hilaritatis tempore molestiam quispiam reduceret, acerbis rebus immerans, » etc.

ovile pastore Hibernis, ne dicam audacius : quoniam vinea illa vera, atque a bono agricola optime purgata, et quæ pulchram vindemiam in divina torcularia inferre solebat, in amaritudinem mihi versa est : quoniam amici mihi et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt, et qui juxta me erant, a longe steterunt ⁷⁵ : quoniam, qui Deum et Christum majorem in modum amabamus, Christum divisimus, ob veritatem mendacis nosipos mutuo incessivimus, ob charitatem odium exercuimus, ob angularem lapidem soluti, ob petram concussi sumus; quoniam ob pacem amplius quam æquum pugnavimus, ob eum, qui in lignum elatus est, dejecti sumus, atque ob eum, qui sepultus est, ac surrexit, morte affecti sumus.

IV. Ac prius quidem ista; et quid attinet hilaritatis tempore res molestas refricare immorando, quarum non modo detestanda est experientia, sed memoria etiam ipsa fugienda? Præstat enim sermone silentium, obortam nobis calamitatem profunda oblivione contegens atque obruens; nisi quis tamen hanc unam ob causam acerbarum rerum memoriam renovandam putet, ut exemplo erudiamur, ac, velut in morbis, causas, ex quibus in hæc mala incidimus, fugiamus. Nunc vero postquam effugit dolor, et mæror, et gemitus ⁷⁶; postquam, qui unius sumus, unum effecti sumus; **181** qui Trinitatis, concordēs, unanimes, et honore pares; qui Verbi, a temeritate alieni: qui Spiritus, non jam alii adversus alios, sed simul ferventes ⁷⁷; qui Veritatis, idem sentientes ⁷⁸ et loquentes; qui Sapientiæ, solertes; qui Lucis, ut in die honeste ⁷⁹ nos gerentes; qui Viri, omnes rectum iter tenentes; qui Ostii, omnes intus; qui Ovis et Pastoris, mansueti et ejusdem caulæ, ac pastoris unius, non in pastoris imperiti vasis ⁸⁰ gregem pascentis, aut pascentis oves interimentis, aut lupis et præcipitiis objicientis, sed magnopere circumspecti, ac periti: postquam ejus, qui pro nobis passus est, facti sumus, miserationis affectu, alii aliorum onera sublevantes; qui Capituli, unum corpus constructum et coagmentatum juxta omnem, quæ in Spiritu est, connexionem atque compagem ⁸¹: postquam is, qui omnia facit, atque in id quod utilius est immutat, D planctum nostrum in gaudium convertit, ac pro

(78) Ἀπευκταῖα. Alii, ἀπευκτέα.

(79) Εἰ τις διὰ. Mont. καὶ διὰ.

(80) Καὶ οἱ τῆς Τριάδος, etc. « Et qui Trinitatis, sumus concordēs, conjuncti naturis et animis, honore æquales, » etc.; alludit Gregorius ad æqualitatem Personarum divinarum.

(81) Οἱ τοῦ Λόγου. « Qui rationis rationabiles. »

(82) Οἱ τοῦ παθόντος. Billius : « Postquam, qui Christi pro nobis passi, misericordes facti sumus, aliique alii onera, » etc. Mox Reg. hu, συμπαθεῖς καὶ ἄλλοις.

(83) Σῶμα ἐν συναρμοστούμενοι. Sic Reg. hm, hu, Cmsl. 4 et 2, Or. 1, et Jes. Par. ed. σῶμα ἐναρμοστούμενοι.

vacco lætitiæ nobis retribuit²², nunc demum ipse quoque una cum iis, quæ præterierunt, silentium exuo, atque huic tempori, vobisque, imo Deo potius sermonem grati animi testem offero, maxime proprium sacrificium, donum auro purius, eximiis gemmis præstantius, texturis magnificentius, legali sacrificio sanctius, primogenitorum primitiis sacratius, placens Deo super vitulum novellum²³, cornibus adhuc et unguibus imperfectum et sensu carentem, super incensum, super holocaustum, super multa pinguium arietum millia, quibus lex rudis infantem Israellem tenebat, per cruenta sacrificia futurum adumbrans.

V. Hoc Deo offero, hoc appendo ac consecro, quod unum mihi superest, quo uno dives sum. Nam cætera quidem mandato et Spiritui reliqui; ac pretiosam margaritam cum omnibus iis, quæ quondam habebam, commutavi, factusque sum, aut, ut rectius loquar, fieri opto magnus ille negotiator, qui exiguis rebus, atque omnino perituris, magna et æterna emit²⁴. Solum autem sermonem complector, utpote Verbi minister, neque unquam libens hanc possessionem neglexerim: quin potius eam, et in pretio habeo, et exoseolor, ex eaque majorem voluptatem, capio, quam ex omnibus aliis rebus in unum coactis, quibus plerique delectantur. **182** Atque hunc mihi totius vitæ socium, et probum consiliarium, atque congerronem, ducentemque viæ in cælum ferentis, ac promptum commixtionem ascisco. Et quia jucunditatem omnem humi sitam aspernor, in eum omnis meus amor post Deum effusus est; vel potius in hunc quoque, quoniam ad Deum cum prudentia evehit, per quem scilicet etiam solum, Deus sincere percipitur, et conservatur, atque in nobis adolescit. *Dixi Sapientiæ: Soror mea es*²⁵: eamque colui, et, quantum potui, complexus sum: ac quæro capiti meo coronam gratiarum et deliciarum, hoc est, sapientiæ dona, et rationis nobis insitæ, partem eam, quæ principatum in nobis tenet, sus illuminantis.

VI. Hoc iræ impetum freno, hoc tabem afferentem invidiam consopio, hoc mœrorem, cordis vinculum, sedo, hoc profusam voluptatem coerceo, hoc inimicitiam metior, non amicitiam; illi enim modum præscribere oportet, hujus autem nullum terminum agnoscere. Hic me, et opibus abundantem modestum reddit, et pauperem fortem ac magna-

τὴν σωτηρίαν, καὶ προσάγει τῷ παρόντι καιρῷ καὶ ὑμῶν τὸν λόγον, μᾶλλον δὲ τῷ Θεῷ (84) χαριστήριον θυσίαν οἰκειωτάτην, δῶρον χρυσοῦ καθαρώτερον, λίθων πολυτελῶν (85) τιμαλφέστερον, ὑφασμάτων πολυτελέστερον, θυσίας νομικῆς ἀγιώτερον, πρωτοτόκων ἀπαρχῆς ἱερώτερον, ἀρέσκων Θεῷ ὑπὲρ μόσχον νέον, κέρασι καὶ ὀπλαῖς ἀτελῆ καὶ ἀναίσθητον ὑπὲρ θυμίαμα, ὑπὲρ ὀλοκαύτωμα (86) ὑπὲρ μυριάδας ἀρνῶν πιόνων, οἷς ὁ στοιχειώδης (87) νόμος ἐκράτει τὸν ἔτι νῆπιον Ἰσραὴλ, ταῖς ἐναίμοις θυσίαις σκιαγραφῶν τὴν μέλλουσαν.

Ε'. Τοῦτο προσφέρω Θεῷ, τοῦτο ἀνατίθημι ὁ μόνον ἐμαυτῷ κατέλιπον, ᾧ πλουτῶ μόνω. Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα παρῆκα τῇ ἐντολῇ καὶ τῷ Πνεύματι· καὶ τὸν πολύτιμον μαργαρίτην πάντων ὧν εἶχόν ποτε ἀντηλλαξάμην (88), καὶ γέγονα μεγάλεμπορος, μᾶλλον δὲ γενέσθαι δι' εὐχῆς ἔχω τῶν μικρῶν, καὶ πάντως φθαρσομένων ὠνησάμενος τὰ μεγάλα καὶ μὴ λυόμενα· τοῦ Λόγου δὲ περιέχουμαι μόνου, ὡς Λόγου θεραπευτῆς, καὶ οὐκ ἂν ποτε ἐκὼν τούτου τοῦ κτήματος ἀμελήσαιμι· ἀλλὰ καὶ τιμῶ, καὶ ἀσπάζομαι, καὶ χαίρω μᾶλλον ἢ πᾶσιν ὁμοῦ τοῖς ἄλλοις, οἷς οἱ πολλοὶ χαίρουσιν· καὶ ποιῶμαι παντὸς τοῦ βίου κοινωνὸν, καὶ σύμβουλον ἀγαθὸν καὶ συνόμιλον, καὶ ἡγεμόνα τῆς ἐπὶ τὰ ἄνω ὁδοῦ, καὶ συναγωνιστὴν πρόθυμον· καὶ ἐπειδὴ πᾶν ἀτιμάζω τεπιτόν κάτω μένον, εἰς τοῦτό (89) μοι πᾶν ἐκενώθη τὸ φίλτρον μετὰ Θεόν· μᾶλλον δὲ καὶ εἰς τοῦτον· ὅτι πρὸς Θεὸν φέρει μετὰ συνέσεως ᾧ δὴ καὶ μόνω (90) Θεὸς καταλαμβάνεται γησίως, καὶ τηρεῖται, καὶ ἐν ἡμῖν αὖξεται (91). *Ἐλπὼν τὴν Σοφίαν ἐμήν ἀδελφὴν εἶναι*· καὶ ἐτίμησα ταύτην, καὶ περιέλαβον, ὡς ἦν ἐφικτὸν ἐμοί· καὶ ζητῶ τῇ ἐμῇ κεφαλῇ τὸν στέφανον τῶν χαρίτων καὶ τῆς τρυφῆς, ἃ δὴ σοφίας χαρίσματα, καὶ λόγου τοῦ ἐν ἡμῖν (92) τὸ ἡγεμονικὸν καταλάμποντες, καὶ φωτίζαντος ἡμῖν (93) τὰ κατὰ Θεὸν διαθήματα.

Γ'. Τοῦτω χαλινῷ θυμὸν ἐκπερόμενον, τοῦτω κοιλίῳ φθόνον τήχοντα, τοῦτω προσαναπαύω λύπην, δεσμὸν καρδίας, τοῦτω σωφρονίζω διάχυσιν ἡδονῆς, τοῦτω μετρῶ μῖσος, ἀλλ' οὐ φιλιαν· τὸ μὲν γὰρ μετρεῖσθαι δεῖ, τῆς δὲ μηδένα γινώσκειν ὄρον. Οὗτος εὐποροῦντά με ποιεῖ μέτριοι, καὶ πένητα μεγάλου ψυχον· οὗτος εὐδρομοῦντί με πεῖθει συντρέχειν, καὶ

²² Psal. xxix, 12. ²³ Psal. lxxviii, 32. ²⁴ Matth.

(84) *Τῷ Θεῷ*. Deest τῷ, in Regg. bm, hu, Or. 2, et Jes.

(85) *Πολυτελῶν*. Deest in Regg. bm, hu, tribus Colb., Or. 2, et Jes.

(86) *Ὀλοκαύτωμα*. Montan. ὀλοκαυτώματα.

(87) *Στοιχειώδης*. Regg. bm, hu, Or. 2, Jes. στοιχειώδης.

(88) *Ἀντηλλαξάμην*. Regg. bm, hu, tres Colb., Or. 2, Jes. ἠλλαξάμην.

(89) *Εἰς τοῦτο*. « In illud. » Sic vertendum suadet repetitio, seu correctio quæ sequitur, μᾶλλον δὲ καὶ εἰς τοῦτον. Reg. bni, tres Colb., Or. 2, pro εἰς

τοῦτο, habent εἰς τοῦτον. Leuvenkl. refert ad κτήμα. Rectius forte ad φίλτρον.

(90) *ᾧ δὴ καὶ μόνω*. Subaud. λόγῳ. Ita Regg. bm, hu, tres Colb., Or. 2, Jes., etc. Editi vero, ἢ δὴ καὶ μόνω.

(91) *Αὖξεται*. Sic Regg. a, bm, et Jes. Prave in Par. ἀόξεται.

(92) *Καὶ λόγου τοῦ ἐν ἡμῖν*. « Et rationis quæ est in nobis, ut Verbum Dei intelligatur; » vel, « et Verbi quod in nobis est; » de « Verbo » enim exprimit Elias.

(93) *Ἐμῖν*. Coisl. 1, ἡμῶν.

πίπτοντι χεῖρα ὀρέγειν, καὶ ἀσθενοῦντι συνασβε-
νεῖν (94), καὶ ἰσχύοντι συνευφραίνεσθαι. Μετὰ τούτου
πατρὶς καὶ ξένη τὸ ἴσον ἐμοί, καὶ τόπων μετὰστασις
ἀλλοτρῶν ὁμοίως, ἀλλ' οὐκ ἐμῶν (95). Οὗτός μοι
δαιρεῖ κόσμους, καὶ τοῦ μὲν ἀπάγει, τῷ δὲ προστί-
θησιν· οὗτός με καὶ διὰ τῶν δεξιῶν ὄπλων διεξάγει
τῆς δικαιοσύνης οὐκ ἐπαίρομενον, κἂν τοῖς ἀριστεροῖς
καὶ τραχυτέροις (96) συμφιλοσοφεῖ, τὴν οὐ κατα-
σχύνουσαν ἐλπίδα παραζευγῆς καὶ τὸ παρὸν κουφι-
ζῶν τῷ μέλλοντι (97). Τούτῳ καὶ νῦν δεξιοῦμαι τοὺς
ἐμούς φίλους καὶ ἀδελφούς, καὶ προτίθημι (98) τρά-
πεζαν λογικὴν, καὶ κρατῆρα πνευματικὴν καὶ ἀέν-
ναον (99)· οὐχ οἷς ἡ κάτω (1) τράπεζα κολακεύει τὴν
καταργουμένην γαστέρα, καὶ ἀθεράπευτον.

Z. Ἐσιώπησα, μὴ καὶ ἀεὶ σιωπήσομαι; Ἐκαρτέ-
ρησα ὡσεὶ τίκτουσα (2), μὴ καρτερήσω διαπαντός;
Τῷ μὲν γὰρ Ζαχαρίᾳ λύει τὴν σιωπὴν γεννηθεὶς ὁ
Ἰωάννης· καὶ γὰρ οὐκ ἔπρεπε τὸν πατέρα τῆς φωνῆς
σιωπᾶν, ταύτης προελθούσης· ἀλλ' ὡσπερ ἀπιστη-
θεῖσα τὴν γλῶσσαν ἔδησεν, οὕτω φανερωθεῖσα δοῦναι
τῷ πατρὶ τὴν ἐλευθερίαν, ᾧ καὶ εὐηγγελισθῆ, καὶ
ἐγενήθη φωνὴ καὶ λύχνος, Λόγου (3) καὶ φωτὸς
πρόδρομος· ἐμοὶ δὲ λύει τὴν γλῶσσαν, καὶ ὑψοῖ τὴν
φωνήν, ὡς σάλπιγγος, ἡ παρούσα εὐεργεσία, καὶ τὸ
κάλλιστον τοῦτο θέατρον, τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ διεσκορ-
πισμένα (4), συνηγμένα εἰς ἓν, καὶ ὑπὸ τὰς αὐτὰς
ἀναπαυόμενα πτέρυγας, καὶ εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ
πορευόμενα ἐν ὁμοίᾳ, καὶ μίαν ἀρμονίαν ἠρμουςμένα
τὴν τοῦ καλοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος· ὅτε οὐκ ἔτι φέρο-
μεν ἀλλήλους καὶ ἄγομεν, τοσοῦτον ὑπὸ τοῦ πονη-
ροῦ κλαπέντες, ἢ βιασθέντες, καὶ κατατοξευθέντες (5)
ἐν σκοτομήνῃ τὸν νοῦν, ἣν αὐτὸς ἡμῖν ἐπήγειρεν·
καὶ οὐκ οἶδ' ὅτι χρὴ λέγειν, ὥστε καὶ τοῖς ἀλλήλων
κακοῖς ἐπευφραίνεσθαι, καὶ μὴ νομίζειν τοῦ παντὸς
εἶναι ζημίαν τὴν ἀλλήλων κατάλυσιν· ὅτε Ἰούδας καὶ
Ἰσραὴλ τίθενται ἑαυτοῖς ἀρχὴν μίαν, καὶ Ἱερουσα-
λήμ καὶ Σαμάρεια πρὸς μίαν τὴν ἄνω Ἱερουσαλὴμ
συνάγονται, καὶ οὐκ ἔτι Παύλου, καὶ Ἀπολλῶ, καὶ
Κηφᾶ, ὑπὲρ ὧν, καὶ καθ' ὧν ἡ φυσίωσις (6), πάντες
δὲ Χριστοῦ γεγόναμεν.

A nimum. Hic mihi, ut et cum eo, qui secundo cursu
fertur, curram, et labenti manum porrigam, et cum
infirmo infirmitate afficiar, et cum firmo et valente
gaudeam, persuadet. Cum hoc idem mihi patria et
externa regio est, ac locorum mutatio, alienorum
æque, non autem meorum. Hic mihi mundos dis-
tinguit, atque ab altero abductum alteri adjungit.
Hic me et per dextra justitiæ arma ⁹⁶ dirigit mi-
nime me efferentem, et in sinistris et asperis re-
bus necum philosophatur, spem quæ non confun-
dit ⁹⁷, adnectens, ac præsens per futurum levans.
Hoc nunc etiam amicos meos et fratres excipio, ac
rationalem mensam propono ⁹⁸, et spirituale ac
perenne poculum statuo; non ea quibus terrena
hæc mensa ventri, qui destruitur ⁹⁹, nec curari po-
test, blanditur.

VII. Tacui, num etiam semper tacebo? Sustinui
sicut pariens ⁹⁹, num in perpetuum sustinebo? Ete-
nim Zachariæ quidem silentium editus in lucem
Joannes solvit ⁴¹, nec enim Vocis patrem, ea prole-
eunte, silere conveniebat; verum ut non credita
linguam constrinxerat, ita etiam æquum erat, **183**
ut declarata libertatem patri daret, cui annuntiata
fuerat, nataque est vox et lucerna, Verbi Lucisque
prævia. Mihi vero linguæ vinculum solvit, ac vocem,
tubæ instar, attollit præsens beneficium, et pul-
cherrimum hoc theatrum, Dei filii, qui prius dis-
persi erant, nunc in unum congregati ⁴², et sub
iisdem alis requiescentes, atque in domum Dei co-
sistentibus animis ambulantes ⁴³, unoque virtutis
ac Spiritus concertu inter se concordēs : quando
non jam alii adversus alios dictis factisque pugna-
mus, a pravo illo usque adeo decepti, vel coacti,
atque in ea caligine, quam ipse nobis excitavit,
mente tanquam sagittis quibusdam confixi; atque
quo verbo utendum sit, nescio, ut etiam ex mutuis
malis voluptatem caperemus, neque illud existima-
remus, mutuam eversionem, totius corporis detri-
mentum ac perniciem esse : quando Judas et Israel
principatum unum sibi ponunt ⁴⁴, ac Hierusalem et
Samararia ad unam supernam Hierusalem colligun-
tur, nec jam Pauli, et Apollo, et Cephæ ⁴⁵ propter
quos, et de quibus inflabantur animi, verum Christi
omnes facti sumus.

D

⁹⁹ II Cor. vi, 7. ⁹⁷ Rom. v, 5. ⁹⁸ Prov. ix, 2. ⁹⁹ I Cor. vi, 13. ⁴¹ Isa. xlii, 14. ⁴² Luc. i, 20.
⁴³ Joan. xi, 52. ⁴⁴ Psal. lvi, 15. ⁴⁵ Ose. i, 11. ⁴⁶ I Cor. iii, 4.

(94) *Συνασθερεῖν*. « Cum infirmo infirmus sim
infirmum me exhibeam. »

(95) *Ἀλλ' οὐκ ἐμῶν*. Reg. hu, καὶ οὐκ.

(96) *Καὶ τραχυτέροις*. Deest in Coisl. 1.

(97) *Τῷ μέλλοντι*. « Futuri spe et expecta-
tione. »

(98) *Προτίθημι*, etc. « Sermonum spiritualem
mensam arpono. » Sic Nobilius ex Symmacho,
Prov. ix, 2, ubi semel et iterum προσέθηκε, pro
προέθηκε. In Reg. a, deest λογικὴν.

(99) *Ἀέναον*. Reg. bm, et Coisl. 1, ἀέναον.

(1) *Ἡ κάτω*. « Terrena. » Billius, « inferior. »

(2) *ὡσεὶ τίκτουσα*. Reg. hu, Coisl. 1, Oxon. Or.
ὡς ἡ.

(3) *Λόγου*. Regg. a, et hu, τοῦ Λόγου.

(4) *Διεσκορπισμένα*. Tres Colb., Or. etc. τὰ
διεσκορπισμένα.

(5) *Καὶ κατατοξευθέντες*. Hæc et sequentia ne-
que ad ὡστε, etc., desunt in Reg. bm, tribus Colb.
et Or.

(6) *Ἐπὲρ ὧν, καὶ καθ' ὧν*, etc. « De quibus in-
flatio, et cujus inflationis illi occasio. » Hoc enim
sensu Æschines et Demosthenes usi sunt, et passim
utuntur dialectici. Non igitur bene Billius, « adversus
quos, » nec Leuvenklains, « contra quos, » — « Nam, »
ut ait Elias, « pars quælibet pro suo doctore infla-
batur. »

malum sanant, sed pro bono malum recipiunt; aut
pulverem quidem jejuniis subegit, alii autem cha-
meuniæ, **226** hoc est, *humi dormitionis*, pharma-
cum reliquit; aut id quidem animæ subsidium
excogitavit, verum somno minus, quam quispiam
alius, moderata est; aut hanc quidem legem, vel
corporis expers, sibi indixit, cæterum aliis recto
corpore insomnem noctem ducentibus, quod quidem
certamen maxime philosophicorum virorum est, in
terram sese inflexit; aut hac quidem in re non
mulieres tantum, sed etiam fortissimos viros animi
magnitudine superavit, vel utrum prudenti psalmodiæ
tono, vel divinorum oraculorum lectione et expli-
catione, vel tempestitiva memoria, vel genuum, quæ
labore occalluerant, et quasi solo adhærebant, in-
clinatione, vel lacrymis animæ labes expiantibus in
corde contrito et spiritu humilitatis, vel oratione
sursum collocante, vel mente sublata, et minime

¹⁹ Job xxxi, 32. ²⁰ Job xxix, 15, 16. ²¹ Psal. cxi, 9.

(5) *Αὐτήν*. Regg. a, bm, hu, Or., Sav. αὐτῆ.

(6) *Ἠνέφακτο*. Jes. ἀνέφακτο.

(7) *Ἀρησίς*. « Torcularibus. »

(8) *Δοκεῖν*. Addit Reg. hu, ἦν, « non opinionem
pluris quam veritatem faciebat. »

(9) *Καλῶς*. « Egregie. »

(10) *Παρέδωκε*. Regg. a, bni, hu, tres Coll., Jes.
καθῆκε, « immisit, submisit. »

(11) *Χοῦν*. « Corpus » intelligit Gregorius.

(12) *Μέτρον ἦττον*, etc. Or. μέτρον ἐτέρου τινὸς
ἦττον.

(13) *Τὸ ἀγώνισμα*. Deest τὸ in pluribus codici-

bus. A νοις; Ὡς ἔγωγε καὶ τὰ τοῦ Ἰὼβ ἄν ἐπ' αὐτῆς (5)
θαβήσας καλλωπισαίμην. Θύρα δὲ αὐτῆς παντὶ
ἐλθόντι ἠνέφακτο (6). Ἐξω δὲ οὐκ ἠύλλετο ξένος.
Ὁφθαλμὸς ἦν τυφλῶν, ποῦς δὲ χλωῶν, μήτηρ
δὲ ὄρφανῶν. Τῆς δὲ εἰς χήρας εὐσπλαγχνίας τί χρεῖ
μεῖζον εἰπεῖν, ἢ ὅτι τὸ μὴ χήρα κληθῆναι καρπὸν
ἠνέγκατο; Κοινὸν μὲν ἦν ἡ ἐκεῖνης ἐστία τοῖς πενο-
μένοις ἀφ' αἵματος καταγώγιον· κοινὰ δὲ τὰ θνη-
τῶσι τοῖς θεομένοις οὐχ ἦττον ἢ ἐκάστοις τὰ ἑαυτῶν.
Ἐσκόρπισεν, ἔδωκε τοῖς πένησι· καὶ διὰ τὸ τῆς
ἐπαγγείλιας ἄπτωτον καὶ ἀψευδέστατον πολλὰ ταῖς
ἐκεῖθεν ληνοῖς (7) ἐναπέθετο, πολλὰ Χριστὸν καὶ διὰ
πολλῶν τῶν εὐ παθόντων ἐδεξιόσατο· καὶ τὸ κάλλι-
στον, ὅτι μὴ τὸ δοκεῖν (8) παρ' αὐτῆ πλείον τῆς ἀλη-
θείας· ἀλλ' ἐν τῷ κρυπτῷ καλῶς (9) ἐγεώργει τῷ
βλέποντι τὰ κρυπτὰ τῆν εὐσέβειαν. Πάντα τοῦ κοσμο-
κράτορος ἤρπασεν· πάντα μετήνεγκεν εἰς τὰς ἀσφα-
λεῖς ἀποθήκας. Οὐδὲν ἀφῆκε τῆ γῆ πλήν τοῦ σώμα-
τος. Πάντων ἠλλάξατο τὰς ἐκεῖθεν ἐλπίδας· ἕνα τοῖς
παισὶ πλοῦτον ἀφῆκε, τὴν μίμησιν καὶ τὴν ἐπὶ τού-
τοις φιλοτιμίαν.

III. Καὶ οὐ τὰ μὲν τῆς μεγαλοφυχίας τοιαῦτα καὶ
οὕτως ἄπιστα, τὸ δὲ σῶμα παρέδωκε (10) τῇ τρυφῇ,
καὶ ταῖς ἀκαθέκτοις τῆς γαστρὸς ἡδοναῖς, τῷ λυσ-
σύντι κυνὶ καὶ σπαράττοντι, ὡς ἂν θαρροῦσα ταῖς
εὐποιαις, ὅπερ πάσχουσιν οἱ πολλοὶ, τῆς εἰς τοὺς πέ-
νητας εὐσπλαγχνίας τὸ τρυφᾶν ἐξουνοῦμενοι, καὶ οὐ
καλῶ τὸ κακὸν ἰώμενοι, καλοῦ δὲ τὸ φαῦλον ἀντι-
λαμβάνοντες· ἡ νηστείας μὲν τὸν χοῦν (11) κατε-
πάλαισεν, ἐτέρω δὲ τὸ τῆς χαμεινίας παρήκε φάρμα-
κον· ἡ τοῦτο μὲν ἐξεύρε τῆ ψυχῆ τὸ βοηθημα, ὑπνῷ
δὲ μέτρον ἦττον (12) ἐτέρου τινὸς ἐπέθεκεν· ἡ τοῦτο
μὲν ἐνομοθέτησεν ὡς περ ἀσώματος, ἐκλήθη δὲ εἰς
γῆν, ἐτέρων παννυχιδόντων ἐν ὀρθῷ σώματι, ὃ δὴ
μάλιστα φιλοσόφων ἀνδρῶν τὸ ἀγώνισμα (13)· ἡ
τοῦτο μὲν οὐ μόνον (14) γυναικῶν, ἀλλὰ καὶ ἀνδρῶν
ὤρθη τῶν γενναιοτάτων ἀνδρικώτερα, ψαλμῳδίας ἐξ
τόνον ἔμφρονα, ἡ θείων λογίων ἐντευξιν, ἡ ἀνάπτου-
ξιν (15), ἡ μνήμην εὐκαιρον, ἡ κλίσειν γονάτων κατε-
σκληρότων, ἡ ὡς περ (16) τῷ ἐδάφει συμπεφυκότων,
ἡ δάκρυον ῥύπου καθάρσιον ἐν καρδίᾳ συντετριμμένη
καὶ πνεύματι ταπεινώσεως, ἡ εὐχὴν ἀνω τιθεῖσαν (17),
καὶ νοῦν ἀπλανῆ καὶ μετάρσιον· ταῦτα πάντα,
ἡ τούτων (18) τί ἐστὶν ὅστις ἀνδρῶν ἢ γυναικῶν
ἐκεῖνην ὑπερβεθηκέναι καυχῆσαιτο (19); Ἄλλ' ἐκεῖ-
νο μέγα μὲν εἰπεῖν, ἀληθὲς δὲ, ὅτι τὸ μὲν ἐξέγλου

bus.

(14) *Μόνον*. Deest in Reg. bm.

(15) *Ἐντευξιν ἢ ἀνάπτουξιν*. Assiduum scriptu-
rarum lectionem intelligit; libros sacros diurna no-
cturnaue manu versando,volvendo et revolve-
ndo.

(16) *Ἡ ὡς περ*. Reg. bm, Or., Jes. καὶ ὡς περ.

(17) *Τιθεῖσαν*. Coisl. 1, μετατιθεῖσαν.

(18) *Ἡ τούτων*. Reg. hu, ἢ τι τούτων, τίς ἐστὶν
ὅστις.

(19) *Καυχῆσαιτο*. Coisl. 1, κατεκαυχῆσατο.

τῶν καλῶν, τοῦ δὲ ἦν ζῆλος· καὶ τὸ μὲν εὔρε, τὸ δὲ ἐνίκησεν. Καὶ εἰ καθ' ἓν τι τούτων ἔσχε τὸ ἀμιλλώμενον (20), ἀλλὰ τῷ γε μία (21) τὰ πάντα συλλαβεῖν, πάντων ἐκράτησεν. Οὕτω μὲν τὰ πάντα κατορθώσασα, ὡς οὐδεὶς (22) ἄλλος ἐν καὶ μετρίως· οὕτω δ' εἰς ἄκρον ἕκαστον, ὥστε καὶ ἀντὶ πάντων ἐν ἑξαρχεῖν καὶ μόνον.

aliqua virtute cum ipsa contenderent, at hoc certe nomine omnes vicit, quod una virtutes omnes complexa sit. Sic enim omnia præstitit, ut ne mediocriter quidem unum quisquam alius : sic autem ad aunimum singula, ut vel unum solum pro omnibus abunde sufficeret.

ΙΔ'. Ὁ πιναροῦ σώματος καὶ ἐνδύματος, ἀρετῆ μόνον ἀνοῦντος! Ὁ ψυχῆς διακρατούσης τὸ σῶμα, καὶ δίχα τροφῆς σχεδόν, ὥσπερ αὐλον! μᾶλλον δὲ σώματος βιασσαμένου νεκρωθῆναι καὶ πρὸ τῆς διαζεύξεως, ἔν' (23) ἐλευθερίαν λάβῃ ψυχῆ, καὶ μὴ παραποδίζηται ταῖς αἰσθήσεσιν! Ὁ νυκτῶν ἀσπνων, καὶ ψαλμωδίας, καὶ στάσεως ἕξ ἡμέρας εἰς ἡμέραν ἀποληγούσης! Ὁ Δαβὶδ, ταῖς πισταῖς μόνον ψυχαῖς οὐ μακρὰ μελωδήσας! Ὁ μελῶν ἀπαλότητος ἐπὶ γῆς ἑρριμμένων, καὶ παρὰ τὴν φύσιν τραχυνομένων (24)! Ὁ πηγαὶ δακρύων σπειρομένων ἐκ θλίψεως, ἔν' ἐν ἀγαλλιάσει θερίσαιεν (25)! Ὁ βοῆς νυκτερινῆς νεφέλας διερχομένης, καὶ φθανούσης πρὸς τὸν οὐράνιον (26)! Ὁ θερμότητος (27) πνεύματος, κυνῶν κατατολμώσης νυκτερινῶν δι' ἐπιθυμίαν εὐχῆς, καὶ κρυμῶν, καὶ ὑετῶν, καὶ βροντῶν, καὶ χαλάζης, καὶ ἀωρίας! Ὁ γυναικεία φύσις τὴν ἀνδρείαν νίκησασα διὰ τὸν κοινὸν ἀγῶνα τῆς σωτηρίας, καὶ σώματος διαφορὰν οὐ ψυχῆς τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄρρεν ἐλέγξασα! Ὁ τῆς μετὰ λουτρῶν (28) ἀγγελίας, καὶ τῆς νύμφης Χριστοῦ ψυχῆς ἐν καθαρῷ νυμφῶνι τῷ σώματι! Ὁ πικρὰ γεύσις, καὶ εὖα μήτερ καὶ γένους καὶ ἀμαρτίας, καὶ ἕφι πλάνε καὶ θάνατε, τῇ ἐκείνης ἐγκρατεῖα (29) νενικημένα! Ὁ Χριστοῦ κένωσις, καὶ δούλου μορφή, καὶ παθήματα, τῇ ἐκείνης νεκρώσει τετιμημένα!

ΙΕ'. Ὁ! πῶς ἦ καταριθμησομαι (30) τὰ ἐκείνης ἅπαντα, ἢ τὰ πλείω παρὲς μὴ ζημιώσω τοὺς ἀγνωσύντας; Ἀλλὰ μοι καλὸν ἦβη προσθεῖναι (31) τῆς εὐσεβείας καὶ τὰ ἐπιχειρεῖα· καὶ γὰρ μοι ποθεῖν πάλαι δοκεῖτε καὶ ζητεῖν ἐν τῷ λόγῳ, οἱ τὰ ἐκείνης καλῶς εἰδότες, οὐ τὰ παρόντα μόνον, οὐδὲ οἷς νῦν ἐκεῖθεν ἀγάλλεται, ἀ κρείττω καὶ διανοίας, καὶ ἀκοῆς ἀνθρωπίνης, καὶ ὄψεως, ἀλλὰ καὶ οἷς ἐντεῦθεν αὐτὴν ὁ δίκαιος μισθοποδότης ἡμείψατο· ἔπει καὶ τοῦτο ποιεῖ πολλάκις εἰς οἰκοδομὴν τῶν ἀπίστων, τοῖς μικροῖς τὰ μεγάλα πιστούμενος, καὶ τοῖς ὀρωμένοις τὰ

²² Psal. cxxv, 5.

(20) *Τὸ ἀμιλλώμενον*. Regg. bm, hv, τὸν ἀμιλλώμενον. Coisl. 1, τῶν ἀμιλλωμένων.

(21) *Mia*. Sic Reg. hu, Or. et Combef. Fditi, μιᾶ.

(22) *Ὁς οὐδεὶς*. Sic Reg. hu, et Coisl. 1. Ed. δς οὐδεὶς.

(23) *Ἔν'*. Reg. hu, ἔνα.

(24) *Τραχυνομένων*. « Horrentia. »

(25) *Θερίσαιεν*. Coisl. 1, θερισθεῖεν, « meterentur. »

(26) *Τὸν οὐράνιον*. Reg. hu Coisl. 1, αὐτὸν οὐράνιον, « Cælum ipsum. »

vagante; his inquam omnibus rebus, aut narum aliqua, quisnam virorum aut mulierum est, qui eam a se superatam esse gloriari queat? Ac de ipsa non minus vere quam magnifice prædicari potest, quod virtutum alias imitata sit, aliarum exemplum fuerit : atque alias quidem invenerit, alias autem superaverit. Et ut quosdam fuisse demus, qui una

nomine omnes vicit, quod una virtutes omnes complexa sit. Sic enim omnia præstitit, ut ne mediocriter quidem unum quisquam alius : sic autem ad aunimum singula, ut vel unum solum pro omnibus abunde sufficeret.

XIV. O squalidum corpus, et indumentum virtute sola florens! O animam, corpus pene etiam sine cibo, velut materiæ expers, retinentem! vel, ut rectius loquar, o corpus, etiam ante disjunctionem, mori coactum, ut anima libertatem nancisceretur, nec a sensibus impeditenti quidquam acciperet! O noctes insomnes, et psalmodiarum cantus, et stationem ex die in diem productam! O David, quam tu piis duntaxat animabus haud prolixè cecinisti! O tenera membra humi prostrata, ac præter naturam sese exasperantia! O lacrymarum fontes, quæ ex afflictione seminabantur, ut in exsultatione meterent! O nocturnum clamorem nubes penetrantem, atque ad Deum pervadentem! O spiritus fervorem, ob orationis desiderium, nec canes nocturnos, nec frigora, nec imbres, nec tonitrua, nec grandinem, nec tenebras formidantem! O femineum sexum, qui propter commune salutis certamen virilem sexum superasti, atque illud conspicuum fecisti masculum et feminam, corporis, non item animæ, discrimen esse! O post baptismum castitatem, et sponsam Christi animam in puro corporis thalamo! O amarum gustum, et Evam, tum generis nostri, tum peccati matrem, et impostorem serpentem, et mortem, illius continentia superata! O Christi exinanitionem, et servi formam, et passiones, ipsius mortificatione honoratas!

XV. O! quonam pacto, vel omnia illius enumerabo, vel majorem eorum partem prætermittens, eos, quibus ea ignota sunt, detrimento non affliciam? Sed jam pulchrum fuerit pietatis quoque præmia nunc adjicere. Vos enim, qui vitam illius probe nostis, mihi jampridem cupere, atque in oratione mea requirere videmini, non præsentia duntaxat, et ob quæ nunc illic exultat, quæ et aurium, et humanæ mentis, et oculorum captum excedunt, sed etiam ea, quæ justus ille retributor in hac vita ipsi rependit; nam hoc quoque sævenero ad

(27) *Ὁ θερμότητος*. Sic Jes. Eamti vero, ὃ θερμότης.

(28) *Ὁ τῆς μετὰ λουτρῶν*, etc. « O castitatem post baptismum. » Schol. Cod. Reg. Medic. Ἔοικε μὴ προσελθοῦσα τῷ ἀνδρὶ μετὰ τὸ βάπτισμα, οὐ πρὸ πολλοῦ τῆς κοιμήσεως βαπτισθεῖσα. « Videtur (Gonionia) ad mæritum non accessisse post baptismum, quod non longo ante mortem tempore suscepit. »

(29) *Ἐγκρατεῖα*, « jejunio, abstinentia. »

(30) *Καταριθμησομαι*. Or. 1, καταριθμησομαι.

(31) *Προσθεῖναι*. Jes. προσθεῖναι.

eorum qui dubia fide sunt, ædificationem facit, per exigua scilicet et in aspectum cadentia, majoribus et invisibilibus fidem astruens. Narrabo autem partim omnibus nota, partim plerisque arcana et ignota; nimirum hoc quoque ipsa studio habebat, de gratiarum donis nimium se jactare atque gloriari. Mulas illas furore percitas nostis, et vehiculi abreptionem, infaustamque illam subversionem, et horrendam raptationem, ac malas confractiones, atque hinc ortam hominibus a fide alienis offensionem, quod nempe justī ad hunc modum tradantur, ac celerem infidelitatis correctionem; quoniam illa ossibus omnibus et membris, tam conspicuis, quam ab aspectu remotis, contrita et concisa, ne medicum quidem alium præter eum, qui eam tradiderat, habere sustinuit; tum quod virorum oculos et manus erubesceret (modestiam enim et verecundiam in ipsis quoque doloribus retinuit), tum quod ab eo defensionem quæreret, cujus permissu in hanc calamitatem inciderat, nec ab ullo alio, quam ab eo salutem est consecuta. Quo factum est, ut quidam non magis hac calamitate percussī, quam ex insperato sanitatis restitutæ miraculo stupore percussī fuerint, atque ob eam causam hæc tragedia contigisse visa sit, ut gloriam et splendorem ex calamitatibus consequeretur; nimirum illa quidem dolore affecta ut homo, præstantius autem, quam humana conditio ferre videretur, sanata posterisque narrationem præberet, maximam illam quidem ad fidei in afflictionibus, et constantiæ in gravibus et periculosis rebus argumentum, majorem autem ad divinæ erga hujusmodi homines benignitatis demonstrationem. Ad id enim, quod de justo viro recte dictum est: *Cum ceciderit, non collidetur*²², magis novum aliquid adjunctum est: Etiamsi collisus fuerit, celerrime sanabitur, gloriaque afficietur²³. Nam si, præterquam æquum esse videbatur, ægrotavit, at etiam præterquam fieri posse videbatur, ad se rediit, adeo ut morbus a sanitate propemodum subreptus sit, clariorque curatio, quam plaga fuerit.

XVI. O laudabilem et admirandam calamitatem! O passionem incolumitate sublimiorem! O quam hæc verba, *Percutiet et turundam adhibebit, et sanabit, et tertia die suscitabit*²⁴, licet ad alius quiddam magis que mysticum temperent, ut sane tenebatur, nihilosecuius tamen hujus quoque calamitati pulchre conveniunt! Sed hoc omnibus, etiam procul a nobis dissitis, notum; ad omnes enim hujus miraculi fama permanavit, atque hæc historia una cum admirandis aliis Dei operibus, et potentiis, in omnium linguis auribusque versatur. Quod autem in vulgus adhuc ob eam, quam dixi, sapientiam, et pietatem a fastu atque ostentatione alienam, ignotum et obscurum est, visne jam in medium profe-

²² Psal. xxxvi, 24. ²³ Psal. cxlv, 8. ²⁴ Ose. vi, 2.

(32) Ὁρώμενα. Coisl. 1, βλέπομενα.

(33) Φιλοσοφησάσης. « Cum hoc religiose cavere. »

(34) Καὶ μέλη. Reg. hu, Coisl. 1, καὶ ἀρμονίας, « compages. »

(35) Ὡς μὴ μάλλον, etc. « Ut non magis casus acerbitate percellerentur, quam inaudito restitutæ salutis miraculo stuperent. »

(36) Ὁρθώθησεται. « Erigetur. »

μη ὀρώμενα (32). Ἐρῶ δὲ τὰ μὲν γνώριμα τοῖς πᾶσι, τὰ δὲ ἀπόρρητα τοῖς πολλοῖς· καὶ τοῦτο ἐκείνης φιλοσοφησάσης (33), τὸ μὴ καλλωπίζεσθαι τοῖς χαρίσμασιν. Ἴστε τὰς μανείσας ἡμίονους, καὶ τὴν συναρπαγὴν τοῦ ὄχηματος, καὶ τὴν ἀπευκτὴν ἐκείνην περιτροπὴν, καὶ τὴν ἀποτοπὴν ἔλξιν, καὶ τὰ πονηρὰ συντρίμματα, καὶ τὸ γενόμενον ἐντεῦθεν σκάνδαλον τοῖς ἀπίστοις, εἰ οὕτω δίκαιοι παραδίδονται, καὶ τὴν ταχέϊαν τῆς ἀπιστίας διόρθωσιν· ὅτι πάντα συντριβείσα καὶ συγκοπείσα καὶ ὀστᾶ καὶ μέλη (34), καὶ ἀφανῆ καὶ φαινόμενα, καὶ οὕτε λατρῶν ἄλλον πλὴν τοῦ παραδόντος ἠγάγετο· ὁμοῦ μὲν καὶ ἔβην ἀνδρῶν αἰδουμένη καὶ χεῖρας (τὸ γὰρ κόσμιον κἂν τοῖς πάθεσι διεσώσατο)· ὁμοῦ δὲ καὶ τὴν ἀπολογίαν ζητοῦσα παρὰ τοῦ ταῦτα παθεῖν συγχωρήσαντος, οὕτε παρ' ἄλλου τινὸς ἢ ἐκείνου τῆς σωτηρίας ἔτυχε· ὡς καὶ μὴ μάλλον (35) ἐπὶ τῷ πάθει πληγῆναι τινος, ἢ ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς ὑγείας καταπλαγῆναι, καὶ διὰ τοῦτο δοξᾶν συμβῆναι τὴν τραγωδίαν, ἢ ἐνδοξασθῆναι τοῖς πάθεσι· παθοῦσα μὲν ὡς ἄνθρωπος, λαθεῖσα δὲ ὑπὲρ ἄνθρωπον, καὶ διήγημα δοῦσα τοῖς ὑστερον, μέγιστον μὲν εἰς ἀπόδειξιν τῆς ἐν τοῖς πάθεσι πίστεως, καὶ τῆς πρὸς τὰ δεινὰ καρτερίας, μεῖζον δὲ τῆς τοῦ Θεοῦ περὶ τοὺς τοιοῦτους φιλανθρωπίας. Τῷ γὰρ, Ὅτε ἂν πέση κύ καταβράχθησεται, περὶ τοῦ δικαίου καλῶς εἰρημένῳ, προσετέθη καινότερον, τὸ κἂν καταβράχῃ, τάχιστα ὀρθωθήσεται (36), καὶ δοξασθήσεται. Εἰ γὰρ παρὰ τὸ εἰκὸς ἔπαθεν (37), ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τὸ εἰκὸς ἐπανήλθε πρὸς ἑαυτὴν, ὡς μικροῦ (38) κλαπήναι τῆ ὑγείᾳ τὸ πάθος, καὶ περιφανεστέραν γενέσθαι τὴν

θεραπείαν ἢ τὴν πληγὴν.

ICV. Ὡς συμφορᾶς ἐπαινουμένης καὶ θαυμασίας! Ὡς πάθους ἀπαθείας ὑψηλοτέρου! Ὡς τοῦ, Πατάξει καὶ μοτώσει, καὶ ὑγιάσει, καὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστήσει, φέροντος μὲν (39) εἰς μεῖζον καὶ μυστικώτερον, ὡσπερ οὖν ἤγεγεν, οὐχ ἤττον δὲ τοῖς ταῦ τῆς (40) ἀρμύζοντος πάθει! Τοῦτο μὲν οὖν, ὃ πᾶσι πρόδηλον καὶ τοῖς πόρρωθεν, ἐπεὶ καὶ εἰς πάντας τὸ θαῦμα διήλθε, καὶ ἐν ταῖς πάντων κείται (41) γλῶσσαις καὶ ἀκοαῖς· τὸ διήγημα μετὰ τῶν ἄλλων τοῦ Θεοῦ θαυμασίων τε καὶ δυνάμεων. Τὸ δὲ μέχρι νῦν ἀγνοούμενον τοῖς πολλοῖς καὶ κρυπτόμενον δι' ἣν εἶπον φιλοσοφίαν, καὶ τὸ τῆς εὐσεβείας ἀτυφόν τε καὶ ἀκαλλώπιστον, εἶπω κελεύεις, ὡ ποιμένων ἄριστοι καὶ τελεώτατε, ὁ τοῦ ἱεροῦ προδάτου ἐκείνου ποι

(37) Ἐπαθεν. « Passa est. »

(38) Ὡς μικροῦ, etc. « Ut mali vis subita sanitate prope subrepta sit. »

(39) Φέροντος μὲν. Sic Regg. bm, hu, et Or. Deest μὲν, in eu.

(40) Τοῖς ταύτης. Sic melioris uolæ codd. Ed. τῆς ταύτης.

(41) Κείται. Deest in pluribus codicibus.

μήν (42), καὶ τοῦτο νεύεις λοιπόν; Ἐπειδὴ καὶ μόνοι Α τὸ μυστήριον ἐπιστεύθημεν, καὶ μάρτυρες ἀλλήλοις ἐσμὲν (43) τοῦ θαύματος· ἢ εἶ τι ἄπελθούση τὴν πίστιν φυλάξωμεν (44); Ἄλλὰ μοι δοκεῖ, ὡσπερ τότε καιρὸς (45) εἶναι τῆς σωτῆς, οὗτω νῦν τῆς ἐξαγορεύσεως, οὐ μόνον εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ δόξαν, ἀλλὰ καὶ εἰς παράκλησιν τῶν ἐν θλίψεσιν.

IZ'. Ἐκαμμεν αὐτῇ τὸ σῶμα, καὶ διέκειτο πονή-
ρωσ, καὶ ἡ νόσος ἦν τῶν ἀθίων καὶ ἀλλοκώτων· πύ-
ρωσις μὲν ἀθρόα παντὸς τοῦ σώματος, καὶ οἶον
βρασμός τις, καὶ ζέσις αἵματος, εἶτα πήξις τούτου,
καὶ νάρκη, καὶ ὠχρίασις ἀπιστος, καὶ νοῦ καὶ μελῶν
παράλυσις· καὶ τοῦτο οὐκ ἐκ μακρῶν τῶν διαστη-
μάτων, ἀλλ' ἦν ὅτε καὶ λίαν συνεχῶς (46)· καὶ τὸ
κακὸν οὐκ ἀνθρώπινον ἐνομιζέτο, καὶ οὔτε ἰατρῶν
ἤρχον τέχνην λίαν ἐπιμελῶς διασκεπτομένων περὶ
τοῦ πάθους, καὶ καθ' ἑαυτὸν ἐκάστου, καὶ σὺν ἀλλή-
λοις, ὅτε γονέων δάκρυα, πολλὰ ἀλλότιστα δαδνημένα,
οὔτε πάνδημοι λιταὶ καὶ ἱκεσίαι, ἄς, ὡς ὑπὲρ τῆς
ἑαυτοῦ σωτηρίας ἕκαστος, ἐποιοῦντο πᾶς ὁ λαός· καὶ
γὰρ ἦν ἅπασι σωτηρία τὸ ἐκεῖνην σώζεσθαι, ὡσ-
περ τούναντιον, πάθος κοινὸν τὸ τῇ ἀβρώστει κα-
κοπαθεῖν.

III'. Τί σὺν ἡ μεγάλη καὶ τῶν μεγίστων (47) ἀξία
ψυχῆ, καὶ τίς ἡ ἰατρία τοῦ πάθους; Ἐνταῦθα γὰρ
ἔδη καὶ τὸ ἀπόρρητον. Πάντων ἀπογοῦσα τῶν
ἄλλων, ἐπὶ τὸν πάντων ἰατρὸν καταφεύγει, καὶ νοκτὸς
ἀωρίαν τήρησασα, μικρὸν ἐνδοῦσης αὐτῇ τῆς νόσου,
τῷ θυσιαστηρίῳ προσπίπτει μετὰ τῆς πίστεως, καὶ
τὸν ἐπ' αὐτῇ τιμώμενον (48) ἀνακαλουμένη μεγάλη τῇ
βοῇ, καὶ πάσαις ταῖς κλήσεσι, καὶ πασῶν αὐτῶν τῶν
πῦποτε (49) δυνάμεων ὑπομνήσασα (σοφῆ γὰρ ἐκεῖνη
καὶ τὰ παλαιὰ καὶ τὰ νέα), τέλος εὐσεβῆ τινα καὶ
καλὴν ἀναισχυντίαν ἀναισχυντεῖ· μιμνεῖται τὴν τοῖς
κρυσπέδοις Χριστοῦ ξηράνασαν πηγὴν αἵματος. Καὶ
τί ποιεῖ; τῷ θυσιαστηρίῳ τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς προσ-
θεῖσα (50) μετὰ τῆς ἰσῆς βοῆς, καὶ δάκρυσι τοῦτο
πλουσίως, ὡσπερ τις πάλαι τοὺς πόδας Χριστοῦ (51)
καταβρέχουσα, καὶ μὴ πρότερον ἀνήσειν ἢ τῆς ὑγιείας
τυχεῖν ἀπειλοῦσα (52)· εἶτα τῷ παρ' ἑαυτῆς φαρμάκῳ
τούτῳ τὸ σῶμα πᾶν ἐπαλείφουσα, καὶ εἰ πού τι τῶν
ἀντιτύπων (53) τοῦ τιμίου σώματος ἢ τοῦ αἵματος ἢ
χεῖρ ἔθησαύρισε, τοῦτο καταμιγνῦσα (54) τοῖς δά-
²⁶ Matth. ix, 20. ²⁷ Luc. vii, 38.

(42) Ἐκεῖνον ποιμήν. Reg. hu, Or. et Jes. ποι-
μήν ἐκεῖνου.

(43) Ἐσμέν. Deest in Regg. a, bm, hu, Or. Jes.

(44) Φυλάξωμεν. Reg. hu, φυλάξομεν.

(45) Καιρός. Reg. hu, Coisl. 1, καιρόν.

(46) Συνεχῶς. Regg. bin, hu, tres Colb. Or. συν-
εχῶν.

(47) Τῶν μεγίστων. Hæc de parentibus Gorgo-
niæ possunt intelligi.

(48) Καὶ τὸν ἐπ' αὐτῇ τιμώμενον. Chrysost. pas-
sim utitur his vocibus, κεῖσθαι et κείμενον. Galli
vero, « reposer sur l'autel. » Quibus verbis, Chri-
sti in Eucharistia supra altare realis præsentia si-
gnificatur.

ram, o pastorum optime et perfectissime, et sacræ
illius ovis pastor, idque nunc demum annuis? Quan-
doquidem nobis solis hoc arcanum commissum est,
atque hujus miraculi testes nobisipsi mutuo sumus,
an fidem defunctæ datam diutius servabimus? Mibi
vero, ut tum silentio premendæ, ita nunc efferendæ
ac prædicandæ hujus rei tempus esse videtur, non
solum ad Dei gloriam, sed ad eorum etiam, qui ca-
lamitatibus premuntur, consolationem.

XVII. Adversa corporis valetudine tenebatur,
graviterque laborabat, eratque insolens quoddam et
prodigiosum morbi genus: subita nimirum totius
corporis inflammatio, ac velut ebullitio quædam,
et fervor sanguinis, ac deinde ejusdem concretio,
et torpor, pallorque incredibilis, et mentis ac mem-
brorum dissolutio: idque non per longa intervalla,
sed nonnunquam etiam admodum crebra et assidua;
malumque ²²⁹ istud haud humanum esse judica-
batur, nec medicorum, tum separatim, tum etiam
inter se de morbo sedulo consultantium, artes, ad
propulsandum dolorem, pares esse poterant, nec
parentum lacrymæ, quæ multum sæpe valuerant,
nec publicæ preces et supplices orationes, quas, ut
pro sua quisque salute, populus universus faciebat.
Omnes enim eo animo erant, ut illius salutem suam es-
se salutem ducerent, quemadmodum contra illius mor-
bum, communem omnium morbum et calamitatem.

XVIII. Quid igitur magna illa, maximisque rebus
digna anima facit, et quam dolori medicinam ad-
hibet? Hic enim jam arcanum situm est. Desperatis
omnibus aliis auxiliis, ad mortalium omnium medi-
cum confugit, atque intempesta nocte captata, cum
morbus nonnihil remisisset, ad altare cum fide
procumbit, eumque qui super ipso honoratur cum
ingenti clamore invocans, omnibusque nominibus
appellans, atque omnia ea, quæ unquam mirifice
gesserat, velut in memoriam ei revocans (nam, et
veteres, et novas historias callebat), tandem pia et
præclara quadam impudentia effertur. Eam, quæ
Christi simbria sanguinis profluvium compresser-
at ²⁶, imitatur. Quid enim agit? Cum caput suum
pari cum clamore, lacrymisque, quibus abundabat,
mulieris illius instar, quæ olim Christi pedes rig-
gavit ²⁷, altari admovisset; nec se prius istud di-
missuram esse denuntiasset, quam sanitatem obti-
nuisset; ac deinde hoc suo pharmaco corpus totum
perfudisset; et si quid uspiam antityporum pretiosi

(49) Πῦποτε. Regg. a, hu, Jes. ποτε.

(50) Προθεῖσα. Coisl. 1, προθεῖσα. « Cum altari
caput admovisset, atque illud lacrymarum copia,
velut quædam olim mulier Christi pedes affatim ri-
gans, perfudisset. »

(51) Χριστοῦ. Reg. hu, τοῦ Χριστοῦ.

(52) Ἀπειλοῦσα. Coisl. 1, ἐπαπειλοῦσα. Quasi
« minitabunda, » vel « novens, » ut intelligit Elias.

(53) Ἀντιτύπων. Per ἀντίτυπα, recte Elias ip-
sam Eucharistiam intelligit, et ipsum vere corpus
Christi exponit.

(54) Τοῦτο καταμιγνῦσα τοῖς δάκρυσι. Hæc de-
sunt in Reg. bm, tribus Colb. Or. Jes.

corporis aut sanguinis manus recondiderat, id lacrymis admiscuisset, (o rem admirandam!) statim liberatam se morbo sentit, atque et corpore, et animo, et mente levis discedit, pro spei mercede, id, quod speraverat, consecuta, et per animæ robur corporis vires accipiens. Magna quidem hæc sunt, non tamen falsa. His omnes, tam sani, quam ægri, fidem adhibete: ut sanitatem, alii habeatis, alii recipiatis. Quodque non jactantiæ specimen hæc narratio sit, hinc liquido constat, quod hanc rem, quaudiu ipsa vixit, tectam et silentio compressam, nunc demum patefecit. Ac ne nunc quidem eam evulgassem, nisi timor quidam animum incessisset, si tantum miraculum, et fidelibus, et infidelibus, et

230 XIX. Atque hujusmodi quidem ipsius vita fuit: compluraque etiam, ne modum oratio excederet, nosque inexplibili quadam ipsius laudandæ aviditate teneri videremur, prætermisimus. Piæ autem et celebri ipsius morti fortasse injuriam fecerimus, nisi ipsius quoque laudes commemoremus; cum præsertim eam ita cuperet ac requireret. Commemorabo autem, quam fieri poterit brevissime. Dissolvi cupiebat ²⁸ (multam quippe apud eum, a quo vocabatur, fiduciam obtinebat), ac cum Christo esse, omnibus terræ commodis præponebat: nec quisquam eorum, qui ad amorem valde propensi sunt, atque ægre retineri possunt, ita corpus adamat, ut illa, excussis his compedibus, atque hac fæce, cum qua vivimus, superata, cum pulchro illo pure coniungi, eumque totum, quem amabat, auctam etiam a quo amabatur, complecti gestiebat, cujus nunc videlicet exiguis radiis colustramur, et a quo, quatenus cognosci potest, sejuncti sumus. Nec vero tam sublimi ac divino desiderio fraudatur; quodque eo majus est, per prænationem ac longam vigiliam bonum illud præcipit. Hanc enim somnii suavis excipit, visioque una præstituta tempore discessum e vita complectens, diemque adeo ipsum indicans; Deo nimirum hoc constituente, ut parata, et non turbata esset.

XX. Nam quod ad purgationis et initiationis bonum attinet, quod commune donum, et secundæ vitæ fundamentum a Deo omnes acceptum habemus, recens id acceperat. Imo vero tota vita nihil illi aliud erat, quam purgatio, et perfectio: ac regenerationem quidem a Spiritu sancto habebat; ipsius autem securitas ex anteaacta vita. Atque soli ei pene, ut audacter loquar, baptismus, non gratia,

²⁸ Philipp. 1, 23.

(55) Ὑγιαίνω. Reg. bm, ὕγιαν.

(56) Ἀπολάθητε. Coisl. 1, ἀπολάθοιτε.

(57) Τοσοῦτον. Reg. lu, Or. Jes. τοσοῦτο.

(58) Προετίθει. Coisl. 1, προσετίθη.

(59) Βιωτεύομεν. Regg. a, lu, Or. βιοτεύομεν.

(60) Καὶ ὅσον γινώσκεις, οὐ κεχωρισμέθα. Billius, « atque hactenus, ut, a quo disjuncti sumus, agnoscamus. »

(61) Προπρολαύει. « Præcipit, in antecessum bono fruatur. »

(62) Ἐκδημιαν. Quæ sequuntur, usque ad αὐτῆ μέν, desunt in Regg. bm, lu, Coisl. 2, Jes., etc.

(63) Ὑπόγυιον. Schol. τὸ νεωστὶ καὶ προσφάτως

κρυσιν, (ὡ τοῦ θαύματος!) ἀπῆλθεν εὐθὺς αἰσθημένη τῆς σωτηρίας. κοῦρη καὶ σῶμα, καὶ ψυχὴν, καὶ διανοίαν, μισθὸν ἐλπίδος λαβοῦσα τὸ ἐλπίζόμενον, καὶ τῆ τῆς ψυχῆς εὐρωστία κομισαμένη τὴν τοῦ σώματος. Ταῦτα μεγάλα μὲν, οὐ ψευδῆ δέ. Τούτοις πιστεύετε ἅπαντες, καὶ νοσοῦντες, καὶ ὑγιαίνοντες· ἐν οἷ μὲν ἔχητε τὴν ὑγίειαν (55), οἱ δὲ ἀπολάθητε (56). Καὶ ὅτι μὴ κόμπος τὸ διήγημα, ὄθλον ἐξ ὧν ζώσης κατασιγήσας, νῦν ἐξεκάλυψα· καὶ οὐδ' ἂν νῦν ἐδημοσίευσσ, εὐ ἴσθε, εἰ μὴ τις ἔσχε με φόβος θαῦμα τοσοῦτον (57) κατακρύψαι καὶ πιστοῖς καὶ ἀπίστοις, καὶ τοῖς νῦν καὶ τοῖς ὕστερον.

B 10' Τὰ μὲν δὴ τοῦ βίου τοιαῦτα· καὶ τὰ πλείω παραλειοῦπαμεν διὰ τὴν συμμετρίαν τοῦ λόγου, καὶ τοῦ μὴ δοκεῖν ἀπλήστως ἔχειν περὶ τὴν εὐφημίαν· τάχα δ' ἂν ἀδικοῦμεν τελευτὴν ὅσταν καὶ περιδότηον, εἰ μὴ καὶ τῶν ταύτης καλῶν ἐπιμνησθειμένων· καὶ ταῦτα οὕτως ἐκείνης ποθομένης τε καὶ ζητούμενης. Μνησθήσομαι δὲ, ὡς ἂν οἶδον τε ἢ συντομώτατα. Ἐπόθει μὲν τὴν ἀνάλασιν (καὶ γὰρ εἶχε πολλὴν πρὸς τὸν καλοῦντα τὴν παρῆρησίαν), καὶ τὸ σὺν Χριστῷ εἶναι πάντων προετίθει (58) τῶν ὑπὲρ γῆς· καὶ οὐδεις οὕτως ἐρᾷ σώματος τῶν λίαν ἐρωτικῶν τε καὶ δυσκαθίεκτων, ὡς ἐκείνη τὰς πέδας ἀπορρίψασα ταύτας, καὶ τὴν ἰλίαν ὑπερβάσα, μεθ' ἧς βιωτεύομεν (59), μετὰ τοῦ καλοῦ καθαρώς γενέσθαι, καὶ τὸν ἐρώμενον ἀπολαβεῖν ὄλον, προσθήσω δ' ὅτι καὶ τὸν ἐραστήν, οὐ νῦν μικραῖς ἐλλαμπόμεθα ταῖς αὐγαῖς, καὶ ὅσον γινώσκεις, οὐ κεχωρισμέθα (60). Διαμαρτάνει δὲ οὐδὲ ταύτης τῆς ἐπιθυμίας, οὕτως οὐσης ἐνθέου καὶ ὑψηλῆς, καὶ ὁ τοῦτου μεῖζόν ἐστι, προαπολαύει (61) τοῦ καλοῦ διὰ τῆς προγνώσεως καὶ τῆς πολλῆς ἀγρυπνίας. Ταύτην εἰς ὕπνον τῶν ἡδίστων ἀμείβετα, καὶ ὕψις μία προθεσμίᾳ περιλαβοῦσα τὴν ἐκδημίαν (62), καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην γνωρίσασα, ὡς ἂν τὸ ἐτοιμασθῆναι καὶ μὴ παραχθῆναι τοῦ θεοῦ πρυτανεύοντος.

K' Αὐτῆ μὲν οὖν υπογυιον (63) τὸ τῆς καθαρσεως καὶ τελειώσεως ἦν ἀγαθόν, ἦν κοινὴν δωρεάν, καὶ δευτέρου βίου κρηπίδα παρὰ θεοῦ πάντες (64) λαβόντες ἔχομεν. Μᾶλλον δὲ πᾶς ὁ βίος καθαρσις ἦν αὐτῆ καὶ τελειώσις· καὶ τὸ μὲν τῆς ἀναγεννήσεως εἶχεν (65) ἐκ τοῦ Πνεύματος, τὸ δ' ἀσφαλὲς ταύτης ἐκ τῶν προβεδωμένων. Καὶ μόνῃ σχεδόν, ἐν εἴπω τομῆσας, σφραγίς, ἀλλ' οὐ χάρισμα ἦν τὸ μυστήριον.

γενόμενον· « Quod nuper ac recentèr contigit, id est, Gorgonia recens baptisata. » Mirum profecto videbitur, Gorgoniam singulari pietate præditam sanctisque editam parentibus, « purgationis et initiationis bonum » tamdiu distulisse. Constat tamen, ni fallor, eam certe baptismum suscepisse, priusquam sanitatem, de qua superius, n. 18, mirabili modo recepisset. Unde enim domi recondita habuisset « corporis et sanguinis Domini antitypa, » quæ catechumenis attrahere non licebat?

(64) Πάρτες. Deest in quibusdam Regg. et Jes.

(65) Ἐίχετ. Deest in plerisque codicibus.

Ἐν δὲ τοῖς παῖσι προστεθῆναι ζητοῦσα τὴν τοῦ ἀνδρός A
τελειώσιν (βούλεσθε γράψω τὸν ἀνδρα συντόμως ;
ἀνδρὸς ἐκείνης, καὶ οὐκ οἶδ' ὅ τι χρὴ πλεόν εἰπεῖν),
ἐν ὄλω τῷ σώματι Θεῶν καθιερωθῆ, καὶ μὴ ἐξ ἡμι-
σείας ἀπέλθῃ τετελεσμένη, μηδ' ὑπολείπηται τι τῶν
ἑαυτῆς ἀτελεῖς, οὐδὲ ταύτης διαμαρτάνει τῆς δεήσεως
παρὰ τοῦ θέλημα τῶν φοβουμένων αὐτὸν ποιούντος,
καὶ εἰς πέρας ἄγοντος τὰ αἰτήματα.

KA'. Ὡς δὲ ἅπαντα εἶχεν αὐτῇ κατὰ νοῦν, καὶ
οὐδὲν ἐνέδει τῶν ποθουμένων, καὶ ἡ κυρία (66) πλησίον,
οὕτως ἦδη τῷ θανάτῳ συσκευάζεται καὶ τῇ ἐκδημίᾳ,
καὶ πληροὶ τὸν περὶ ταῦτα νόμον διὰ τῆς κατακλί-
σεως (67). Ἐπισκήψασα (68) δὲ καὶ ἀνδρὶ, καὶ τέ-
κνοις, καὶ φίλοις, ὅσα εἰκὸς τὴν φιλανδρον, καὶ φιλό-
τεκνον, καὶ φιλάδελφον, καὶ λαμπρῶς περὶ τῶν ἐκεῖ-
θεν φιλοσοφῆσασα, καὶ πανηγύρεως ἡμέραν ποιησα-
μένη τὴν τελευταίαν, κοιμᾶται, πλήρης μὲν οὐ τῶν
κατὰ ἀνθρώπον ἡμερῶν, ὅ τι μὴδὲ συνήχετο (69),
ταύτας ἑαυτῇ πονηρὰς εἰδύσα, καὶ τὰ πολλὰ μετὰ
τοῦ χόδς (70) καὶ τῆς πλάνης, τῶν δὲ κατὰ Θεὸν καὶ
λίαν πλήρης, ὡς οὐκ οἶδ' εἴ τις βρῶδως τῶν ἐν πλου-
σίᾳ τῇ πολιᾷ καταλυσάντων, καὶ πολλὰς ἐτῶν πε-
ριόδους ἀριθμησάντων. Οὕτως ἐκείνη λύεται, ἢ
προσλαμβάνεται, κρεῖσσον εἰπεῖν, ἢ ἀφίπταται, ἢ
μετοιχίζεται, ἢ μικρὸν προαποδημῆ τοῦ σώμα-
τος (71).

KB'. Ἄλλ' οἶδ' ἂν με μικρὸν (72) τῶν ἐκείνης παρ-
έδραμεν! τάχα δ' ἂν οὐ συνεχώρησας, ὡ σὺ πάτερ
ἐκείνης πνευματικῆ, ὅ καὶ τηρήσας ἀκριβῶς τὸ θαῦ-
μα, καὶ ἡμῖν γνωρίσας· μέγα μὲν εἰς φιλοτιμίαν
ἐκείνη, μέγα δὲ ἡμῖν εἰς ὑπόμνησιν ἀρετῆς, καὶ
πόθον τῆς αὐτῆς ἀναλύσεως. Καὶ με φρίκη τις ὑπο-
τρέχει, καὶ δάκρυον ὄμοῦ, μεμνημένον τοῦ θαύμα-
τος. Ἐλύετο μὲν ἦδη καὶ ἀνέπνει τὰ τελευταῖα, καὶ
χορὸς περὶ αὐτὴν οἰκείων τε καὶ ξένων χαριζομένων
τὰ προπεμπτήρια· καὶ μητρὸς γηραιᾶς ἐπίνευσις (75),
καὶ ψυχῆς παραγωγὸς ζηλοτυπίας τὴν ἐκδημίαν,
καὶ φίλτρον ἀπάντων ἀγωνία σύγκρατον, τῶν μὲν
ὅ τι ἀκούσωσι (74) ποθούτων, μνήμης ἐμπύρευμα,
τῶν δὲ ὅτι φθέγγονται (75), τολμῶντος δὲ (76) οὐδενός.
Καὶ κωφὰ τὰ δάκρυα, καὶ ἡ τῆς λύπης ὄδιν ἀθερά-
πτως (οὐδὲ γὰρ ὄσιον ἐδόκει θρηνοῖς τιμᾶν τὴν
οὕτω χωριζομένην), σιγῇ δὲ βαθεῖα, καὶ τελετή τις

⁹⁹ Psal. cxxiv, 19.

(66) Ἡ κυρία. Schol., ἡ ὁρισθεῖσα τοῦ θανάτου
ἡμέρα, « constitutus mortis dies. »

(67) Τῆς κατακλίσεως. Coisl. 1, τῆς ἐσχάτης κα-
τακλίσεως, « ultimum se lectulo componit. »

(68) Ἐπισκήψασα. Malim : « cum pluribus ser-
monibus obtestata esset, injunxisset, mandasset, »
etc.

(69) Συνήχετο. Reg. hm, συνεύχετο.

(70) Μετὰ τοῦ χόδς, etc. Billius « cum pulvere a
noie atque impostura. »

(71) Προαποδημῆ τοῦ σώματος. « Corpore abs-
cedit. »

(72) Μικρὸν. Reg. a, Coisl. 1, Jes. et Combef.,

sed sigillum erat. Porro cum unum aoc ad omnia
accedere cuperet, ut maritus quoque perficeretur
(vultis uno verbo virum describam? vir illius :
nec enim scio, quid amplius dicere necesse sit), ut
sic toto corpore Deo consecraretur, ac non dimidia
tantum ex parte perfecta discederet, ipsiusque ali-
quid imperfectum relinqueretur, hoc quoque pre-
cibus ab eo, qui voluntatem timentium se facit ⁹⁹,
ac petitiones eorum ad finem perducit, impetra-
vit.

231 XXI. Cum autem omnia ex ipsius animi sen-
tentia sese haberent, nec quidquam eorum, quæ cu-
piebat, abesset, jamque præstitutus dies immineret,
ita jam ad mortem et exitum se comparat, atque, ut
legem, quæ in hujusmodi rebus viget, expleret, in le-
ctum se conjicit. Cumque ad virum, et filios, et amicos,
sermones habuisset, quos mulierem, viri, et filio-
rum, et fratrum amore præditam habere par erat,
ac de altera vita præclare disseruisset, diemque ex-
tremum festum diem fecisset, ita demum obdor-
miscit, plena, non humanorum dierum, quos ne
ipsa quidem exoptabat, utpote quos sibi malos, et
ut plurimum cum pulvere et errore conjunctos
esse non ignoraret; sed dierum secundum Deum
ita plena, ut haud scio an perinde quisquam eo-
rum, qui in ditissima senectute mortem obierunt,
ac multos annorum orbis numerarunt, exstiterit.
Sic illa solvitur, aut, ut melius loquar, assumitur,
aut avolat, aut transmigrat, aut paululum ante cor-
pus abscedit.

XXII. Verum enimvero qualis ipsius laus mihi
propemodum excidit! fortasse autem ne tu quidem
id passus fuisses, o spiritualis illius pater, qui
etiam miraculum istud accurate observasti, nobisque
indicasti: magnum sane, ut ipsi ad gloriam, ita
nobis ad virtutis monumentum atque ejusdem dis-
solutionis desiderium. Ac mihi horror quidam sub-
sit, lacrymæque simul, hoc miraculum recordanti.
Jam solvebatur, atque extremos spiritus efflabat, ac
circum eam tum propinquorum, tum exterorum
chorus erat, prosecutionis officia ipsi præstantium;
et vetulæ matris observatio, animæque distortio
exitum zelotypia prosequenti, et mirus omnium
amor anxietate permistus, quorum alii, ad excus-
sitandam in eorum animis ipsius memoriam, ali-
quid audire gestiebant, alii vero loqui cupiebant,
nec tamen audebant. Ac mutæ lacrymæ, mæror-

μικροῦ.

(75) Ἐπίνευσις. « Observatio, propensio. » Ad-
stabat enim longæva mater, inclinato corpore, pro-
nis oculis, observans, ut fieri solet, extremos Gorgo-
niæ halius, Elias, quem Billius sequitur, pro ἐπί-
νευσις, habet ἐπίνευσις, « spiratio; » quæ voces,
juxta Combefisium, hic parum differunt.

(74) Ὁ τι ἀκούσωσι. Combef., ὅ τι ἀκουσούσι.

(75) Δὲ ὅ τι φθέγγονται. Coisl. 1 et Jes. ὅ ὅ τι
φθέγγονται.

(76) Τολμῶντος δέ, etc. Si præcedat punctum
ita vertendum : « nemine vero audente, mutæ flue-
bant lacrymæ, » etc.

que incurabilis (nec enim pium videbatur, eam, A quæ ita discederet, luctu prosequi), altumque silentium erat, ac mors illius sacræ cujusdam cærimonix speciem habebat. Illa autem, quantum quidem ex aspectu conjici poterat, nec spirabat, nec movebatur, nec sonum ullum edebat, silentiumque illud fracti et dissoluti corporis opinionem omnibus afferebat; perinde videlicet atque vocis instrumenta, ob animæ, qua movebantur, excessum, jam oppressa **232** et extincta essent. At cum pastor ille, qui propter miraculum, quod omnibus rebus elucebat, facta dictaque illius omnia diligenter observabat, labia ipsius leniter moveri sensisset, auremque propius admovisset (fidentem enim eum, cum sui mores, tum commiseratio ipsa faciebat,) quin tu ipse hujus silentii mysterium exponis? Nemo quippe tibi narranti fidem abrogabit. Psalmodia erat, id quod submussitabat, ac psalmodix verba ad exitum pertinentia: et, si vere loquendum est, libertatis illius ac fiducix, cum qua hinc excedebat, testimonium. Ac beatus ille, qui cum verbis illis extremum vitæ spiritum claudet: *In pace in idipsum dormiam et requiescam* ²⁰. Hæc, et a te, o mulierum præstantissima, canebantur, et tibi contingebant; ac psalmodia, id erat, quod fiebat, conjunctumque cum discessu epitaphium erat: quippe quæ mentem a vitiosis peremotionibus rite pascatam habueris, ac præter communem soporem, debitum quoque Deo charis hominibus somnum acciperis, quemadmodum eam par erat, quæ in pietatis verbis, et vixerat, et abscesserat.

XXIII. Equidem non dubito, quin iis, quæ oculis C cernuntur, multo præstantiora sint ea, quibus nunc fruieris, nempe sonus epulantium ²¹, angelorum chorea, cælestis ordo, gloriæ contemplatio, cum alterius, tum supremæ Trinitatis purior et perfectior illuminatio, non jam viactam mentem ac per sensus diffusam suffugientis, sed totam sese toti menti contemplandam et tenendam præbentis, totoque divinitatis lumine animis nostris affulgentis. Omnino, inquam, his fruieris quorum, etiam dum adhuc in terra esses, ob sinceram ad ea mentis erectionem, rivulos habebas. Quod si quid eos quoque, qui tibi a nobis habentur, honores curas, atque hoc præmii sanctis animis divinitus contingit, ut ista sentiant, nostram quoque orationem pro multis, ac præ multis funebribus donis accipias velim, quam Cæsario ante te, et tibi post illum persolvimus, quandoquidem fratrum funeribus oratione prosequendis sumus reservati. An vero nos quoque post vos pari honore quispiam affecturus

²⁰ Psal. iv, 10 ²¹ Psal. xli, 5.

(77) *Ἐγχώρησιν*. Duo Coisl., tres Colb., Jes., εὐχώρησιν.

(78) *Ποιμήν*, etc. Is spiritualis Gorgonix pastor erat, non Amphilocheus, ut arbitratur Elias, sed Faustinus tunc Iconii episcopus. Vide monitum in hanc orationem, n. 3. Idcirco pastor ille omnes morientis Gorgonix motus studiose observabat, « quod nihil in illis non esset mirandum. »

(79) *Ὅτι ποτε ἦν καὶ ὄλον*. Combef. legit, *ποῖον*. « Quid tandem, ac cujusmodi fuerit, exponere. »

(80) *Ἐξόδια*. Jes. ἐξόδια.

(81) *Ἀναπαύεται*. Reg. bm, Coisl. 1, Jes., ἀνα-

ὁ θάνατος. Ἡ δὲ ἀπνοῦς τε καὶ ἀκίνητος, καὶ ἀφθογος, τὸ φαινόμενον, καὶ ἡ σιωπὴ τοῦ σώματος ἐδίδκει παράλυσιν, ὡς ἤδη τῶν φωνητικῶν ὀργάνων νενεκρωμένον, διὰ τὴν τοῦ κινουμένου ἐγχώρησιν (77). Ἡρέμα δὲ τῶν χειλέων κινουμένων αἰσθόμενος ὁ πάντα τηρῶν τὰ ἐκείνης ἐπιμελῶς ποιμὴν (78), διὰ τὸ ἐν πᾶσι θαῦμα, καὶ παραθεὶς τὰ ὄντα τοῖς χειλεσι (τὸ γὰρ θαρρῆν εἶχε καὶ παρὰ τοῦ τρόπου καὶ παρὰ τῆς συμπαθείας), αὐτὸς διήγησαι τὸ τῆς ἡσυχίας μυστήριον, ὃ τί ποτε ἦν καὶ ὄλον (79)· οὐδεὶς ἀπιστήσαι σοῦ λέγοντος. Ψαλμῳδία τὸ ὑπολαλούμενον ἦν, καὶ ψαλμῳδίας τὰ ἐξόδια (80) ῥήματα· εἰ δὲ χρὴ τάληθὲς εἰπεῖν, μαρτυρία τῆς παρρησίας, μεθ' ἧς ἡ ἐξοδος. Καὶ μακάριος ὅστις μετ' ἐκείνων ἀναπαύεται (81) τῶν ῥημάτων· Ἐν εἰρήνῃ ἐπὶ τὸ αὐτὸ **B** κοιμηθήσομαι καὶ ὑπνώσω. Ταῦτα καὶ ἐψάλλετό σοι, καλλίστη γυναικῶν, καὶ συνέβαιεν· καὶ ἡ ψαλμῳδία τὸ γινόμενον ἦν, καὶ μετὰ τῆς ἐκδημίας ὁ ἐπιτάφιός· ὧ καλῶς ἀπὸ τῶν παθῶν εἰρηνεύσασα σὺ, καὶ τὸν ὀφειλόμενον τοῖς ἀγαπητοῖς ὕπνον ἀπολαβοῦσα πρὸς τῷ κοινῷ τῆς κοιμήσεως, ὡς εἶκός τὴν καὶ ζήσασαν καὶ ἀπελαβοῦσαν ἐν τοῖς τῆς εὐσεβείας ῥήμασιν.

ΚΓ'. Κρείσσω μὲν οὖν εὐ οἶδα καὶ μακρῷ τιμώτερα τὰ παρόντα σοι νῦν ἢ κατὰ τὰ ὀρώμενα, ἦχος ἑορταζόντων, ἀγγέλων χορεία, τάξις οὐρανία, δόξης θεωρία, τῆς τε ἄλλης καὶ τῆς ἀνωτάτω Τριάδος ἑλλαμψίς καθαρωτέρα τε καὶ τελειωτέρα, μηκέτι υποφευγούσης τὸν δέσμιον νοῦν καὶ διαχεόμενον ταῖς αἰσθήσεσιν, ἀλλ' ὅλης ὄψιν νοῖ θεωρουμένης τε καὶ κρατουμένης, καὶ προσαστραπτούσης ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς ἐλεῖ τῷ φωτὶ τῆς θεότητος. Πάντων ἀπολαύσις (82), ὣν ἐτι ὑπὲρ γῆς εἶχες τὰς ἀπορροίας διὰ τὸ γνήσιον τῆς πρὸς αὐτὰ νεύσεως (83). Εἰ δὲ τίς σοι (84) καὶ τῶν ἡμετέρων ἐστὶ (85) λόγος, καὶ τοῦτο ταῖς ὁσiais ψυχαῖς ἐκ θεοῦ γέρας, τῶν τοιοῦτων ἐπαισθάνεσθαι, δέχοιο καὶ τὸν ἡμέτερον λόγον (86) ἀντὶ πολλῶν καὶ πρὸ πολλῶν ἐνταφίων, ὃν Καίσαριον **D** μὲν (87) πρὸ σοῦ, καὶ σοὶ μετ' ἐκείνων ἀποδεδώκαμεν, ἐπειδὴ γὰρ ἀδελφῶν ἐπιταφίους ἐταμιεύθημεν. Εἰ δὲ καὶ ἡμᾶς τιμῆσειε (88) τις μεθ' ὡμᾶς τοῖς ἴσοις, οὐκ ἔχω λέγειν· πλην τιμηθεῖμέν γε μόνον τὴν ἐν θεῷ τιμὴν, καὶ παροικούντες (89) καὶ κατοικούντες

παύσεται.

(82) *Ἀπολαύσις*. Coisl. 1, ἀπολαύσις.

(83) *Νεύσεως*. « Inclinationem, intentionem »

(84) *Εἰ δὲ τίς σοι*, etc. « Si qua nostrorum tibi cura est; si nostrorum aliquid ad te pertinet. » Coisl. 1, addit τιμῶν. Sic etiam legit Billius.

(85) *Ἐστὶ*. Deest in Reg. bm, et Jes.

(86) *Λόγον*. Deest in Reg. bm.

(87) *Μέν*. Deest in Reg. bm, et Jes.

(88) *Τιμήσειε*. Reg. bm, et Jes., τιμήσει.

(89) *Καὶ παροικούντες*, etc. Id est, « pro præsentī ac futuro. » Hic nobis incolatus, hic peregrinamur. Habitatio in patria est.

ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα καὶ τῷ Πατρὶ σὺν ἁγίῳ Πνεύματι εἰς (90) τοῦς αἰῶνας. *nore, qui Deo gratus sit, afficiamur, tum peregrinantes, tum habitantes, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et Patri cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.*

(90) Δόξα ... εἰς. Interjecta desunt in Reg. bm, et Jes.

233 MONITUM IN ORATIONES IX, X ET XI.

I. In plerisque melioris notæ codicibus, et in ipsis etiam interpretibus, hoc ordine istæ tres collocantur orationes. Sasima spectant, id est, Gregorii ad Sasimorum episcopatum ordinationem; ideoque eodem anno, medio scilicet 372, pronuntiatae sunt. Prior quidem habita est, cum longævi patris reverentia, Basilii amicitia, ac timore victus, novo Sasimorum episcopatu « cervicem, » ut ipse loquitur Gregorius (91), « non animum inflexit. » Altera, cum e fuga, quam post consecrationem capesserat, rediit, se « in Christo viuctum, non catenis ferreis, sed tenacissimis spiritus vinculis constrictum, senectute et amicitia duci » profitetur (92). Posterior denique non diu post, coram Gregorio Nyseno, quem ad Gregorium nostrum Basilius miserat, ut « ipsius afflictum ob consecrationem animum consolaretur (93). »

II. Harum trium orationum idem scopus idemque argumentum est. Priorem, si Tillemontio fides, post susceptam manuum impositionem, dictam fuisse existimabimus. Verum de hac re inter se discrepant interpretes ac eruditi. Sunt enim qui aliter ac Tillemontius sentiant. Leuvenklaius siquidem hunc servans istius orationis titulum, e membranis forsan erutum, sic vertit: « Oratio ad patrem suum magnumque Basilium habita, cum hic eum Sasimorum antistitem esset creaturus. » Elias quoque in argumento sic interpretatur: « Quo tempore Sasimorum antistes creandus erat. » Bilibaldus etiam in orationis epigraphe ait: « cum in episcopum Sasimorum fuisset creatus, non adhuc inauguratus. » Ex quibus conicere licet, ea quæ hic dicuntur, non de peracta jam, sed de designata moxque futura ordinatione intelligi posse; ac proinde nihil omnino vetat asserere, solum Gregorii in suam ordinationem consensum hac oratione exprimi. Et vero, iste Theologi consensus non certe parva res est, nec indigna, quæ speciali oratione celebretur. Hinc enim quietis ac solitudinis amor superandus; hinc adversus honores, maxime sacros et ecclesiasticos, trepidatio et reverentia; hinc denique loci et circumstantiarum rationes, quæ omnia Gregorii animum magnopere deterrebant. Nihil ergo mirum, quod tam tarde, tamque ægre consensum istum præbuerit.

III. Quæritur autem utrum Sasimis, an Cæsareæ, an Nazianzi Gregorius consecratus fuerit. Nihil erit negotii de hac re pronuntiare. Non certe Sasimis; ipse enim Theologus aperte fateatur (94), « se nunquam datam sibi Sasimensem ecclesiam attingisse, nec illic sacrum unicum obiisse, nec cum plebe Deo preces adhibuisse, nec denique cuiquam manus imposuisse. » Id profecto dicere non potuisset, si in Sasimensi ecclesia fuisset consecratus. Res per se patet. Non etiam Cæsareæ; ac primo quidem huic consecrationi aderat Gregorius senior, cujus extrema ætas non sinebat ut Cæsaream se conferret; deinde si illuc se contulisset, id procul dubio silentio 234 non præterisset Theologus. Ipsius in hac re silentium maximum argumentum est, eum Cæsareæ non fuisse consecratum. Nazianzi igitur Sasimensis Ecclesiæ antistes inauguratus est, ipsique Basilius ibi manus imposuit. Id manifestum videtur ex his Gregorii verbis (95): « Accessit ad nos mihi maxime charus Basilius, alius mihi multo durior pater, » etc.

IV. Unctum fuisse a Basilio Gregorium, vel ab initio prodit oratio decima. Ipsi adfuit Gregorius senior. Adfuere etiam nonnulli alii consecratores præsules, ut ex his orationis nonæ (n. 6) verbis: « Me, et mecum sacrum hunc gregem pascite, » colligitur. Imo, ex isto contextu conicit Tillemontius quosdam e Sasimensibus ad id delegatos, « gregis » vicem gerentes, Gregorii consecrationi interfuisse. Verum, id interim ut demus, duo vel tres delegati « gregis » nomine nunquam significari possunt, maxime in majori multitudine permisti et confusi, in qua vix numerum faciunt. Laudata igitur a Tillemontio verba, non de Sasimensibus præsentibus, si tandem nonnulli interfuerint, sed de iis generatim, qui ejus fidei ab episcopis committebantur, ut Sasimenses quidem, quamvis non necessario præsentis, intelligenda sunt. Hinc scholiastes, qui hunc commentatur ejusdem orationis nonæ (n. 3) locum: « Ut Spiritus me ministro uteretur, ad populi hujus perfectionem, » etc., demonstrantem articulum, « hujus, » expungit, ut, remota illius vocis ambiguitate, propositio generatim sumatur. Fatemur tamen orationem decimam, apud Leuvenklaium, esse inscriptam: « Ad Sasimenses. » Sed manifestus error est, ex

(91) Carm. 2, vers. 487.

(92) Or. x, n. 1.

(93) Or. xi, n. 3.

(94) Carm. 2, vers. 529.

(95) Ibid. 386.

iis quæ diximus, sat superque confutatus. Aliam inquit viam doctissimus Petalidier (96); vult enim Sasimensibus scriptam tantum, non dictam fuisse hanc decimam orationem. At tanta est harum inter se orationum convenientia et connexio, ut, si unam non fuisse licitam concesseris, nullam omnino dictam concedere cogaris. Id autem repugnat istis Gregorii verbis (97): « En sermonem ipsum quem tibi (Basilio) cognitum exposcebas. » Et alibi (98): « Ne his quidem meis amantissimis fratribus sermones impertire sustinebam; » ex quibus has Gregorii orationes vere fuisse pronuntiatas manifestum est.

(96) Tom. III, not. in *Bibl. eccl.*, pag. 24.

(97) Or. IX, n. 4.

(98) Or. X, n. 1.

ORATIO IX.

ΛΟΓΟΣ Θ'.

Apologeticus ad patrem suum Gregorium, presente A *Basilio magno, cum episcopus Sasimorum creatus est.* *Ἀπολογητικὸς εἰς τὸν ἑαυτοῦ πατέρα Γρηγόριον, συμπαιρόντος αὐτῷ Βασιλείου, ἤρξικα ἐπισκοπος ἐχριστοτορήθη Σασίμων (99).*

I. Rursum super me unctio et Spiritus : et rursum ego lugens et tristis incedo ²². Nec vero id vobis mirum videri debet; nam ipse quoque Isaias ²³, priusquam Domini gloriam, thronumque illum sublimem **235** et excelsum, et seraphinos ipsum cingentes conspexisset, nihil huiusmodi loquitur, nec renititur, nec metu concutitur : verum in Israelitas quidem magno clamore invehitur, sibi autem parcat, atque a se tanquam ab insonte abstinet. Postea vero quam hæc vidit, ac vocem illam sanctam et arcanam auribus usurpavit, tum demum velut seipsum magis agnoscens : Me miserum, inquit, quia compunctus sum, et quæ deinceps sequuntur; ne quid ominosi habeat oratio. Occurrunt etiam hinc antiquus ille iudex Manue, hinc deinde Petrus, Ecclesiæ columen : quorum alter, cum præstantiorem quam natura ipsius viresque ferrent, visionem sensisset, *Perimus*, inquit, *mulier, Deum vidimus* ²⁴ : alter Salvatoris præsentiam vimque illam et facultatem, cuius specimen illis, qui simul navigabant, in piscatione præbuerat, ferre non poterat, ac proinde, licet admiratione correptus, ipsum tamen a navi amandabat, colloquio sese indignum fateretur ²⁵.

II. Jam vero cum in Evangelio centurionem audio, Christi quidem potentiam requirentem, præsentiam autem deprecantem, utpote cuius tectum angustius esset, quam ut divinam magnitudinem ac dignitatem capere posset ²⁶, equidem timiditatis hu-

A. Πάλιν (1) ἐπ' ἐμὲ χρίσμα καὶ Πνεῦμα · καὶ πά-
λιν ἐγὼ πενθῶν καὶ σκυθρωπάζων πορεύομαι. Θαυ-
μάζετε (2) Ἰσως · καὶ Ἥσαϊας, πρὶν μὲν ἰδεῖν τὴν
δόξαν Κυρίου, καὶ τὸν θρόνον τὸν ὑψηλὸν τε καὶ ἐπιρ-
μένον, καὶ τὰ περὶ αὐτὸν σεραφίμ, οὐδὲν τοιοῦτον
φθέγγεται, οὔτε ἀποδυσπετεῖ (3), οὔτε δέδοικεν · ἀλλὰ
τοῦ μὲν Ἰσραὴλ καταδοξά, ἑαυτοῦ δὲ φοβέται καὶ
ἀπέχεται, ὡς οὐδὲν ὑπατίου. Ἐπεὶ δὲ ταῦτ' εἶδε,
καὶ τῆς φωνῆς ἤκουσε τῆς ἁγίας καὶ μουσικῆς, ὡ-
περ τι μᾶλλον ἑαυτοῦ συναισθόμενος (4) · Ὡ τάλας,
φησὶν, ἐγὼ, ὅτι κατανένυγμαί, καὶ ὅσα ἐξῆς τοῦ
λόγου, ἵνα φύγω (5) τὴν βλασφημίαν. Εὐδρίσχω δὲ
καὶ Μανουὲ τὸν παλαιὸν ἐκείνον ἐν τοῖς κριταῖς,
καὶ Πέτρον ὑστερον, τὸ τῆς Ἐκκλησίας ἑρεῖσμα ·
τὸν μὲν, Ἀπολώλαμεν, ὧ γύναι (6), λέγοντα, Θεὸν
ἐωράκαμεν, ἐπειδὴ κρείττονος β΄ψως ἦσθετο ἡ κατὰ
τὴν ἑαυτοῦ φύσιν καὶ δύναμιν · τὸν δὲ οὐκ ἐνεγκόντα
τὴν τοῦ Σωτῆρος ἐπιστάσιαν τε καὶ ἐνέργειαν, ἣν
ἐν τῇ ἀλείψ τοῖς συμπλέουσιν ἐπεδείξατο, καὶ διὰ
τοῦτο θαυμάζοντα μὲν, ἀποπέμποντα δὲ τοῦ πλοίου,
καὶ τὴν αἰτίαν προστιθέντα, ὅτι μὴ εἴη ἄξιος θείας
ἐπιφανείας (7) καὶ ὀμιλίαις.

B. Καὶ τοῦ ἑκατοντάρχου δὲ ὅταν ἀκούω ἐν τοῖς
Εὐαγγελίοις, τὴν μὲν δύναμιν ἀπαιτοῦντος, τὴν δὲ
παρουσίαν παραιτουμένου, ὡς οὐ χωρούσης αὐτοῦ
τῆς στέγης θεῖον ἄξιωμα τε καὶ μέγεθος, οὐκ ἔχω
μέμφεσθαι τῆς δειλίας ἑμαυτὸν ταύτης καὶ τῆς σκυ-

²² Psal. xxxiv, 14. ²³ Isa. vi, 1 sqq. ²⁴ Judic. xiii, 22, sqq. ²⁵ Luc. v, 8 sqq. ²⁶ Matth. viii, 8.

* Alias VII, quæ autem 9 erat, nunc 19. — Habita medio circiter anno 372.

(99) *Σασίμων*. Amplissimus codex, olim Colbertinus, erudita manu exaratus, Or. 2, aliique addunt : Ναζιανζοῦ γὰρ ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἦν, ἧς καὶ αὐτὸς ἤρξε μετὰ θάνατον τοῦ πατρὸς Ἐκκλησίας, μᾶλλον δὲ καὶ ἐτι περιόντος τοῦ πατρὸς · « Nam pater ejus Nazianzi erat episcopus; cui ipse præfuit Ecclesiæ post mortem patris, imo dum adhuc viveret. » Hæc ut falsa respuit variarum lectionum collector dicens : « Fuit (Gregorius) suffraganeus quidam et coadjutor patri, non episcopus. » Inepta sane hæc ratio. Verba enim quæ falsi insimulat, Gregorium Nazianzenæ Ecclesiæ vere episcopum fuisse nullatenus significant, sed tantum patri suo ejus Ecclesiæ episcopo operam navasse dum viveret, eoque extincto, ejusdem Ecclesiæ curam aliquandiu susce-

pisse, donec ipsi præficeretur episcopus.

(1) *Πάλιν*, etc. « Rursum super me unctio. » Sic loquitur Gregorius, quia jam per unctionem creatus fuerat sacerdos.

(2) *Θαυμάζετε*. Reg. hu, θαυμάζεται.

(3) *Οὔτε ἀποδυσπετεῖ*. Billius, « nec animo languet. »

(4) *Συναισθόμενος*. « Ac veluti seipsum magis sentiens. »

(5) *Ἰνα φύγω*, etc. « Ut sine offensione loquar; ut vitæ quod possit offendere; ne quemquam contumeliis lacessam. »

(6) *Ὡ γύναι*. Or. 2, γύναι.

(7) *Ἐπιφανείας*. Non bene Billius, « adventu. » Neque enim hic de « Incarnatione, » sed de « præsentia » et conspectu Salvatoris agitur.

θρωπότητος. Ὁφθαλμοῦ μὲν γὰρ ἀτονίαν ἦλιος, ψυχῆς δὲ ἀρρώστειαν (8) ἐλέγχει Θεὸς ἐπιδημῶν· καὶ τοῖς μὲν ἔστι φῶς, τοῖς δὲ πῦρ, ἐκάστῳ κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην τε καὶ ποιότητα. Τί ὑπολαμβάνομεν περὶ τοῦ Σαούλ; Ἐχρίσθη μὲν γὰρ, καὶ μετέσχε τοῦ Πνεύματος, καὶ ἦν τότε πνευματικὸς. οὐδ' ἂν ἐγὼ περὶ αὐτοῦ φάινῃ ἐτέρως, ἀλλὰ καὶ προεφῆτευσεν (9), καὶ οὕτω παρ' ἐλπίδα καὶ τὸ εἰκὸς (10), ὥστε καὶ προομιᾶν γενέσθαι τὸ θαῦμα ἐκεῖνο· *Ei καὶ Σαούλ ἐν προφήταις*; εἰς ἔτι καὶ νῦν λεγόμενον τε καὶ ἀκουόμενον. Ἐπεὶ δὲ οὐχ ὅλον (11) ἑαυτὸν ἐμπαρέσχε τῷ Πνεύματι, οὐδὲ ἐστράφη καθαρῶς εἰς ἄνδρα ἄλλον, ὡς κερημάτιστο, ἀλλ' ἐνέμεινέ τι τοῦ παλαιοῦ τῆς κακίας σπινθῆρος, καὶ τοῦ πονηροῦ σπέρματος, καὶ ἦν ἐν αὐτῷ μάχη πνεύματος καὶ σαρκός· τί χρὴ πάντα ἐκτραγωδεῖν τὰ ἐκεῖνου; Ἰστε τὸ ἐναντίον πνεῦμα, καὶ τὸν ψάλτην, ᾧ κατεπήδωτο (12). Πλὴν ἐκεῖνο κἀνεῦθεν γινώριμον. ὅτι, κἂν μὴ τῶν ἀναξίων (13) ἡ χάρις ἄπτηται (14), μηδὲ πονηροῦ καὶ ἀναρμόστου παντελῶς τοῦ ὄργάνου (εἰς γὰρ κακότεχνον ψυχὴν μὴ εἰσελεύσεσθαι σοφίαν εἴρηται καλῶς, κἀγὼ πεύομαι), ἀλλὰ φυλάξαι γε τὴν ἔξιν καὶ τὴν ἀρμονίαν, ὡς ὁ ἐμὸς λόγος, ἔργον οὐκ ἔλαττον, ἢ ἀπαρχῆς ἀρμοσθῆναι καλῶς καὶ ἀξιοθῆναι, διὰ τὸ τρεπτόν καὶ ἀλλοιωτόν τῆς ἀνθρωπίνης ἕξεώς τε καὶ φύσεως· ἢ γε (15) καὶ ἡ χάρις αὐτὴ πολλάκις, ἴν' εἶπω τῶν ἡμετέρων κακῶν τὸ σχετικώτατόν τε καὶ παραδοξότατον, τύπον ἐμποιήσασα καὶ μετειωρίσασα, κατήνεγκεν ἀπὸ Θεοῦ τοὺς οὐ καλῶς προσεγγίσαντας, καὶ κατεβλήθημεν (16) ἐν τῷ ἐπαρθῆναι, ἵνα γένηται κατ' ὑπερβολὴν ἀμαρτωλὸς ἢ ἀμαρτία, διὰ τοῦ ἀγαθοῦ μοι κατεργαζομένη θάνατον.

riat, sicque, a Deo, ad quem non, ut decuit, accessimus, exturbet ac deiciat, atque ita dum extollimur, corruamus, ut fiat supra modum peccans peccatum, nimirum per id quod bonum est, necem mihi afferens ⁴⁰.

Γ. Ταῦτά ἐστιν, ἃ ἐγὼ δεδοικὸς, πικρίας ἐνεπλήσθην καὶ κατηφείας, καὶ τι τοιοῦτον ἔπαθον, ὅλον πρὸς τὰς ἀστραπὰς οἱ παῖδες, ἡδονὴν ἐκπλήξει μὴ γινόντες ἐκ τοῦ θεάματος· ἠγάπησά τε ὁμοῦ τὸ Πνεῦμα, καὶ ἐφοβήθην· καὶ χρόνου τινὸς ἐδεήθην, εἰς ἐμψυτὴν συστραφεῖς, ἐκνήψαι (17) καὶ γενέσθαι τῆς ἀσφαλεστέρας μοίρας καὶ κρείττονος, ἵνα, τοῦ λυποῦντος ὑπεξεληθόντος, ὡσπερ ζιζανίων ἐν σπέρματι, καὶ τῶν φαύλων λογισμῶν εἰξάντων τοὺς ἀμεινωσι, νικῆσῃ καθαρῶς τὸ Πνεῦμα, καὶ με λαβὼν (18) ἔγῃ πρὸς τὴν ἑαυτοῦ διακονίαν καὶ λειτουργίαν, πρὸς τὴν καταρτισμὸν (19) τοῦ λαοῦ τούτου, πρὸς ψυχῶν κυβέρ-

³⁷ I Reg. x, 12. ³⁸ I Reg. xvi, 14, sqq. ³⁹ Sap.

(8) Ἀρρώστειαν, etc. Billius, « animæ morbum advenit suo indicat. »

(9) Προεφῆτευσεν. Or. 2, προεφῆτευσεν.

(10) Καὶ τὸ εἰκός. « Præter spem ac probabilitatem. »

(11) Οὐχ ὅλον. Sic tres Colb., Coisl. 1, Or. 1, et Jes. Editi vero, οὐχ ὅλος.

(12) Κατεπήδωτο. Bill. « fugabatur. » Comb. « excañabatur. »

(13) Κἂν μὴ τῶν ἀναξίων, etc. Hic de « gratia sacramentali » loquitur Gregorius, ea nimirum, quæ in Ordinis sacramento non nisi rite dispositis con-

inveniebat hæc visio. Sedabatur enim mare, statimque citra multam ærumnam Rhodum appulimus. Hujus ipsi periculi donum exstitimus. Ut enim nos Deo voveramus, si discrimen effugeremus, ita, postquam evasimus, nos ei etiam dono dedimus.

ΑΒ. Τὰ μὲν δὴ κοινὰ τοιαῦτα. Πάλαι δὲ οἶμαι θαυμάζειν τινὰς τῶν τὰ ἐκείνου σαφῶς ἐγνωκότων, ὅτι περὶ μὲν τούτων οὕτω καταγεγόναμεν, ὡς μόνα πρὸς εὐφημίαν ἔχοντες· τῆς δὲ τῶν καιρῶν δυσχερείας τὴν μνήμην ἀνεθέμεθα (49), πρὸς οὓς παραταξάμενος ἐκείνος φαίνεται, ὥσπερ ἡ ἀγνοήσαντες ταῦτα, ἢ μὴ μεγάλα νομίζοντες (50). Φέρε οὖν καὶ ταῦτα προσθῶμεν τοῖς ἐιρημένους· Ἦνεγχεν ὁ καθ' ἡμᾶς καιρὸς πρῶτον κακόν, οἶμαι δὲ καὶ τελευταῖον, τὸν ἀποστάτην καὶ τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν λογισμῶν βασιλέα· ὃς μικρόν μὲν ἔργον ἠγησάμενος εἶναι Πέρσας χειρώσασθαι, μέγα δὲ τὸ Χριστιανούς παραστήσασθαι, καὶ ἅμα τῶν ἀγόντων αὐτὸν δαιμόνων τοῦτο πειθόντων, οὐδὲν εἶδος ἀσεβείας ἐνέλειπε (51), πειθῶν, ἀπειλῶν, σοφιστόμενος, ἔλκων πρὸς ἑαυτὸν, οὐ μόνον οἷς ἐτεχνάζετο, ἀλλὰ καὶ οἷς ἐδιάζετο. Οὐ μὴν λαθεῖν οἷός τε ἦν κλέπτων τὸν διωγμὸν σοφιστικαῖς ἐπινοίαις, οὐδὲ μὴν καὶ φανερώς τῆ δυναστείᾳ χρώμενος· ἴν' ἐνὶ γὰρ τῷ τρόπῳ πάντως ἀλώμεν, ἢ κακουργηθέντες, ἢ βιασθέντες. Τοῦτον τίς μάλλον ἢ περιφρονήσας, ἢ καταλύσας εὐρίσκειται; Τῆς (52) μὲν οὖν περιφρονήσεως πρὸς πολλοὺς ἄλλοις ἐκείνο σημεῖον, ὃ τὸ τοξόται, καὶ ὁ τούτων στρατηγὸς, οὓς ἐπήγεεν ἐκείνος τοῖς ἱεροῖς οἴκοις ἡμῶν, ὡς ἡ παραληψόμενος, ἢ καταστρεψόμενος (53). Ἐπειδὴ γὰρ πολλοὺς προσθαλῶν ἄλλοις, κἀνταῦθα ἤκεν μετὰ τοῦ Ἰσοῦ φρονήματος, καὶ τὸ ἱερὸν ἐζήτει μετὰ τῶν προσταγμάτων, τοσοῦτον ἀποσχέσθαι (54) τοῦ τι καταπράξασθαι ὧν ἐβούλετο, ὥστε, εἰ μὴ θᾶπτον ὑπεκλίθη τῷ ἐμῷ (55) πατρὶ, ἢ παρ' ἑαυτοῦ συνελθῆ, ἢ τινος συμβουλευέσαντος (56) ἀκούσας, κἀν τοὺς πόδας ξανθεὶς ἀπηλλάγη (57), ζέταντος ἐπ' αὐτὸν θυμῷ καὶ ζήλῳ περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ ἱερέως. Τὴν κατάλυσιν δὲ πῶς ἂν τὴς μάλλον φανερῆ πραγματευσάμενος, ἢ δημοσίᾳ μὲν εὐχαίς καὶ δεή-

modum postea, subducta temporis ratione, domum reversi cognovimus. Id etiam nobis salutaris somnus indicavit, cum tandem aliquando eum, remittente nonnihil tempestate, cepissemus. Furiam enim mihi tenere videbar, horrendum vultum præferentem, ac periculum minitantem : hanc enim nox aperte nobis adumbrabat. Alius ex vectoribus (puer is erat singulari erga me studio et benevolentia , meaque causa vehementer anxius, cum ita se res haberet,) matrem meam sibi videre videbatur, quæ mare ingressa, prehensam navem haud magno labore ad terram pertraheret. Fidemque

XXXII. Hæc quidem erant utrique communia. Mirari autem jampridem nonnullos eorum arbitrator, quibus res illius apprimè cognitæ sunt, quid sit, cur, cum in his rebus ita moram fecerimus, ac si sola hæc ad laudem haberemus, difficultatis tamen temporum, adversus quæ ipse velut aciem instruixisse conspicitur, mentionem facere distulderimus, velut si ea vel ignoraverimus, vel non ita magna existimaverimus. Age igitur, hæc quoque superioribus adjungamus : Tulit nostra ætas primum, et, ut opinor, postremum malum, hoc est, imperatorem, qui et a Deo, et a mente defecit; qui parvum quidem opus esse arbitratus, Persas imperio suo acditioni 353 subijcere, magnum autem Christianos in potestatem redigere, cum ipsi simul dæmones, a quibus ducebatur, ita suaderent, nullum impietatis genus prætermittēbat, nunc alliciendo, nunc comminando, nunc fallendo, nunc etiam non solum callidis artibus, sed vi quoque homines ad se pertrahendo. Nec vero ita obscura ejus consilia esse poterant, quin appareret eum versutis ac sophisticis artificii persecutionem tegere; nec rursus potentia sua aperte utebatur, quo nempe utrovīs modo prorsus caperemur, vel improbe decepti, vel coacti. Quis porro reperietur, qui hunc magis aut contempserit, aut opprēsserit? Contemptionis quidem, inter multa alia signa, testes sunt sagittarii illi, eorumque præfectus, quos in ecclesias nostras immiserat, ut eas vel deditione acciperet, vel armis subigeret. Nam cum multos alios adortus, huc quoque pari cum audacia venisset ac cum imperatoris jussu templum sibi tradi exposceret, tantum abfuit ut quidpiam eorum, quæ cupiebat, perficeret, ut, nisi patri meo, vel suoapte consilio, vel

(47) Παῖς. Sic plures Reg. et Colb., duo Coisl., Or. 1, Jes., etc. Deest in ed.

(48) Ὡς. Sic Regg. a, bm, Coisl. 2, et Jes. Deest in ed.

(49) Ἀνεθέμεθα. Regg. a, bm, Coisl. 3, Or. 1, Jes., ἀνεβαλόμεθα.

(50) Νομίζοντες. In nonnullis, νομίσαντες.

(51) Ἐνέλειπε. Reg. a, ἐνέλιπε.

(52) Τῆς. Sic Regg. a, bm, et 2 Coisl. Prave Τίς in ed.

(53) Ὡς ἡ παραληψόμενος, ἢ καταστρεψόμενος. « Ut vel eas acciperet, (ab episcopo

nimirum, aut a civibus traditas,) vel illas, iis obnitentibus, everteret. » Coisl. 1, κατασκευάμενος [perperam].

(54) Ἀποσχέσθαι. Regg. a, bm, Coisl. 3, Or. 1, Jes., ἀπέσχετο.

(55) Τῷ ἐμῷ. Reg. bm, τῷ μῷ.

(56) Συμβουλευέσαντος. Or. 1, συμβουλευόντος.

(57) Τοὺς πόδας ξανθεὶς ἀπηλλάγη. Billius in Elia: « pedibus contusus abiisset. » Mendose in ed., ἀπηλλάγης.

cujusdam admonitu, protinus cessisset, calcibus A
etiam cæsus discessurus fuerit; ita in illum fu-
rore ac templi zelo sacerdos æstuebat! Quis autem
ipsi exitium magis comparasse videri queat, quam
ille, qui publice quidem conjunctis totius populi
votis et precibus impurum illum et sacrilegum im-
peteret, ac ne tempus quoque metueret; privatim
autem, nocturnam adversus enim aciem opponeret,
atque et humi cubando seniles illas et roscidas car-
nes conficeret, et lacrymis pavementum perfunderet,
in annum etiam ferme integrum, idque ei duntaxat,
cui res occultæ cognitæ sunt, præstans, nobis au-
tem ob pietatem ab ostentatione, ut jam dixi, alienam, celare studens? Ac certe omnino celasset, nisi
ipse aliquando cubiculum subito ingressus, chameunizæque signa conspicatus, atque ex quodam
ipsius famulo, quidnam hoc esset percontatus, noctis arcanum intellexissem.

XXXIII. Alteram ejusdem temporis ejusdemque B
fortitudinis narrationem accipite. Cæsareæ cives de
episcopi creatione inter se contendebant: nam
alter excesserat, alter requirebatur, acrisque seditio
erat, et quæ non facile comprimi ac sedari 354
posset. Præter id enim, quod natura sua, in hac re
præsertim, ob fidei fervorem ad seditionem pro-
clivis est ea civitas, cathedræ insuper illius splen-
dor et gloria majorem contentionis cumulum affe-
rebat. Atque hoc statu res erat: ac nonnulli epi-
scopi aderant, ut antistitem darent. Sed cum in
plures sententias multitudo distraheretur, alii-
que alium proponerent, quemadmodum in hujus-
modi rebus fieri consuevit, prout quisque vel bene-
volentia erga aliquem, vel pietate erga Deum duce-
batur: tandem plebs tota uno consensu primarii C
ordinis virum unum, vita quidem et moribus exi-
mium, divino tamen baptismo nondum consignat-
um, invitum et repugnantem corripientes, simul-
que militaribus copiis, quæ tum in urbe erant,
opem afferentibus, in sacrario collocarunt, et epi-
scopis obtulerunt, ab iisque petere instituerunt, ut
eum initiarent, et antistitem proclamarent, vim
interim suasioni admiscentes: non id quidem ad-
modum modeste atque composite, admodum tamen
pie atque ardentem. Neque hic dicendum, quisnam
eo, vel clarior, vel pietate præstantior existitit:
id tempus ostendit. Quid enim sit, et quo seditio
progressa est? Coacti illi eum purificarunt, antistit-
em renuntiarunt, in throno collocarunt, manu
tamen potius, quam voluntate animique affectu, D
velut postea declaratum est. Ut enim lubentibus
animis discesserunt, ac sententiam suam in arbi-
trio suo et potestate habuerunt, consilium inter se
ineunt, haud scio an Spiritus impulsu, sed ineunt
tamen, nempe ut nihil eorum, quæ gesta fuerant,

σεσι πανόημιος βάλλων τὸν αἰτητηρῖον, καὶ οὐδὲ τὸν
καιρὸν εὐλαβοῦμενος· ἰδίᾳ δὲ τὴν νυκτερινὴν παράτα-
ξιν κατ' αὐτοῦ προβαλλόμενος· ἰδιᾳ μὲν τὰς
γεραϊὰς (59) ἐκεῖνας καὶ δροσερὰς κατατρύχων σάρ-
κας, δάκρυσι δὲ πηγάζων τὸ ἔδαφος, μικροῦ (60) καὶ
εἰς ἐνιαυτὸν ἔλον· καὶ τοῦτο τῷ (61) τῶν κρυπτῶν
γνώσῃ μόνῃ φιλοσοφῶν, ἡμᾶς δὲ λανθάνειν ἐπιχει-
ρῶν διὰ τὸ ἀνεπίδεικτον, ὡσπερ ἔφη, τῆς εὐλαβείας;
καὶ λαθῶν ἂν ἦν παντάσῃσι, εἰ μὴ ποτε ἀθρόως
ἐπεισελθῶν ἐγὼ, καὶ (62) χαμευνίας σύμβολα θεα-
σάμενος, καὶ τῶν περὶ αὐτὸν πυθόμενος, τίνα ταῦτ'
ἦν, ἔγνω τῆς νυκτὸς τὸ μυστήριον.

ΛΓ'. Ἐτερον δὲ τοῦ αὐτοῦ καιροῦ καὶ τῆς αὐτῆς
ἀνδρείας (63) διήγημα· ἑστασίαζεν ἡ Καισαρέων πόλις
περὶ προβολῆν ἀρχιερέως (64), τοῦ μὲν ὑπεξελθόντος,
τοῦ δὲ ἐπιζητουμένου, καὶ ἡ στάσις θερμῆ, καὶ μὴ
βραδίαν τὴν λύσιν ἔχουσα. Φύσει τε γὰρ περὶ τοῦτο
μάλιστα στασιώδης ἡ πόλις, διὰ (65) θερμότητα πί-
στεως, καὶ τὸ τῆς καθέδρας ἐπίδοξον, πλείω τὴν φι-
λονεικίαν εἰργάζετο. Ταῦτα ἦν, καὶ παρῆσαν τῶν
ἐπισκόπων τινὲς τὸν ἀρχιερέα δώσοντες· ὡς δὲ εἰς
πλείους τοῦ δήμου διαίρεθέντος, καὶ ἄλλων ἄλλων
προβαλλομένων, ὅπερ ἐν τοῖς τοιούτοις φιλεῖ συμβαί-
νειν, ὡς ἕκαστος ἔτυχεν ἢ φιλίας πρὸς τινὰς ἔχων, ἢ
πρὸς Θεὸν εὐλαβείας, τέλος συμφρονήσας ὁ δῆμος
ἄπας, τῶν πρώτων (66) παρ' αὐτοῖς ἕνα, βίβη μὲν ἐξ-
ελεγμένον, οὕτω δὲ τῷ θεῷ βαπτίσματι κατεσφρα-
γισμένον, τοῦτον ἀκοντα συναρπάσαντες, καὶ ἅμα
στρατιωτικῆς χειρὸς συλλαβομένης αὐτοῖς τηλικαῦτα
ἐπιδημούσης ἐπὶ τὸ βῆμα ἔθεσαν, καὶ τοῖς ἐπισκό-
ποις προσήγαγον, τελεσθῆναι τε ἠξίου καὶ κηρυχθῆ-
ναι, πειθοὶ βίαν ἀναμίξαντες· οὐ λίαν μὲν εὐτάκτως,
λίαν δὲ πιστῶς καὶ διαπύρως. Κάνταῦθα οὐκ ἔστιν
εἰπεῖν, ὄντινα εὐδοκιμώτερον ἐκείνου καὶ θεοσεβέστε-
ρον διέδειξεν ὁ καιρὸς. Τί γὰρ γίνεται, καὶ ποῖ προ-
ῆλθεν ἡ στάσις; Ἐδιάσθησαν, ἤγγισαν, ἀνεκῆρυξαν,
ἐπὶ τὸν θρόνον ἔθεσαν, χειρὶ μᾶλλον ἢ γνώμῃ καὶ
διαθέσει πνεύματος· ἐδηλώθη δὲ τοῖς μετὰ ταῦτα.
Ὡς γὰρ ἀππλάγησαν ἄσμενοι, καὶ γνώμης ἐγένοντο
κύριοι, βουλὴν βουλευόνται σὺν ἀλλήλοις, οὐκ οἶδα
μὲν εἰ πνευματικὴν (67), βουλευόνται ὁ δὲ ὅμως, μηδὲν
κύριον ἡγεῖσθαι τῶν πεπραγμένων, μηδὲ τὴν κατά-
στασιν ἔγκριτον· τὴν τε βίαν ἐπικαλοῦντες αὐτῷ,
μηδὲν ἤττον βιασθέντι, καὶ ῥημάτων λαμβανόμενοι
τινων, ὡς εἰρημένων τηλικαῦτα προπετέστερον ἢ σο-
φώτερον. Οὐ μὴν ὁ μέγας ἀρχιερεὺς, καὶ δίκαιος τῶν
πραγμάτων ἐξεταστὴς, ἢ συναπήχθη τοῖς ταῦτα βου-
λευομένοις, ἢ τὴν γνώμην ἐπήνεσεν· ἀλλ' ἔμεινεν

(58) *Χαμευνία*. Sic Coisl. 1, Jes., etc. In ed.,
χαμευνία.

(59) *Τὰς γεραϊὰς*. Or. 1 et alii, τὰς γη-
ραϊὰς.

(60) *Μικροῦ*. Reg. a, μικρόν.

(61) *Τῷ*. Sic Reg. hm, et Jes. Deest in ed.

(62) *Καί*. Deest in Reg. hm, et Or. 1.

(63) *Ἀνδρείας*. Sic plerique codd. Coisl. 3,
et Or. 1, ἀνδρείας. Prave in ed., ἀνανδρείας, ἰγνα-

vir. »

(64) *Ἀρχιερέως*. « Summi sacerdotis, » id est,
« episcopi. » Bill. « archiepiscopi, » quæ vox non-
dum erat in usu.

(65) *Διά*. Sic Regg. a, hm, duo Coisl., Jes., etc.
In ed. deest.

(66) *Τῶν πρώτων*. Sic Coisl. 1, Or. 1, Jes. et
Combef. In ed., τὸν πρώτων.

(67) *Εἰ πνευματικῆς*. Billius : « an spirituale. »

ἀκλινῆς καὶ ἀηττητος, οὐδὲν γὰρ ἦττον ἢ μηδὲ βιασθεὶς ὄλωσ. Ἄρῃται γὰρ, κοινῆς (68) οὐσης τῆς βίας, ἢ κατηγοροῦντας ἀντικατηγορεῖσθαι, ἢ ἀφιέντας ἀφείσθαι, ἢ τὸ γὰρ δικαιοτέρων, μήτ' (69) ἀφιέντας ἀφείσθαι. Εἰ μὲν γὰρ αὐτοὺς εἶναι συγγνώμης ἀξίους, κάκεινον πάντως· εἰ δὲ μηδαμῶς ἐκείνον, σχολῇ γὰρ ἂν αὐτοῦς. Πολλῶ γὰρ βέλτιον εἶναι, τότε κινδυνεύειν καὶ ἀντιτείνειν μέχρι παντός, ἢ ὕστερον ἐπιβουλεύειν, κἀν τούτῳ τῷ καιρῷ (70) μάλιστα, ἤνίκα καὶ τὰς οὐσας ἐχθρας καταλύειν ἄμεινον ἦν, ἢ τὰς οὐκ οὐσας περινοεῖν· εἶχε γὰρ οὕτως.

absolventes absolverentur; aut, quod justius erat, ne absolventes quidem absolverentur. Si enim ipsis venia deberetur, utique et illi: sin illi nullo modo ignoscendum esset, multo certe minus ipsis. Longe enim satius fuisset, ut ipsi tum temporis periculum adirent, atque ad extremum usque obsisterent, quam ut postea insidias compararent, eoque 355 præsertim tempore, quo ortæ jam inimicitia potius essent deponendæ, quam novæ excogitandæ. Sic enim res se habebat.

ΑΔ'. Παρῆν μὲν ὁ βασιλεὺς βρέμων Χριστιανοῖς, Β αὐτῶν δὲ ἡ χειροτονία, ἠπειλείτο δὲ ὁ προβληθεὶς ἐπὶ ξυροῦ (71) δὲ ἡ πόλις, ἢ μηκέτ' εἶναι μετὰ τὴν ἡμέραν ἐκείνην, ἢ περισσῶθαι, καὶ τινος φιλανθρωπίας τυχεῖν. Προσεγεγόνει γὰρ οἷς παρῶζοντο περὶ τῆς Τύχης, ἐν καιρῷ τῆς εὐτυχίας περιλυθείσης, καὶ ἡ περὶ τὸν ἀνδρα καινοτομία, ὡς τῶν δημοσίων σεσλημένων. Ἐζήτει δὲ ὁ τοῦ ἔθνους ἄρχων ὅ τι χρῆσαιτο τῷ καιρῷ, κάκεινον τί διαθεῖται κακόν, οὐδὲ ἄλλως πρὸς αὐτὸν ἔχων ἐπιτηδεύς, ἀλλ' ὡς ἐξ ἀντιπολιτείας διάφορος ὤν. Ἐχάλει δὲ δι' ἐπιστολῶν τοὺς χειροτονήσαντας ὡς κατηγορήσαντας, οὐκ ἔτι ἀπραγμόνως, ἀλλ' ἦδη τι καὶ ἀπειλῆς (72) προστιθείς, ὡς τοῦτο ἀπαιτοῦντος (73) τοῦ βασιλέως. Τότε τοίνυν καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλθοῦσης ἐπιστολῆς, οὐδὲν δέσας, οὐδὲ μικρὸν ἐπισχῶν (σκοπῶμεν τὴν παρῆρσιν, ὅση καὶ μεθ' ὅσου τοῦ πνεύματος, ἐκ τῶν ἀντεπεσταλμένων), Ἡμεῖς, φησὶν, ὦ κράτιστε ἡγεμῶν (74), πάντων τῶν πραττομένων ἔχομεν ἐξεταστὴν ἕνα καὶ βασιλέα, τὸν νῦν πολεμοῦμενον· ἐκεῖνος καὶ τὴν νῦν ἐξετάσει χειροτονίαν, ἣν ἐνθεσμον (75) καὶ φιλίαν αὐτῷ πεποιήμεθα. Ὑμῖν δὲ ἄλλο μὲν τι βιάζεσθαι βουλομένοις, καὶ πᾶν βῆστον· τοῦτο δὲ οὐδεὶς ἡμῶς ἀφαιρήσεται, τὸ συνηγορεῖν, ὡς ὀρθῶς καὶ δικαίως πεπραγμένοις, τοῖς πεπραγμένοις· εἰ μὴ καὶ τοῦτον θεῖτε τὸν νόμον, οἷς (76) οὐ θεμιτὸν παρακύπτειν εἰς τὰ ἡμέτερα. Τοῦτο τὸ γράμμα καὶ αὐτὸς ἐθαύμασεν ὁ δεξάμενος, εἰ καὶ πρὸς ὄλιγον ἐγαλέπηεν, ὡς οἱ πολλοὶ τῶν (77) τὰ ἐκείνου καλῶς γινωσκόντων (78) ἀπήγγελλον· τοῦτο καὶ βασιλέως τὴν ὀρμὴν ἔστησε, καὶ τοῦ κινδύνου τὴν πόλιν ἀπήλλαξεν, οὐ φαύλως δ' ἂν προσθεῖην, ὅτι καὶ τῆς αἰσχύνης ἡμῶς. Τούτου τοῦ μικροπολίτου τὸ ἔργον, καὶ τῆς καθέδρας

A ratum ac firmum esse ducerent, nec institutionem legitimam: vim ei objicientes, qui non minorem ipse vim passus fuerat, ac sermones quosdam arripientes, ut petulantur magis quam sapienter eo tempore prolatis. At antisies, et æquus rerum æstimator, nec cum iis, qui hujusmodi consilium inibant, abductus est, nec eorum sententiam comprobavit, verum constans atque invictus permansit, non minus quam si nulla omnino vis ipsi adhibita fuisset. Nam cum vis communis esset, oporteret, ut aut accusantes vicissim accusarentur, aut absolventes absolverentur; aut, quod justius erat, ne absolventes quidem absolverentur. Si enim ipsis venia deberetur, utique et illi: sin illi nullo modo ignoscendum esset, multo certe minus ipsis. Longe enim satius fuisset, ut ipsi tum temporis periculum adirent, atque ad extremum usque obsisterent, quam ut postea insidias compararent, eoque 355 præsertim tempore, quo ortæ jam inimicitia potius essent deponendæ, quam novæ excogitandæ. Sic enim res se habebat.

B XXXIV. Aderat imperator adversus Christianos fremens; hanc autem ordinationem irato atque incenso animo ferebat, gravia vero in eum, qui promotus fuerat, minabatur: atque in novaculæ acie civitas erat, utrum post illum diem esse desineret, an e periculo evaderet, atque humanitatis aliquid consequeretur. Ad eum enim dolorem, quem ob Fortunæ templum felicitatis tempore dirutum et eversum, capiebat, viri illius ordinatio accedebat, quam publicarum rerum convulsionem ac velut expilationem esse interpretabatur. Is autem, qui provinciæ præerat, rationes exquirebat, quibus tempore obsecundaret, atque ipsum malo aliquo multaret, ut qui nec alioqui amico ac benevolo in eum animo esset, verum ob contraria in republicæ administratione studia ab eo dissideret. Quocirca eos, a quibus ordinatus fuerat, velut ipsum accusaturos, per litteras accerserat, non jam leniter et remisse, sed minarum etiam aliquid adjungens, tanquam imperator hoc exigeret. Cum igitur pater quoque tum ab eo epistolam accepisset, nihil veritus, nec moram ullam interponens (consideremus, quæso, ex iis, quæ respondit, quanta ipsius in dicendo libertas, et quanto cum spiritu conjuncta fuerit): Nos, inquit, potentissime præses, rerum omnium, quæ geruntur, censorem unum ac regem habemus, qui nunc oppugnatur. Is et præsentem ordinationem expendet, quam nos rite ac legitime, atque ut ipsi gratum est, fecimus. Vos autem alia quidem aliqua in re nobis, si animus ita tulerit, vim afferre perfacile potestis: id autem nemo unquam nobis adimet, quia ea, quæ facta sunt, ut recte ac iuste facta, defendamus; nisi forte hanc quoque

(68) Κοινῆς. Schol.: Δηλονότι τῷ χειροτονηθέντι, καὶ τοῖς χειροτονήσανσι· «Tum scilicet qui ordinatus fuerat, et iis qui ordinaverant.»

(69) Μήτ'. Reg. bin, et Or. 1, μηδέ.

(70) Τῷ καιρῷ. Regg. a, bm, et Or. 1, τοῦ καιροῦ.

(71) Ἐπὶ ξυροῦ. «Quæ in summo periculo sunt,» inquit Billius, «ea, proverbiali locutione, in novaculæ acie stare dicuntur.» Illud adagium est ab Homero ductum, qui, *Iliad.* lib. x, vers. 173, ait:

Νῦν γὰρ διὴ πάντεσσιν ἐπὶ ξυροῦ ἴσταται ἀκμῆς.

Nunc enim omnibus in novaculæ acie sita res est.

(72) Ἀπειλῆς. Coisl. 1, ἀπειλάς.

(73) Ἀπαιτοῦντος. Coisl. 1, ἀπειλοῦντος, «iniulantis.»

(74) Ἡγεμῶν. In quibusdam, ἡγεμον.

(75) Χειροτονίαν, ἢ ἐνθεσμον. «Ordinationem, quam legitime,» etc. Quatenus scilicet, ἤγεισαν, ἀνεκήρυξαν, ἐπὶ θρόνον ἔθεσαν, «purificaverunt, proclamaverunt, in throno collocarunt.»

(76) Οἷς. Reg. a, ὡς.

(77) Τῶν. Sic Or. 1. Deest in ed.

(78) Γινωσκόντων. Reg. bin, γινωσκόντων.

regem statuas, quibus ne in nostras quidem res Δ
prospicere fas est. Has litteras ille etiam ipse ad-
miratus est, qui accepit, etiamsi parumper stoma-
chatus sit, quemadmodum ex multis intellectum est,
qui res illius perspectissimas habebant. Atque hoc
periculo liberavit, non male autem addiderim, quod nos
quoque ab infamia vindicavit. Hoc exiguae urbis
episcopi opus, et cathedræ secundas tenentis. Annon
autem multo melius est principatum ita te-
nere, quam e sublimioribus thronis declamare, ac

356 XXXV. Jam quod in illius rebus gestis
ordine quidem postremum est, vi autem et facultate
primum et maximum, quis tam ab orbe nostro
remotus est, ut nesciat? Rursus eadem civitas
eamdem ohi causam seditione laborabat, eo nimirum,
cui recte vis illata fuerat, celerrime vita
functo et ad Deum, pro quo fortiter ac strenue in
persecutionibus decertarat, profecto. Atque ea sedi-
tio quanto acrior et ferventior, tanto etiam stultior
et absurdior erat. Non enim ignorabatur quis
præcelleret, quemadmodum nec sol inter sidera,
sed perquam etiam conspicuum erat, cum aliis
omnibus, tum selectissimæ præsertim ac puris-
simæ populi parti, hoc est et iis qui altare cir-
cumstant et nostratibus Nazaræis, quibus solis,
vel certe potissimum, electiones huiusmodi com-
mitti oportebat (sic enim nunquam Ecclesiis male
esset), ac non iis qui opibus ac potentia pollent,
aut plebis impetui et temeritati, atque etiam ple-
beiorum vilissimo et contemptissimo cuique. Nunc
vero parum abest, quin popularia imperia meliori
ordine ac disciplina constare existimeim, quam
nostra, quibus divina gratia omnium voce attribuitur,
ac res huiusmodi timore melius, quam ratione
administrari credam. Nam nisi ita esset, quisnam
sanæ mentis, te relicto, o divinum et sacrum caput,
ad alium se contulisset, te, inquam, relicto,
qui in manibus Domini depictus es, qui connubii
jugum nescis, qui nihil possides, qui carne prope-
modum et sanguine cares, qui litterarum laude et
eloquio post Verbum secundas tenes, inter philoso-
phos sapiens, inter mundanos mundo sublimior,
sodalis ac socius meus, atque, ut audacius aliquid
dicam, animæ meæ dimidium, ac vitæ et doctrinæ
consors? Vellem libertatem oratio haberet, apud
alios te pingens, ac non te præseute hæc expendere-
rentur, ubi laudes tuas majori ex parte imminuere
cogor, ne in adulationis suspicionem incurram.
Verum, ut ad institutum sermonem redeam, Spiri-

τὰ δεύτερα ἔχοντος. Ἄρ' οὐ πολλῶ βέλτιον οὕτω
πρωτεύειν, ἢ ἀπὸ τῶν ὑψηλοτέρων θρόνων φθέγγε-
σθαι, καὶ κρατεῖν ἐν (79) τοῖς πράγμασι μᾶλλον ἢ
τοῖς δόγμασιν;

et imperatoris impetum compressit, et civitatem pe-
riculo liberavit, non male autem addiderim, quod nos
quoque ab infamia vindicavit. Hoc exiguae urbis
episcopi opus, et cathedræ secundas tenentis. Annon
autem multo melius est principatum ita te-
nere, quam e sublimioribus thronis declamare, ac

ΔΕ'. Ὁ δὲ τελευταῖον μὲν τῶν ἐκείνου τῆ τάξει,
πρῶτον δὲ τῆ δυνάμει καὶ μέγιστον, τίς οὕτως ἔξω
τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης, ὥστε ἀγνοεῖν; Ἐστασίαζε
πάλιν ἡ αὐτὴ πόλις ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς, τάχιστα προσ-
ληφθέντος (80) τοῦ καλῶς (81) βιασθέντος, καὶ πρὸς
θεὸν (82) ἐκδημήσαντος (83), ὑπὲρ οὗ γενναίως καὶ
ἀνδρικῶς ἐν τοῖς διωγμοῖς ἠγωνίσαστο. Καὶ ἡ στάσις
ἦν, ὅση θερμότερα, τοσοῦτη καὶ ἀλογωτέρα. Οὐ γὰρ
ἠγνοεῖτο τὸ ὑπεραῖρον, ὡς περ οὐδ' ἐν ἀστράσιν ἤλιος·
ἀλλὰ καὶ λίαν ἐπίδηλον ἦν, τοῖς τε ἄλλοις ἄπασι, καὶ
τοῦ λαοῦ μάλιστα (84) τῷ ἔγκριτῳ τε καὶ καθαρωτά-
τῳ, ὅσον τε περὶ τὸ βῆμα (85), καὶ ὅσον ἐν τοῖς καθ'
ἡμᾶς Ναζιραίοις (86)· ἐπ' οἷς ἔδει τὰς τοιαύτας προ-
βολὰς κεῖσθαι μόνοις, ἢ ὅτι μάλιστα, καὶ οὐδὲν ἂν ἦν
ταῖς Ἐκκλησίαις κακόν· ἀλλὰ μὴ τοῖς εὐπορωτάτοις
τε καὶ δυνατωτάτοις, ἢ φορᾷ δήμου καὶ ἀλογίᾳ, καὶ
τούτων αὐτῶν μάλιστα τοῖς εὐνοτοτάτοις (87). Νῦν δὲ
κινδυνεύω τὰς δημοσίας ἀρχὰς εὐτακτωτέρας ὑπο-
λαμβάνειν τῶν ἡμετέρων, αἷς ἡ θεία χάρις ἐπιφρημι-
ζεται· καὶ βελτίω τῶν τοιούτων διοικητῶν φόβον, ἢ
λόγον. Ἐπεὶ τίς ἂν ἐπ' ἄλλον ἦλθε τῶν εὐ φρονούν-
των, σὲ παραλιπῶν (88), ὃ θεία καὶ ἱερὰ κεφαλὴ, τὸν
ἐπὶ τῶν χειρῶν Κυρίου ἐξωγραφημένον, τὸν ἀΐζυγα,
τὸν ἀκτῆμονα, τὸν ἄσαρκον μικροῦ καὶ ἀναίμονα, τὸν
ἐν λόγοις μετὰ τὸν Λόγον, τὸν ἐν φιλοσόφοις σοφόν,
τὸν ἐν κοσμικοῖς ὑπερκόσμιον, τὸν ἐμὸν εταῖρον καὶ
συνεργόν, τὸν συμμεριστὴν τῆς ψυχῆς, ἔν' εἶπω τι
τολμηρότερον, καὶ βίωσι κοινωνὸν καὶ παιδεύσεως;
Ἐβουλόμην ἐλευθερίαν ἔχειν τὸν λόγον, ἐν ἄλλοις σε
γράφτων, ἀλλὰ μὴ παρόντος σου τὰ τοιαῦτα ἐξετάζε-
σθαι, καὶ ὑφίστασθαι τὰ πλείω διὰ κολακείας ὑπόνοιαν.
Ἄλλ' ὁ μοι λέγειν ὁ λόγος ὤρμησε, τὸ Πνεῦμα μὲν
ᾄδει τὸν ἐξουτοῦ (πῶς γὰρ οὐ;)· ἀντεστάται δὲ ὁ φόβος·
τὸ δὲ ὦν, ἀισχύνομαι λέγειν· εἴθε δὲ μὴδ' (89)
ἄλλων λεγόντων ἀκοῦειν ἦν, καὶ κωμωποῦντων ἐπι-
μελῶς τὰ ἡμέτερα. Τοῦτο μὲν οὖν, καθάπερ οἱ ποτα-
μοὶ τῶν πετρῶν τὰς ἐν μέσῳ τῷ βέβυματι, παραδρά-
μωμεν, σιωπῇ τιμῶντες τὰ λήθης ἀξία· αὐτοὶ δὲ
πρὸς τὰ ἐξῆς τοῦ λόγου προΐωμεν.

(79) Ἐν. Deest in Reg. a, et Or. 1.

(80) Προσληφθέντος. Reg. bn, προσληφθέντος.

(81) Τοῦ καλῶς. « Recte. » Reg. bn, τοῦ κα-
κῶς, « male. » Utraque lectio admitti potest; sci-
licet, καλῶς, ratione fidei ac virtutis illius qui
deposebatur, et cui vis inferebatur; κακῶς autem,
ratione popularis tumultus.

(82) Θεόν. Reg. bn, Κύριον.

(85) Ἐκδημήσαντος. Or. 1, ἐκδημήσαντος.

(84) Μάλιστα. Deest in Reg. bn.

(85) Ὅσον τε περὶ τὸ βῆμα. Illic clerici, et ii
qui sacerdotalis sunt ordinis intelliguntur.

(86) Τοῖς καθ' ἡμᾶς Ναζιραίοις. « Nostratibus
Nazaræis, » id est, « iis nostræ provinciæ, » qui cum

Basilio versati, vel ab eo sunt instituti. De monachis
hic præcipue mentio est. Illos Nazaræos vocat Gre-
gorius, utpote Deo consecratos. « Penes illos solos,
inquit Elias, huiusmodi electiones sitas esse oportebat,
non copiosissimis quibusque et potentissimis,
et vulgi temeritati atque stultitiæ committi. »

(87) Εὐνοτοτάτοις. « Sic appellat eos, qui ad
quorumlibet laudes, inquit Elias, facile se conferunt,
ac quæstus exigui causa veritatem adulterant. »

(88) Σὲ παραλιπῶν. « Te relicto. » Schol. :
Πρὸς τὸν Μέγαν στρέφεται καὶ ταῦτα λέγει Βα-
σιλειον· Ad Basilium Magnum conversa oratione
hæc loquitur. »

(89) Μηδ'. Reg. bn, Or. 1, μήτ'.

tus quidem norat, qui suus esset (quidni enim?) At invidia obsistebat; quorum autem, dicere pudet: atque utinam nec ex aliorum sermone, qui res nostras studiose proscindunt, id audire liceret. Sed hæc, ut illa fluvii saxa, quæ in medio fluente occurrunt, prætereamus, atque ea, 357 quæ oblivione digna sunt, silentio premamus, et ad ea, quæ deinceps sequuntur, progrediamur.

ΑΓ'. Ἦδει τὰ τοῦ Πνεύματος ἀκριβῶς ὁ τοῦ Πνεύματος· καὶ διὰ τοῦτο μὴδὲν ταπεινὸν φρονεῖν ᾔθετο δεῖν, μὴδὲ κατὰ συστάσεις (90) καὶ προλήψεις μάχεσθαι, χάριτι πλέον ἢ Θεῷ νέμοντας· ἀλλὰ πρὸς ἐν βλέπειν μόνον, τὸ τῶν Ἐκκλησιῶν ὄφελος, καὶ τὴν κοινὴν σωτηρίαν. Διὰ τοῦτο ἔγραψεν, ἐνουθέτει, συνήρμοζε τὸν λαόν, τοὺς ἱερέας (91), τοὺς τε ἄλλους καὶ ὅσοι τοῦ βήματος, διεμαρτύρητο, ἐψηφίζετο (92), ἐχειροτόνει καὶ μὴπω παρῶν· ἐίδου τῇ πολιᾷ τὸ ἐναυθεντεῖν, ὡς οικεῖοις, τοῖς ἄλλοτριῶσι. Καὶ τέλος, ἐπειδὴ κανονικὴν ἔδει γενέσθαι τὴν χειροτονίαν (93) αὐτῷ, λείποντος ἑνὸς (94) τῷ ἀριθμῷ τῶν ἀνακτρυζόντων, τοῦ σκίμπος ἐαυτὸν ἀποσπάσας, γήρῃ καὶ νόσῳ συντετριμμένος (95), ἐπὶ τὴν πόλιν νεανικῶς ἔεται· μᾶλλον δὲ φέρεται νεκρῷ τῷ σώματι, καὶ μικρὰ πνεύοντι· καλὸν ἐντάφιον αὐτῷ, κἂν εἰ τι δεοὶ παθεῖν, τὴν σπουδὴν ἔδειξεν ἐσεσθαι πεπεισμένους. Γίνεται δέ τι κἀνταῦθα σημεῖον οὐκ ἀπιστούμενον· Ῥώννυται τῷ πόνῳ, νεάζει τῇ προθυμίᾳ, οἰκονομεῖ, παρατάσσεται, τίθεισιν ἐπὶ τοῦ θρόνου (96), προπέμπεται, οὐκ ἔτι σορῶ τῷ φορεῖν, κιβωτῷ δὲ εἰς ἀχρησάμενος. Ἦν δὲ ἄρτι μακροθυμίαν ἔπαινον ἐπαυσάμενη, ταύτην ἐνταῦθα καὶ πλέον δείκνυσιν. Οὐ γὰρ φερόντων τῶν συλλειτουργῶν τὴν ἀσχύνην τῆς ἡττης, καὶ τὴν ἐν τοῖς πράγμασι τοῦ γέροντος δυναστείαν, καὶ διὰ τοῦτο δυσχεραίνοντων αὐτῷ καὶ λοιδορουμένων, ἴσχυσεν οἷς ἔκαρτέρει καὶ τούτων ὑπεράνω γενέσθαι, μέγιστον εὐρὼν εἰς συμμαχίαν τὴν ἐπιεικειαν, καὶ τὸ μὴ ἀντιλοιδορεῖν λοιδορούμενον (97). Τί γὰρ εἶναι δεῖνόν, εἰ τοῖς πράγμασι νικήσας, φέροι τῇ γλώσσῃ νικώμενος, Τοιγαροῦν οὕτω κακείνους εἴλε τῇ μακροθυμίᾳ, προσλαβὼν καὶ τὸν χρόνον τῆς γνώμης σύμμαχον, ὥστε ἀπελογοῦντο, προσέπιπτον, μεταβάλλοντες εἰς θαῦμα τὴν ἀγανάκτησιν. Ἠσχύνοντο τοῖς προτέροις, ἐχρῶντο πατριάρχῃ, καὶ νομοθέτῃ, καὶ δικαστῇ, τὸ μισεῖν ἀποθρήσκοντες.

gna se vicini pateretur? Quamobrem sic eos quoque lenitate sua et patientia cepit, ascito præsertim ad sententiæ suæ auxilium tempore, ut indignationem in admirationem convertentes, sese ipsi excusarent, genibus 358 advolverentur, pudore, ob ea quæ prius admiserant, suffunderentur, abjectisque odiis, eo patriarcha, legislatore et iudice uterentur.

ΑΖ'. Τοῦ δὲ αὐτοῦ ζήλου καὶ ἡ κατὰ τῶν αἰρετι-

(90) *Συστάσεις*. Sic Reg. a, bm, duo Coisl., Or. 1. In ed. Par., *συστάσεως*.

(91) *Τοὺς ἱερέας*, etc. Billius, « Sacerdotes, tum alios, tum eos qui altaris sunt. » Displicet hæc interpretatio, quasi duplex esset sacerdotum genus, quorum alii sint altaris, alii non sint. Nam, ut recte observat Elias, per « sacerdotum » vocabulum, non solos sacerdotes intelligit Gregorius; sed etiam diaconos, subdiaconos, lectores, etc. « Quocirca, inquit, merito sacerdotum nomine sacros omnes ordines comprehendit, ut qui sacri catalogi sint. » Omnes enim, tum sacerdotes tum clerici, cum episcopo, unusquisque in ordine suo, sacris operam dabant.

(92) *Ἐψηφίζετο*. Billius: « decernebat. »

(93) *Χειροτονίαν*. « Ordinationem, consecrationem. » Sic ex sacro Ecclesiæ usu vertendum. Mi-

XXXVI. Probe sciebat vir spiritualis quæ Spiritus erant; ob idque demissos omnes et abjectos animi sensus abjiciendos esse judicabat, nec conventiculis et anticipatis opinionibus certandum, nec plus favori, quam Deo, tribuendum; sed unam tantum Ecclesiæ utilitatem, ac communem omnium salutem ob oculos ponendam. Ac proinde litteras scribebat, monebat, conciliabat populum, sacerdotes et reliquos, quotquot erant clerici, testimonium dicebat, suffragium ferebat, ordinabat etiam adhuc absens, senectuti hoc dabat, ut apud alienos, tanquam apud suos, auctoritate uteretur. Denique, quoniam ordinationem canonicam esse oportebat, cum unus ex eorum numero, qui episcopum proclamaturi erant, desideraretur, senectute et morbo fractus, e lectulo se abstrahit, atque ad urbem juvenili vigore contendit; vel potius mortuo corpore, ac paululum spirante fertur, præclari funeris loco studium istud ac diligentiam sibi fore persuadens, etiam si quid mali ipsi fortuito accidisset. Hic quoque signum quoddam editur, cui fides minime abroganda est. Ex labore robur comparat, alacritate vigescit, negotium administrat, ad conflictum se parat, in throno collocat, domum reducit, vehiculo, non jam ut tumulo, sed ut arca divina usus. Quam autem lenitatem modo laudare desii, eam hic quoque amplius demonstravit. Cum enim ipsius collegæ contentionis illius, in qua victi fuerant, ignominiam, eamque, quam senex ille omnibus in rebus obtinebat, auctoritatem et potentiam iniquo animo ferrent, ob idque ipsi infensi essent, ac conviciis eum incesserent, eos quoque patientia sua superavit, maximum subsidium nactus, scilicet mansuetudinem et quod maledictis lacessitus maledicta non regereret. Quid enim ipsi grave esset, si, cum rebus vicisset, lin-

XXXVII. Ejusdem porro zeli ea illius contentio

rum cur Billius, vir doctus ac pius, posthabito Ecclesiæ usu, ubique vertat: « electionem, » ut Calvinistæ interpretari amant.

(94) *Λείποντος ἑνός*, etc. Ex conc. Nicæn. can. 4, tres requirebantur episcopi ad præsulis ordinationem, scilicet ad solemnitatem, non vero ad ordinationis essentiam. Cum igitur ad consecrandum Basilium, unus deesset, advolvit Gregorius pater, sive ut tertius adesset, sive ne episcopi qui præ invidia Basilio adversabantur, numero prævalerent.

(95) *Συντετριμμένος*. Coisl. 1, *συντετριμμένον*.

(96) *Τοῦ θρόνου*. Reg. a, bm, Coisl. 1, *τὸν θρόνον*.

(97) *Λοιδορούμενον*. Coisl. 1, *λοιδορούμενος*.

fuit, qua se hæreticis tum opposuit, cum illi una cum imperatoria impietate expeditionem adversus nos susceperunt, tanquam nos quoque in potestatem suam redacturi, aliisque, jam fere omnibus servitute oppressis, adjuncturi. Nam hic quoque non parvo nobis adjumento fuit, tum per se ipse, tum per nos etiam fortasse, quos, tanquam non ignavos ac degeneres catulos, in illos, velut in sævissimas feras immittebat, ad pietatem nimirum hac ratione nos exercens. Unam habeo, quod utrique succenseam; ac peto a vobis, ne meam hanc dicendi libertatem ægre feratis; expromam enim animi dolorem, etiamsi gravis ac molestus hic sermo futurus sit; nempe quod me hujus vitæ mala iniquo animo ferentem, ac solitudinis amore flagrantem, quo haud scio an quisquam nostræ ætatis alius, communemque hanc tempestatem et pulverem, quam celerrime poteram, vitare, atque in tutum locum confugere obnixo studio contendentem, nescio quo pacto in hoc grave et insidiosum animarum forum per speciosum sacerdotii nomen intulistis. Qua ex re multa mihi mala, partim jam contigerunt, partim imminent. Nam qui jam aliquid passus est, idem etiam de futuro quodammodo diffidit, etiam si ratio, meliora suggerens, aliud quiddam persuadeat.

XXXVIII. Nec vero hanc quoque ipsius laudem omiserim. Erat quidem ille in omnibus rebus fortis, ac corporis integumento superior: postremo autem morbo laborans, qui simul cum senectute impetum faciebat, eoque diuturno et periculoso, illud quidem cum aliis hominibus commune habuit, quod ægrotaret; hoc autem non item commune, sed admodum peculiare, aliisque miraculis consentaneum. Nam cum nunquam non dolore premere-tur et quidem persæpe singulis diebus, atque interdum etiam horis, ex sola liturgia robur concipiebat, ac morbus tanquam ex edicto fugatus, se subducebat. Cum autem centum ferme annos vixisset, hoc est, ultra Davidicos de temporis nostri spatium terminos, ex iisque in sacerdotio quinque et quadraginta, quæ fere 359 humanæ vitæ mensura est, exegisset, ita demum in bona senectute vitam claudit. Quonam modo? In orationis verbis et habitu, nullum quidem vitii vestigium, plurima vero virtutum monumenta relinquens. Quocirca major quoque, quam hominis conditio ferre videatur, ipsius veneratio in omnium linguis et mentibus sita est; nec facile reperire est, qui illius memoriam

(98) Ἐπεστράτευσαν. Sic Reg. a, tres Colb., Or. 1, Jes. In ed., ἀπεστράτευσαν.

(99) Μηδέν. Reg. a, Or. 1, μη.

(1) Τὸ λυπούν. « Dolorem. » Perpetua fuit Theologi querela, ob impositum sibi sacerdotium.

(2) Τῶν ψυχῶν ἀγορᾶ. « Foro, inquit Elias, animarum curam comparavit Gregorius, ob eorum qui se regendis humanis animis præesse profiterentur, temeritatem et petulantiam, et quia ipsi pene animas vendunt ac produnt. »

(3) Παραδεδώκατε. Or. 1, παρεδώκατε.

(4) Τοῦτο. Sic Reg. a et Or. 1. In ed., mendose, τούτοι.

κῶν ἔνστασις, ἠνίκα ἐπεστράτευσαν (98) ἡμῖν μετὰ τῆς βασιλικῆς ἀσθεσίας, ὡς καταστρεφόμενοι καὶ ἡμᾶς, καὶ τοῖς ἄλλοις προσθήσονται, ἤδη σχεδὸν πᾶσι δεδουλωμένοις. Οὐδὲ γὰρ ἐνταῦθα μικρὸν τι μέρος ἡμῖν συνεισήνεγκε, καὶ παρ' ἑαυτοῦ καὶ παρ' ἡμῶν ἴσως· οὗς ἐπῆγεν ἐκεῖνοις, ὡς πικροτάτοις θηρίοις, οὐκ ἀγενεῖς σκύλακας, γυμνάζων πρὸς τὴν εὐσέθειαν. Ἐν ἀμφοτέροις μέμφομαι (καὶ μοι μηδὲν (99) δυσχεράνητε τῆς παρῆρσις· ἐκρήξω γὰρ τὸ λυπούν (1), εἰ καὶ φορτικώτερον), ὅτι με τοῖς τοῦ βίου κακοῖς δυσχεραίνοντα, καὶ τῆς ἐρημίας ἐρώντα, ὡς οὐκ οἶδ' εἰ τις ἄλλος τῶν καθ' ἡμᾶς, καὶ τὴν κοινήν ταύτην ζάλην καὶ κόνιν, ὡς ἔγω τάχους, ἐκκλίνειν φιλονεικοῦντα, καὶ εἰς τὸ ἀσφαλὲς ἀποσύζεσθαι, οὐκ οἶδ' ὅπως τῇ φορτικῇ καὶ ἐπιβούλῃ τῶν ψυχῶν ἀγορᾶ (2) ταύτῃ φέροντες παραδεδώκατε (3), δι' εὐπεπτοῦς ὀνόματος τῆς ἱερωσύνης. Ἐξ ὧν ἦδη μοι τὰ μέν συνέβη κακὰ, τὰ δὲ ἐλπίζεται. Τὸ γὰρ ἦδη παθεῖν, καὶ πρὸς τὸ μέλλον πως δύσελπι, κἂν ὁ λογισμὸς ἄλλο τι πείθῃ, τὸ κρεῖττον ὑποτιθέμενος.

partim jam contigerunt, partim imminent. Nam qui jam aliquid passus est, idem etiam de futuro quodammodo diffidit, etiam si ratio, meliora suggerens, aliud quiddam persuadeat.

ΔΗ'. Οὐκ ἂν οὐδὲ τοῦτο (4) τῶν ἐκεῖνου καλῶν παρέλθοιμι. Πάντα μὲν ἦν καρτερικὸς, καὶ κρεῖττων τοῦ περιβλήματος (5)· τῇ τελευταίᾳ δὲ νόσῳ κακοπαθῶν, ἢ τῷ γήρᾳ συνεπέθετο (6), καὶ ταύτῃ χρονίᾳ καὶ σφαλερᾷ, τὸ μὲν ἀρρώστησαι κοινὸν πρὸς τοὺς ἄλλους ἔσχεν ἀνθρώπους· τοῦτο δὲ, οὐκ ἔτι κοινόν, ἀλλὰ σφόδρα ἐκεῖνου, καὶ τοῖς ἄλλοις ἀκόλουθον θαύμασιν. Οὐ γὰρ ἔστιν ὅτε μή τῷ πάθει στενοχωρούμενος, καὶ πολλὰκις γε τῆς ἡμέρας, ἔστι δὲ ὅτε καὶ ὄρας, ὑπὸ μόνῃς ἐβρόννυτο τῆς λειτουργίας· καὶ ὑπεχώρει τὸ πάθος, ὥστερ ἐξ ἐντολῆς φυγαδεύμενον. Ζήσας δὲ σχεδὸν τι περὶ τὰ ἑκατὸν ἔτη, πέρα τῶν Δαυιδικῶν (7) ὄρων, περὶ τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου, καὶ τούτων αὐτῶν ἐν τῇ ἱερωσύνῃ πέντε καὶ τεσσαράκοντα, μέτρον τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς, ἔπειτα ἐν γήρᾳ καλῶ καταλύει τὸν βίον. Καὶ τοῦτο, πῶς; Ἐν τοῖς τῆς εὐχῆς βήμασι τε καὶ σχήμασιν, οὐδὲν μὲν κακίας ἔχνος, πλεῖστα δὲ ἀρετῆς καταλιπὼν ὑπομνήματα. Τοιγαροῦν καὶ τὸ σέβας αὐτῷ πλείον (8) ἢ κατὰ ἀνθρώπων, ἐν ταῖς ἀπάντων (9) γλώσσαις καὶ διαβολαῖς· καὶ οὐκ ἔστι βῆδλιος εὐρεῖν, ὅστις ἐκεῖνου μεμνημένος, οὐχὶ καὶ τὴν φαντασίαν ἀσπάσεται, τοῦτο δὲ τῆς Γραφῆς, χεῖρα θεῖς ἐπὶ στόμα-

(5) Κρεῖττων τοῦ περιβλήματος. « Corporis integumento, » id est, « necessitatibus corporis superior. » Sic Reg. bm, etc. Deest τοῦ, in ed.

(6) Κακοπαθῶν, ἢ τῷ γήρᾳ συνεπέθετο. Sic Or. 1. In Coisl. 1, ἢ τὸ γήρας συναπέθετο. In ed., ἢ τῷ γήρᾳ, etc.

(7) Δαυιδικῶν. Or. 1, Δαυιτικῶν. Alludit Gregorius ad hæc verba psal. LXXXIX, 10 : « Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, » etc.

(8) Πλείον. Reg. bm, πλέον.

(9) Ἀπάντων. Sic Regius a. In editis, πάντων.

τι. Τοιοῦτος μὲν ὁ βίος αὐτῶ, τοιαύτη δὲ ἡ τοῦ βίου A
συμπλήρωσις καὶ τελειώσις.

ΛΘ. Ἐπεὶ δὲ καὶ μνημόσυνον τῆς ἐκείνου μεγα-
λοφυχίας (10) ἔδει τῷ βίῳ καταλειφθῆναι, τί μᾶλλον
ἔδει, ἢ τὸν νεῶν τούτων, ὃν Θεῶ τε ἤγειρε καὶ ἡμῖν,
ἐλίγα μὲν τῷ λαῷ προσχρησάμενος, τὰ πλείω δὲ
οἴκοθεν εἰσνεγκῶν; Ἔργον οὐ σιωπῆς ἄξιον, μεγέ-
θει μὲν ὑπὲρ τοὺς πολλοὺς, κάλλιε δὲ σχεδὸν ὑπὲρ
ἅπαντας· ὁκτῶ μὲν ἰσοπλευροῦς εὐθείαις εἰς ἑαυτὸν
ἀπαντῶντα. κίωνων δὲ καὶ στοῶν κάλλεσι διωρόφων
(11) εἰς ὕψος αἰρόμενον, καὶ τοῖς ὑπὲρ αὐτῶν πλά-
σμασιν οὐ λειπομένους (12) τῆς φύσεως· οὐρανῷ δὲ
(13) ἄνωθεν καταστράπτοντα, πηγαῖς δὲ φωτὸς πλου-
σίαις τὰς ὕψεις περιουγάζοντα, ὡσπερ ἀληθῶς φω-
τὸς οἰκητήριον· δρόμοις τε (14) ἀμφιδέτοις ὕλης τῆς
ἀμπεροτάτης ἰσογωνίους κυκλούμενον, καὶ πολὺν τὸν
ἐν μέσῳ τόπον περιλαμβάνουσι· πολὺν δὲ καὶ προ-
πυλαίων προλάμποντα χάρισι, καὶ πόρρωθεν τοὺς
προσιόντας δεξιούμενον. Καὶ οὕτω λέγω τὸν ἔξωθεν
κόσμον, λίθου τετραπέδου, καὶ εἰς τρίχα (15) συνηρ-
μοσμένου κάλλος καὶ μέγεθος, ὅσος τε καὶ μαρμάρους
(16) ἐν ἔδραις καὶ κεφαλῶν (17), αἱ τὰς γωνίας διει-
λήφασι, καὶ ὅσος ἐπιχώριος μηδὲν τοῦ ξένου λειπ-
μένος· ζῶνας τε πολυειδεῖς καὶ ποικίλας προθεβλη-
μένας τε καὶ ἐνυφασμένας, ἀπὸ κρηπίδος εἰς κορυ-
φῆν, ἢ ζῆμοι τὸν θεατῆν, τὴν ὕψιν ὀρίζουσα. Πῶς
ἂν ὁ (18) λόγος ἔργον τοσούτου χρόνου, καὶ πόνου,
καὶ τοσαύτης χειρὸς οὕτως ἐν βραχεῖ παραστήσειεν; C
Ἡ τοσούτον εἰπεῖν ἀρκέσει, ὅτι πολλὸν τὰς ἄλλας
πόλεις κοσμοῦντων ἔργων, ἰδίῳν τε καὶ δημοσίων,
τούτου καὶ μόνου ἰσχυροῦ διαβοήτους ἡμᾶς καταστήσαι
τοῖς πλείοσιν. Ἄλλ' ὁ μὲν ναὸς οὕτως ἔχων. Ἐπεὶ δὲ
καὶ ἱερέως ἔδει, καὶ τοῦτον οἴκοθεν ἐπιδίδωσιν· εἰ
μὲν κατὰ τὸν ναὸν, οὐκ ἔχω λέγειν, πλὴν ἐπιδίδωσιν.
Ἐπεὶ δὲ καὶ θυμάτων ἔδει, καὶ ταῦτα προστίθῃσι,
τὰ πάθη τοῦ παιδός, καὶ τὴν ἐν τοῖς δεινοῖς καρτε-
ριαν· ἐν ἔχῃ παρ' αὐτοῦ Θεός (19) ὀλοκάρπωμα (20)
λογικόν, ἱερεῖον πνευματικὸν ἀντὶ νομικοῦ θύματος
καλῶς δαπανώμενον.

quidem autem victimæ quoque requirebantur, has etiam adjungit, nempe filii calamitates, atque in
rebus acerbis patientiam, ut Deus ab eo rationale holocaustum habeat, victimam spiritualem, quæ
legalis victimæ loco pulchre consumatur.

M. Τί φῆς, ὦ πάτερ; ἱκανὰ ταῦτα, καὶ ἀπέχεις D
τῶν πόνων τὰς ἀμοιβὰς, οὓς ἐπὶ τοῖς ἑμοῖς λόγοις

⁷⁰ Job xxxix, 34.

(10) Μεγαλοφυχίας. Schol.: Τὴν εἰς τοὺς ἐλεει-
νοὺς μεγαλοφυχίαν, etc.: « Magnificentiam in pau-
peres ac miseros alibi passim appellat Gregorius. »

(11) Διωρόφων. Sic mss. In ed., δι' ἑρό-
φων. Billius: « per laquearia. »

(12) Πλάσμασιν οὐ λειπομένοις, etc. Billius:
« et quidem ejusmodi picturis ornata, ut nec
naturæ ipsi concedant. » Coisl. 1 et Or. 1, λει-
πομένης.

(13) Οὐρανῷ δέ, etc. « Fornice desuper col-
lustrante. » Sic enim in ædificiis vocant οὐρα-
νὸν, ut recte observat Elias.

(14) Ἀρόμοις τε, etc. « Circumjectis ambula-

usurpans, non etiam posita, ut Scripturæ verbo
utar ⁷⁰, ad os manu, speciem quoque ipsam am-
plectatur. Sic ipsius vitæ fuit perfectio et consum-
matio.

XXXIX. Quoniam autem magnanimitatis ipsius
monimentum quoque posteris relinqui oportebat,
quidnam aliud potius conveniebat, quam hoc tem-
plum, quod Deo et nobis exstruxit, populi sane
largitione nonnihil adjunctis, majorem autem par-
tem e suo impendens? Opus profecto baud silentio
dignum, cum magnitudine quidem plurima, pul-
chritudine vero cætera omnia pene superet. Nam
et octo æquilateris rectis in se occurrit, et col-
umnarum ac porticum duplex tabulatum habentium
elegantia, sublimi culmine assurgens, et qui-
dem impositis stauis, quæ nec naturæ cedant;
cælo autem desuper collustratur, uberrimisque lu-
cis fontibus spectantium oculis irradiat, ut vere
lucis domicilium. Adhuc etiam circumjectis æquian-
gulis splendidissimæ materiæ ambulacris, atque
ingentem in medio locum ambientibus cingitur, ac
portarum et vestibulorum venustate præluet,
atque accedentes eminus excipit. Nondum de ex-
terno ornatu loquor, de quadrati lapidis, atque
trifariam concinnati pulchritudine et magnitudine,
tam qui marmoreus est, nempe in basibus et ca-
pitellis, quibus anguli intercipiuntur, quam qui
patrius, nulla in re extero cedens. Nondum de va-
riis et multiplicibus zonis, a fundamentis ad ca-
cumen usque protensis et intextis, quod spectato-
rem damno afficit, visum circumscribens. Quo-
nam modo sermo, paucis quidem, tanti temporis et
laboris, tantæque manus opificium exornare poterit?
An hoc dixisse satis fuerit, quod cum multa
opera, tum privata, tum publica, urbibus aliis
ornamento 360 sint, hoc, vel solum, eam vim
habuit, ut nos apud complures claros et celebres
redderet? Ac templum quidem ad hunc modum se
habet. Quoniam autem sacerdote etiam opus erat,
hunc quoque ex suo largitur; templone dignum,
dicere haud queo, sed tamen largitur. Quando-

quidem autem victimæ quoque requirebantur, has etiam adjungit, nempe filii calamitates, atque in
holocaustum habeat, victimam spiritualem, quæ
legalis victimæ loco pulchre consumatur.

XL. Quid ais, o pater? Hæcne sufficiunt, atque
hanc laudationem, quæ vel te prosequatur, vel

cris, » et quasi solariis. Hæc Græci κατηχού-
μενα appellant. Ubi mulieres præcipue sacris ad-
erant, et per cancellos in templum prospicieban:
Billius: « Orbicularibus cursibus. »

(15) Εἰς τρίχα. Reg. hm, εἰς τριχας. Billius, « in
crinem. »

(16) Μαρμάρους. Coisl. 1, μαρμάρειος.

(17) Κεφαλῶν. Billius: « capitibus. »

(18) Ὁ. ideest in Reg. a et Or. 1.

(19) Παρ' αὐτοῦ Θεός. Sic Or. 1. In ed., Θεός
παρ' αὐτοῦ.

(20) Ὀλοκάρπωμα. Or. 1, κάρπωμα, « oblativum,
victimam, munus. »

funus tuum ornet, ita accipis, quasi laborum eorum, quos ob mea doctrinae studia suscepisti, fructum tuleris? Num, pro veteri more, pacem orationi tribuis, eique, ne modum excedat, finem praescribis? An potius aliquid uberius desideras? Sed haud dubie praescribis; satis enim longam orationem habuimus. Hoc vero mihi, pace tua, adjicere liceat. Fac sciamus, quam in gloria sis, quod lumen te circumstet, atque uxorem tuam aliquanto post, et liberos, quorum funus deduxisti, ac me quoque, aut nihil adhuc, aut certe parum hujus vitae malis affictum, iisdem tabernaculis excipe: atque ante tabernacula, hoc dulci lapide, quem ambobus nobis statuisti, videlicet hic quoque sacerdotem tuum et cognominem honore afficiens, et sermoni praetermisso, et in tui gratiam assumpto, ignosce: ac denique, cum gregem universum, et pontifices omnes, quorum pater vocatus es, tum me praesertim, paterne ac spiritualiter coactum, periculi securus gubernata, ne vin mihi abs te illatam usquequaque accussem.

XLl. At tu, quid censes, o sermonum meorum et agitationum judex? Si haec sat commode et copiose, atque ut cupiditate tua dignum erat, dicta sunt, hoc calculo tuo confirma, et accipiemus. Nam profecto Dei calculus tuus calculus est. Sin autem longe infra ipsius gloriam et spem tuam substitimus, in promptu est qui suppetias 361 ferat. Vocem tuam, opportunae pluviae instar, expetitam illius laudibus immitte. Ac sane ipse maximis te nominibus sibi obnoxium et obstrictum habet, nempe et ut pastor pastorem, et ut pater filium, quod quidem ad gratiam atinet. Quid vero mirandum, si, qui terrarum orbi per te intonuit, idem nunc fructum quoque aliquem ex tua voce capiat? Restat jam, ut cum spirituali Sara, magni nostri patris Abrahæ conjuge, atque ejusdem ætatis, de iis, quæ ad funus spectant, disseram.

XLII. Non est, o mater, eadem Dei et hominum natura; aut, ut in genere loquar, superiorum et terrestrium. Apud illos enim constans et immortale est, tum ipsum esse, tum quæcumque ad illud pertinent. Firmorum enim res firmæ sunt. Res

(21) Ὁμόζυγα. Sic Reg. a, hm, Or. 1, Jes. In ed., ὁμόζυγον.

(22) Προκατέθαψας. « Quos tumulo composuisti. » Reg. a, duo Colb., Or. 1, Jes., ipse Billius, προκατέλαβες, « in antecessum, prævertens accepisti, prius occupasti. »

(23) Τῷ γλυκεῖ λόγῳ. Id est, inquit Elias, « Sepulero, quo corpus tuum tegitur, quod et tibi ipsi et mihi statuisti. » Mox, τὸ σὸν ἱερόν, « victimam tuam. » Sic Combefisius libenter legeret. Billius legisse videtur, ἱερέα, « sacerdotem. »

(24) Καὶ τοῦ λόγου. Duo Coisl., tres Colb., Or. 1, Jes., et Elias, καὶ τοῦ λαοῦ, « et populo. » Hinc Schol.: Παρεθέντα λαόν, τὸν Σασίμων λέγει, προσληθέντα δὲ τὸν Ναζιανζοῦ. « Populum dimissum, seu relictum, Sasimorum plebem dicit; assumptum vero, Nazianzenum. » Quæ quidem lectio melior videtur. Petit Theologus, extincto jam patre, utriusque plebis cura liberari, tum Sasimorum, quam prius reliquerat, tum Nazianzenæ, quam in patris gratiam, ac donec is vitæ superstes esset, in se re-

ἔμόχθησας, τὸν εἶτε προπεμπτήριον, εἶτε ἐπιτάριον τοῦτον ἔπαινον; καὶ δίδως εἰρήνην τῷ λόγῳ, τὸν παλαῖον τρόπον, κἀνταῦθα τοῦτον ὀρίζεις, φεύγων τὸν κῆρον, ὡς ἂν εἴη σύμμετρος; ἢ τίνα προσθήκην ἐπιζητεῖς; Ὅριζεις, οἶδ' ὅτι καὶ γὰρ αὐτάρχης. Ἐκεῖνο δὲ προσθεῖναι συγχώρησον. Γνώρισον ἡμῖν ποῦ ποτε εἰ δόξης, καὶ τὸ περὶ σὲ φῶς, καὶ τὴν σὴν μετ' ὄλιγον ὁμόζυγα (21), καὶ τῶν τέκνων, ἃ προκατέθαψας (22)· κἀμὲ ταῖς αὐταῖς δέξαι σκηναῖς, ἢ μηδὲν εἶτι, ἢ μικρὰ τῷ βίῳ τούτῳ κακοπαθήσοντα· καὶ πρὸ τῶν σκηνῶν, τῷ γλυκεῖ λόγῳ (23) τούτῳ, ὃν ἀμφοτέρους ἔστησας, τιμῶν κἀνταῦθα τὸν σὸν ἱερόν καὶ ὁμόνυμον· καὶ τοῦ λόγου (24) συγγνώμην ἔχει, τοῦ τε παρεθέντος, καὶ τοῦ προσληθέντος σὴν χάριν. Καὶ διεξάγεις ἀκινδύνως (25), μάλιστα μὲν ἅπασαν ποιμνὴν καὶ πάντας ἀρχιερέας, ὧν ἐκλήθης πατήρ, ἐξαιρέτως δὲ τὸν ὑπὸ σοῦ βιασθέντα, καὶ τυραννηθέντα πατρικῶς τε καὶ πνευματικῶς, ὡς ἂν μὴ πάντα σε μεμφομένη τῆς τυραννίδος.

MA'. Σοὶ δὲ (26) τί δοκοῦμεν, ὦ χριτὰ τῶν ἐμῶν λόγων καὶ κινήμάτων; Εἰ μὲν αὐτάρκως διελεσται ταῦτα, καὶ τῆς σῆς ἐπιθυμίας ἀξίως, τοῦτο ἐπιψήφισον (27), καὶ δεχόμεθα· πάντως δὲ Θεοῦ ψῆφος ἢ σῆ. Εἰ δὲ παρὰ πολὺ τῆς ἐκεῖνου δόξης, καὶ τῆς σῆς ἐλπίδος, ἐγγὺς δὲ σύμμυχος. Ἐπαφες τὴν σὴν φωνὴν τοῖς ἐκεῖνου καλοῖς προσδοκωμένην, ὡς ὑπερὸν ὄριμον (28)· πάντως δὲ ὑπόχρεων ἔχει σε τῶν μεγίστων, καὶ ὡς ποιμένα ποιμῆν, καὶ ὡς πατὴρ υἱὸν τὸν ἐν χάριτι. Τί θαυμαστόν, εἰ διὰ (29) σοῦ βροντήσας τῇ αἰκουμένη, καὶ αὐτὸς τε τῆς σῆς φωνῆς ἀπολαύσειεν; Τί δεῖ λοιπόν; Τῇ πνευματικῇ Σάρρα, τῇ τοῦ μεγάλου πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ, καὶ ὁμοζύγῳ, καὶ ἰσοχρόνῳ, συμπιλοσοφῆσαι τὰ ἐπιχθήδια (30).

MB'. Οὐχ ἡ αὐτὴ φύσις, ὦ μήτερ, Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων (31)· μᾶλλον δὲ ὅλως τῶν θείων καὶ τῶν ἐπιγείων. Παρ' ἐκεῖνους μὲν τὸ ἄτρεπτον καὶ ἀθάνατον, αὐτοῦ τε τοῦ εἶναι, καὶ τῶν ὅσα τοῦ εἶναι· τῶν γὰρ παγίων τὰ πάγια. Τὰ δὲ ἡμέτερα πῶς ἔχει;

D ceperat. Sic ergo reddiderim: « da veniam, plebisque tum ejus quæ a me relicta est, tum ejus quam in tui gratiam suscepi, » etc.

(25) Ἀκινδύνως. « Citra periculum, periculi securus. » A Billio omissum.

(26) Σοὶ δέ. Schol.: Πρὸς τὸν μέγαν Βασίλειον· « Magnum Basilium alloquitur. »

(27) Ἐπιψήφισον. Reg. a, hm, Or. 1, ἐπιψήφισαι.

(28) Ὅριμον. Billius: « maturæ. »

(29) Εἰ διὰ, etc. Sic Reg. hm, Coisl. 1, Or. 1. In ed. ἢ διὰ. « Quid autem mirandum, inquit Elias, si is, qui universo orbi salutarem doctrinam per te intonuit, utpote qui tibi manus imposuerit, ipse quoque ex voce tua fructum aliquem capiat? » Basilium siquidem, qui pia doctrina orbem replebat, Gregorii patris studio et opera, Cæsariensis episcopus creatus fuerat.

(30) Τὰ ἐπιχθήδια. Or. 1, τὰ ἐπιχθήδια.

(31) Ἀνθρώπων. In nonnullis, ἀνθρώπου.

ῥεῖ τε καὶ φθείρεται (32), καὶ ἄλλοτε ἄλλην λαμβάνει μεταβολήν. Ζωὴ γούν καὶ θάνατος, ταύθ' ἄπερ λέγεται, πλείστον ἀλλήλων διαφέρειν δοκοῦντα, εἰς ἄλληλα περιχωρεῖ πως καὶ ἀντικαθίσταται. Ἡ μὲν γὰρ ἐκ φθορᾶς ἀρχομένη τῆς μητρὸς ἡμῶν, καὶ διὰ φθορᾶς ὀδεύουσα τῆς ἀεὶ τοῦ παρόντος ἐκστάσεως, εἰς φθορὴν καταστρέφει τὴν τοῦ βίου τούτου κατάλυσιν· ὁ δὲ τῶν ἐνταῦθα κακῶν ἀπαλλαγὴν ἔχων, καὶ πρὸς τὴν ἄνω πολλάκις μετὰ γων ζῶν, οὐκ οἶδα εἰ κυριῶς προσαγορεύοιτο θάνατος, ἐν ὀνόματι μᾶλλον ἢ πράγματι τὸ φοβερὸν ἔχων· καὶ κινδυνεύομεν πάσχειν πως ἄλογον πάθος, ἃ μὲν ἔστιν οὐ φοβερὰ δεδοκίχτες, ἃ δὲ φοβεῖσθαι ἄξιον ὡς αἰρετώτερα περιέποντες. Μία ζωὴ, πρὸς τὴν ζῶν βλέπειν· εἰς θάνατος, ἢ ἁμαρτία· ψυχῆς γὰρ ἄθερος. Τάλλα δὲ, οἷς μέγα φρονούσι τινες, ὀνειράτων ἐφίς ἐστὶ κατὰ τῶν ὄντων παίζουσα, καὶ ψυχῆς ἀπατηλὰ φάσματα. Ἄν οὕτως ἔχωμεν, ὦ μητέρα, οὐτε τῇ ζωῇ (33) μέγα φρονήσομεν, οὐτε τῷ θανάτῳ λίαν ἀνιασόμεθα. Τί τοίνυν δεινὸν πεπόνθαμεν, εἰ πρὸς τὴν ἀληθινὴν ζῶν ἐνθὺνδε μεταθεθήκαμεν; εἰ στροφῶν (34), καὶ ἰλιγγων, καὶ κόρων, καὶ τῆς αἰσχροῦς φορολογίας ἀπηλλαγμένοι, μετὰ τῶν ἐσώτων καὶ οὐ βρόντων ἐσόμεθα φῶτα μικρὰ, φῶς τὸ μέγα περιχορεύοντες;

illis, ac turpi illa tributū exactione liberatī, cum parva lumina futuri sumus, circum lumen illud magnū tripudiantes?

ΜΓ'. Ἀλλὰ λυπεῖ σε τὸ τῆς διαζεύξεως; ἀλλ' εὐφραίνεται τὸ τῆς ἐλπίδος. Ἀλλὰ δεινὸν ἢ χηρεία (35); ἐκεῖνο (36) δὲ οὐ δεινόν. Καὶ ποῦ τὸ τῆς ἀγάπης ἀγαθόν, ἐαυτῷ τὰ ῥᾶα διδόντα, τῷ πλησίον ἀποπέμειν τὰ προσαντέστερα; Τί δὲ καὶ δεινὸν ὄλως τῇ λυθησομένη μετὰ μικρόν; Ἐγγύς ἢ προθεσμία, τὸ λυπηρὸν οὐκ ἐπίμονον. Μὴ φορτίζωμεν (37) ἀγεννέσι λογισμοῖς τὰ κουφάτατα. Μεγάλων ἐστερήμεθα καὶ γὰρ τετυχήκαμεν· τὸ μὲν στερεῖσθαι, πάντων, τὸ δὲ τυχεῖν, οὐ πολλῶν. Μὴ τοῦτο καμπτέτω, ἀλλ' ἐκεῖνο παραμυθεῖσθω (38). Τὸ γὰρ κρείττον, νικᾷν εὐλογώτερον. Ἦνεγκας παίδων ἀποβολήν, τῶν ὤραιων ἔτι, καὶ τῷ ζῆν (39) ἐπιτηδείων, ἀνδρικώτατα καὶ φιλοσφώτατα· ἔνεγκε καὶ γηραιῷ κατὰθεσιν σώματος ἕξθι τῷ βίῳ κάμωντος, εἰ καὶ τὰς αἰσθήσεις ἀπαθεστάτας ὁ τῆς ψυχῆς τόνος αὐτῷ (40) συνετήρησεν. Ἀλλὰ δέη τοῦ κηδεμόνος; ποῦ δὲ ὁ σὸς οὗτος Ἰσαάκ, ὃν ἀντὶ πάντων σοὶ καταλείοιπεν; Αἴται παρ' αὐτοῦ τὰ μικρὰ, τὴν χειραγωγίαν καὶ τὴν δουλείαν· ἀντιδίδου τὰ μεῖζονα, τὴν μητρικὴν εὐλογίαν, καὶ τὰς εὐχάς, καὶ τὴν ἐκείθεν ἐλευθερίαν. Ἀγανακτεῖς νοσητουμένη; τοῦτο ἐπαινώ· καὶ γὰρ πολλοὺς νενοσθήτηκας, ὅσους ὁ πολὺς χρόνος ὑπὸ τὴν σὴν ἡγαγε σύνεσιν. Οὐδὲν ὁ λόγος πρὸς σὲ τὴν φιλο-

A autem nostræ quo pacto se habent? Finunt et corrumpuntur, atque alias aliam mutationem capiunt. Vita quippe et mors, quod dicitur, tametsi plurimum inter se dissidere videantur, inter se tamen quodammodo immeant, atque altera in alterius locum subit. Illa enim a corruptione, matre nostra, incipiens, ac per corruptionem, hoc est, perpetuum ejus, quod præsens est, excessum, gradiens, in corruptionem tandem, hoc est, in hujus vitæ finem desinit; hæc autem, quæ præsentibus malis liberat, atque etiam sæpe ad supernam vitam traducit, haud scio an proprie mors appellari queat, utpote nomine magis quam re formidabilis. Atque absurde quodammodo et præpostere affecti esse videmur, qui ea, quæ minime horrenda sunt, extimemus, quæ autem metuenda sunt, ut optabiliora, complectimur. Una vita est, ad vitam respicere. Una mors, peccatum; est enim animæ interitus. Alla autem, ob quæ nonnulli animis efferuntur, insomniorum visio sunt, veris rebus illudens, et fallacia animæ spectra. Si hac mente fuerimus, o mater, nec ob vitam animos attollemus, nec ob mortem nimium angemur. Quid igitur grave nobis accidit, si hinc ad veram vitam migravimus? Si vicissitudinibus, fallaciis, fastidabilibus rebus, minimeque fluxis et caducis,

XLIII. At disjunctio te angit? Spes te oblectet. At gravis res est viduitas? 362 Sed illi non gravis. Ubi porro charitatis bonum erit, si faciliora quispiam sibi ipsi dans, asperiora proximo tribuat? Imo quid est omnino, quod ei, quæ paulo post dissolvenda est, grave videri debeat? Instat præstitutus dies; diuturna molestia non erit. Ne committamus, ut ignavis cogitationibus res levissimas oneremus. Magnis rebus privati sumus; at etiam iis nobis frui contigit. Privari porro omnium est; frui paucorum. Quare ne mentem nostram illud dejiciat, verum hoc potius consoletur. Æquius enim est, ut, quod melius est, vincat. Filiorum amissionem, qui, florentes adhuc ætate, longiorē vitam acturi videbantur, fortissime ac sapientissime tulisti; age, senilis etiam corporis, jam vivendo defatigati, depositionem feras, etiamsi animi vigor integerrimos ipsi sensus conservavit. At deest, qui tui curam gerat? Ubinam ergo hic tuus Isaac, quem tibi ille, omnium instar, reliquit? Parva illa ab eo pete, nempe ut te manu ducat, tibi que serviat: majora repende, hoc est, maternam benedictionem, orationes, atque illius ævi libertatem. Moneri te indignaris? Id vero lau-

(32) Φθείρεται. Reg. bm, et Or. 1, φέρεται, «feruntur, voluntur.»

